BIB. DOM.
LAVAL. S. J.

.gr tredit ſtrada en bien des choſes

I 7/6 - 6

jugement des sçavans 3: V. p. 407

3

IG 205/101

BIBL. COLL. S. ALOYS. + JERSEIENS. +

HVGONIS GROTII

ANNALES

ET

HISTORIÆ

DE REBVS BELGICIS.



AMSTELÆDAMI,
Ex Typographejo JOANNIS BLAEV.
M DC LVIII.

Cum Privilegiis S. C. Majeſtatis ; & Ordd. Belgicæ Fœderatæ, nec non Holl. VVeſt-Friſiæque per annos quindecim.

ILLVSTRISSIMIS,
POTENTISSIMIS,
HOLLANDIÆ
WESTFRISIÆQVE
ORDINIBVS,
CORNELIVS & PETRVS
GROTIVS S.

INter omnia ſcriptionum genera principatum ſibi quin vindicet Hiſtoria nemo Veſtrum eſt, ILLVSTRISSIMI & POTENTISSIMI PROCERES, qui dubitat; nemo qui non expreſſas in ea ſuorum virtutes conſpicere gaudeat; nemo qui non ſuas aliquando in ea prædicari ambiat. Ea profecto eſt, quam teſtem vetuſtatis, lucem veritatis, optimamque vitæ humanæ magiſtram oratorum diſertiſſimus non immerito appellavit. Et primus quidem non ſui tantum, ſed omnis ævi, imperatorum, ſi non majorem, æquiorem certe in exprimendis geſtis

ſuis, quam in iiſdem exſequendis, ſibi famam comparavit. Neque tamen plus gloriæ ex ea ſcriptori ſuo, quam fructus lectori, accedere certiſſimum eſt: Adeo ejus cognitio privato utilis, regenti prorſus eſt neceſſaria. Hac ope inſtructi Græci potiſſimum duces, mirandum, quam reſpondentia peritiæ ſuæ, quamque digna aliorum imitatione teſtimonia edidere: quorum ſecuti exempla fortiſſimi aliquando mortalium Romani, & ipſi omnibus populis in exemplum fuere: donec depulſa per literas barbarie, diſperſoque cum rerum notitia etiam gloriæ appetitu, nullæ pæne gentes artium pacis, nullæ bellicarum virtutum expertes manſere. Noſtra certe, vel potius Veſtra, ILLVSTRISSIMI PROCERES, Batavia, eo, quod ſeptuageſimum ultra annum mira caſuum varietate protraxit, bello, (nam & duodecim annorum induciæ nihil aliud quam arma in loca partim vicina, partim longinqua, tranſtulere) ita omnium prudenter de rebus judicantium in ſe vertit animos, ut diverſarum

rum nationum nonnulli, & quidem illuſtriores, Galli, Hiſpani, Itali, Cardinales, Duces, aliique, quorum vix inire eſt numerum, non contenti interfuiſſe, in quibusdam & præfuiſſe, etiam ex deſcriptione ejus ſibi famam aucupati ſint. Nec ſane immerito. Quid enim mirabilius, quam populos, quorum amantem quietis & mercatus animum pleræque gentes, & maxime Hiſpani, in ſocordiæ partem interpretabantur, contra potentiam illam nullis non regibus formidandam inſurrexiſſe: libertatem vi raptam armis, fœderibus, ipſorum denique hoſtium pactionibus ſibi reſtituiſſe: quin & reddidiſſe bellum Hiſpaniæ, protuliſſe idem ad Indos & ad novum illum orbem, qui non niſi ad imponendam veteri ſervitutem detectus, & e tot ſeculorum caligine erutus videbatur. Et certe præliorum terreſtrium artes aliunde forte diſcentur melius: at pugnarum navalium, obſidionum, tutandarum urbium præcepta nullæ hiſtoriæ aut plura dederint, aut meliora. Quare nec indecoram patriæ,

nec ſibi ingloriam, nec poſteritati infructuoſam facturum ſe rem merito credidit parens noſter, ſi quæ ipſe natus in Hollandia, & in aliqua Reipublicæ parte aliquamdiu verſatus, partim ex actis publicis, partim ex relatu eorum, qui coram pleraque viderant, de præcipuis hujusce belli ſucceſſibus potuit cognoſcere, colligeret, & in formam Annalium atque Hiſtoriarum redacta publico daret. Vt nec Vobis, POTENTISSIMI PROCERES, ingratum fore confidimus, ſi quod facturum fuiſſe ipſum, niſi obſtitiſſent fata, authorem credibile eſt, nos hoc Veſtris inchoatum auſpiciis, Veſtræ præcipua Reipublicæ decora continens opus Veſtro etiam Illuſtriſſimo nomini inſcribamus. Videbitis in eo non ignotarum Vobis gentium, ſed ipſorum parentum veſtrorum ſtupendam in utroque genere pro legum & libertatis defenſione virtutem, digniſſimam, quæ tanto impenſa bono, eodem debito conſtantiæ ſuæ pretio quam proſperrime frueretur. Videbitis fidele ubique authoris nec aut odio, aut

ſtudio

ſtudio corruptum judicium, adeoque propenſum in meritas Naſſaviæ domus, Principisque ſpeciatim Mauritii, laudes animum, ut facile ſit eorum convincere errorem, qui falſis hactenus imbuti opinionibus, ea, quæ contra eundem Principem ſentire aliquando neceſſe habuit, alii quam legitimæ imputarunt cauſæ. Videbitis conſtantem ejusdem; nec temporum ullis, nec inimicorum labefactatum injuriis, ſed talem ad extremum usq; ſpiritum in patriam amorem, quali citra invidiam optari poſſe arbitramur, ne unquam aut libertas indigeat, aut exigat neceſſitas. DEVS OPTIMVS MAXIMVS, qui florentiſſimam hanc ex deſperatiſſimis illis initiis formavit Rempublicam, eandem Vos, ILLVSTRISSIMI ET POTENTISSIMI PROCERES, in omni concordia & juſtitia tanto cum ſucceſſu moderari faciat, ut non fortuiti caſus proſperitatem eam, ſed æquitati ſemper faventis divinæ benignitatis eſſe effectum omnes indigenæ ſentiant, omnes exteri agnoſcant.

AD EOSDEM PATRIÆ PATRES CORNELII & PETRI GROTII SCAZON.

AVguſte cœtus, gentis optimæ præſes,
Quam liberam ſuique juris aſſertrix
Iuſtitia fecit, nunc ſemel manumiſſam
Servet beatam, poſteriſque tranſmittat
Seris precamur: o Corona regnantum
Collegiumque quo potentius nulla
Adſpexit ætas, poſt Quiritium leges
Vni ſubactas, conſulumque vim fractam,
Recurrit ad vos, unde venerat pridem
Civiſque veſter, corporiſque pars veſtri
Dum res ſinebant, inde ad ultimum vitæ,
Qualem hic videtis, conditor ſtupendorum,
Quos rettuliſtis non ſemel, triumphorum.
Hoc in theatro, lacrymabili primum,
Mox lætiore, mille cernitis caſus,
Artes nocendi mille. Prodeunt iræ
Inſanientes, odiaque, & furens fulvi
Fames metalli, carnifexque non unus,
Laqueos & ignes, & (nefas inauditum)
Vivis parans ſepulcra. Sequitur a tergo
Armata tædis enſibuſque Bellona,

Vltorque

Vltorque Mavors non deeſt laceſſitis.
Hinc tot repente cladibus rubent amnes,
Vaſtantur urbes ignibus, probaturque
Satis ſuperque, per pericla, per mortes,
Periculorum funerumque contemtrix
Batava conſtans & ſui tenax virtus.
Talem ſub alta fabulæ ferunt Oeta
Crudele virus, ſanguinemque Echidnæum,
Omnes per artus, perque corpus Alciden
Senſiſſe totum, patrio antequam cœlo
Admitteretur. Per cadavera, & cædes
Itum eſt ad illud, quo ſedetis, o Patres,
Sublime culmen, conſtititque non parvo
Emerſa lacrymis luctibuſque libertas.
Hæc tanta tam miranda, charta non mendax
Ferroque, & auro, & ære fortior ſervat
Perennitati. Munus hoc damus vobis
Proles ſuperſtes filiique ſcriptoris,
Hoc etiam habete pignus integri affectus
Verique amoris Patriæque Veſtrique.
Et judicate cum legetis hæc, eſſe
Res tot ſtupendas ſæculis modo tali
Feciſſe primum, proximumque ſcripſiſſe.

PRodeunt tandem in lucem omnibus jam dudum ubique efflagitati Viri Illuſtris, Hugonis Grotii, Annalium Hiſtoriarumque de rebus Belgicis libri; tam ſublimi atque inuſitato orationis ſtylique cultu elaborati, cæterisque numeris omnibus abſoluti, ut excellentis ingentique literarum flumine inundati viri ſit, illorum incomparabilem dignitatem atque præſtantiam non æmulatione, quod vix fieri poteſt, ſed intellectu aſſequi. Et quanquam lubentes confiteamur, cætera quoque tot ac tanta omnigenæ eruditionis opera, quæ ab hoc inexhauſto doctrinæ fonte promanarunt, qualibet laude eſſe majora, ac ſeculorum memoria digniſſima, iisque jam illum jure optimo eſſe conſecutum, ut doctorum conſenſu rerum divinarum atque humanarum omnium ad miraculum usque ſciens, eruditionisq; princeps habeatur; hiſce tamen ſcribendis perficiendisque libris omnes cœleſtis atque immortalis ingenii ſui theſauros præcipue impendiſſe videtur; tanta in iis rerum actionumque arcana penetrans elucet ſapientia; tam naturalis, ſemper & ubique ſibi æqualis, ſermonis pulchritudo; tanta rerum pondera con-

conſtanter exæquans verborum majeſtas; tanta in concionibus, cum rebus, tum perſonis, ſupra quam dici poteſt, accommodatis, eloquentia; tam accurata denique diſpoſitio. Adeo ut pronunciare haud vereamur, omnium non modo laudibus, qui res Belgicas ſcribere ſunt aggreſſi, eximii hujus operis ſplendore tenebras obduci; ſed & ipſos antiquorum graviſſimos diſertiſſimosque, quibus, tanquam Hiſtoricorum dictatoribus, a tot jam ſeculis totus eruditorum orbis merito aſſurrexit, Saluſtios, Livios, Tacitos, & ſi qui hiſce annumerari merentur, brevitate, pondere, genio, flumine, pompa, in præſtantiæ vocari certamen; cum quæcunque in ſingulis optima atque cuique propria ſunt, hic beatiſſima divinæ naturæ ubertate, inimitabili quodam modo, in unum conjuncta conſpiciantur. Iſtam porro horum Annalium Hiſtoriarumque admirabilem dignitatem vehementer quoque exornat illa, pluribus rerum geſtarum ſcriptoribus adeo ſæpe falſo promiſſa, intemerata prorſus auctoris ubique in narrando fides; quam neque abruptus religionis ſuæ amor, neque tot ſcriptores transverſos agens partium ſtudium, non metus, odium aut gratia a vero unquam flectere potuit: neque efficere quominus ſociis, hoſtibus,

amicis,

amicis, inimicis nullo, diſcrimine habitis, unicuique pro meritis candide ſua perſolverentur præmia. Quicunque igitur hos libros leges, ac Populi Batavi ejusque gloriæ vere es amans, illi nobiſcum gratulare, quod, ſicuti omnipotentis ac ſupra ſpem ipſaque vota cœptis ſuis aſpirantis Dei auxilio, a tam exiguis initiis, invicta ſemper hoſtibus fortitudine, ad tantam magnitudinem atque majeſtatem provexit rempublicam ſuam; ita ejusdem divinæ benignitatis inæſtimabili dono incomparabilem hunc ſibi genuerit civem, qui tam ſublimi, ipſisque Atticis Romanisque Muſis digniſſimo charactere præclara incredibiliaque, pro aſſerenda avita libertate, domi, militiæ, terra, mari patrata ſua facinora æternitati conſecrarit. Nos interim neque ſumptui, neque labori parcentes operam dabimus, ut omnia egregii auctoris opera, edita ineditaque undique conquiſita, apte in ordinem digerantur, atque elegantibus typis deſcripta in manus hominum quam emendatiſſima perveniant. Vale.

S. CÆ-

S. CÆSAREÆ MAIESTATIS
PRIVILEGIVM.

FERDINANDVS TERTIVS *divina favente clementia, electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Carinthiæ, Carniolæ & VVirtenbergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium Univerſis, quod cum Nobis Noſter & Sacri Imperii fidelis dilectus* Petrus Grotius *humillime exponi curaris, Patrem quondam ſuum* Hugonem Grotium *diverſa opera tum in Eccleſiaſticis quam politicis ſcripſiſſe, partem etiam eorum in publicum dediſſe, daturum etiam reliqua, niſi fata invidiſſent. Cum igitur ipſe a compluribus requiſitus, omnia ejuſdem opera, in diverſos Tomos diſtributa, videlicet:* Tomo primo, Annotationes ad vetus Teſtamentum. Tomo Secundo, Annotationes ad Novum Teſtamentum. Tomo tertio continente diverſa Opuſcula Theologica, ut ſunt, de Veritate Religionis Chriſtianæ. Pietas Ordinum Hollandiæ. Eorundem Ordinum Decretum cum Notis. De ſatisfactione Chriſti, contra Socinum. Diſquiſitio, an ea Dogmata ſint Pelagiana, &c. De fato. De Cœna celebranda, ubi Paſtores non ſunt. Notæ ad Caſſandrum. Animadverſiones in animadverſiones Riveti. Votum Pacis. Diſcuſſio Apologetici Rivetiani de pace. Notæ ad Decalogum. De Fide & Operibus. De Anti-Chriſto. Appendix adverſus Borbintam. Conjecturæ de Gog & Magog. Tomo quarto Politica; Tractatus de Iure Belli & Pacis. Apologeticus Rectorum Hollandiæ. De Imperio Summarum poteſtatum circa Sacra. Oratio ſuper hac materia, Amſtelodami habita. Tomo quinto Iuridica; Introductio ad Iuriſprudentiam Batavicam. Florum Sparſio ad Ius Iuſtinianæum. De mari libero. Tractatus alii varii. Tomo ſexto Hiſtorica; Annales, & Hiſtoriæ Belli Belgici. De antiquitate Reipubl. Batavicæ. Obſidio Grollæ. Notæ ad Procopium. Diſquiſitio de Origine Americana. Tomo ſeptimo Philologica; Notæ ad Martianum Capellam. Ad Arati phænomena. Ad Lucanum. Ad Senecam Tragicum. Ad Tacitum. Tomo octavo Poëtica; Anthologia Græcorum Epigrammatum. Excerpra ex Stobæo. Excerpta ex Tragœdiis & Comœdiis Græcis. Tragœdiæ Phœniſſa, Electra, & Supplices. Tomo nono Poëmata Latina tam edita hactenus, quam nondum edita, cum Epiſtolis. *in inferioris Germaniæ Provinciis ſub uno typo & forma excudenda curare decreverit: Id autem cum operis & laboris tum ſumptuum, qui eo requiruntur, neque ipſe nec quivis alius in ſe recepturus ſit, niſi privilegio Noſtro prohibitivo munitus, quod nemo alius dicta opera intra quindecim annos in Sacro Romano Imperio recudere, vel alibi excuſa eodem venalia importare debeat: Atque idcirco demiſſe Nos rogarit, ut ſuæ hoc loci indemnitati privilegio Noſtro Cæſareo conſulere dignaremur: Nos ſane humillimis id genus precibus deeſſe nolentes, omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negociationem exercentibus firmiter inhibemus & vetamus, ne quis ſupra memorata* Hugonis Grotii *Opera per quindecim annorum ſpacium a prima editionis die computandum, intra Sacri*

Romani

Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum fines ſimili aut alio quopiam charactere vel forma, ſive in toto, ſive in parte recudere, aut alii recudenda dare, vel etiam impreſſa adducere, vendere, diſtrahere aperte, vel occulte citra voluntatem & conſenſum præfati Petri Grotii, *ejuſque hæredum præſumat. Si quis vero ſecus faciendo privilegium hoc Noſtrum Cæſareum ſpernere, negligere, violare, aut transgredi conatus fuerit, eum non ſolum hujuſmodi libris, perperam quippe recuſis & adductis; quos quidem ſupradictus Petrus Grotius hæredeſve ipſius ubicunque deprehenſos vel propria authoritate, vel Magiſtratus loci illius auxilio ſibi vendicare poterunt; de facto privandum, ſed & pœna inſuper triginta marcharum auri puri Fiſco Noſtro Cæſareo fraudis vindici, & injuriam paſſi ſeu paſſorum uſibus ex æquo pendenda, decernimus, irremiſſibiliter plectendum. Hac tamen lege, ne in dictis operibus aliquid bonis moribus, aut legibus Imperii contrarium aut noxium contineatur. Ac præterea declarantes, quod ſi quid in iiſdem doctrinæ unius veræ Salvificæ Catholicæ Romanæ Religionis adverſum contineatur, id nequaquam per hoc privilegium approbare, ſed in hoc pacis religioſæ placitis ſolummodo inhærere intendamus. Dummodo etiam prædictus Petrus Grotius ſive ejus hæredes ad minimum quaterna dictorum Operum exemplaria, vel pretium eorundem, quod in electione Noſtra erit, quamprimum ſuis ſumptibus ad Imperialem Cancellariam Noſtram ejuſdem deſtinato Taxatori transmittunt. Quod ſi neglexerint, hac Noſtra gratia & privilegio neutiquam gaudere poterint, ſed eo ſtatim privati, & exuti eſſe cenſeantur. Proinde mandamus Univerſis & ſingulis Noſtris & Sacri Imperii, Regnorumque & Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum ſubditis & fidelibus dilectis, cujuſcunque Status, gradus, conditionis, atque præeminentiæ exſtiterint, præſertim vero iis, qui in Magiſtratu conſtituti ſunt, ac vel ſuo, vel ſuperiorum ſuorum nomine & loco Iuris & Iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quenquam hoc Privilegium impune violare patiantur, ſed ſi quos doloſe vel contumaciter eidem contravenire compererint, præſcripta pœna plecti, & quibuscunque recte fieri poteſt modis coerceri curent, quatenus & ipſi graviſſimam Noſtram & Sacri Imperii indignationem ac eandem mulctam incurrere noluerint. Harum teſtimonio literarum manu Noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli Noſtri Cæſarei impreſſione munitarum. Datum in Civitate Noſtra Imperiali Ratisbona, die altera menſis Octobris, Anno Domini milleſimo ſexenteſimo quinquageſimo tertio. Regnorum Romani decimo ſeptimo, Hungarici vigeſimo octavo, Bohemici vero vigeſimo ſexto.*

FERDINANDVS.

V[t]. FERDINANDVS COMES CVRTIVS.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium

I. WALDERODE.

SVMMA PRIVILEGII
DD. ORDD. BELG. FOEDERATÆ.

C*Autum eſt authoritate Sereniſſ.* DD. Ord. Fœderatæ Belgicæ, *ne quis* Opera Hugonis Grotii, *omnia, vel aliquam eorum partem, citra voluntatem & conſenſum* P. Grotii *per annos quindecim imprimat, aut excudat; vel de alibi impreſſis in Fœderatam Belgicam inferat, atque divendat; ſub omnium librorum & alia inſuper pecuniæ mulcta, quemadmodum latius in diplomatis patet, datis Hagæ Comitis,* VI *Novembris Anno* CIↃ IↃ C LVI. *Signatis*

HANS van WYCKEL v^t^.

Ad mand. Ordd.

N. RVISCH.

Ex lege quam Cæſar, & Ordines Belg. Fœder. ſupra præſcribunt, ne quis præter Ioannem Blaeu privilegiis eorum utatur, fruatur, cupiens ego jus omne in ipſum tranſcripſi, Hagæ Comitis, die 25 Septembris, Anno cIↃ IↃ CLVII.

PETRVS GROTIVS.

SVMMA PRIVILEGII
DD. ORDD. HOLLANDIÆ
WESTFRISIÆQVE.

C*Autum eſt authoritate Potentiſſ.* DD. Ordd. Hollandiæ Weſtfriſiæque, *ne quis* Hugonis Grotii Annales & Hiſtorias de Rebus Belgicis, *per annos quindecim, quacumque forma aut in aliam linguam verſa imprimat; vel de alibi impreſſis in Hollandiam & Weſtfriſiam inferat atque divendat, citra conſenſum* Joannis Blaeu, *ſub omnium librorum & alia inſuper pecuniæ mulcta, ut latius in diplomatis patet, datis Hagæ Comitis,* 24 *Septembris A.* CIↃ IↃ CLVII. *Signatis*

I. CATZ. v^t^.

Ad mand. Ordd.

HERBERT van BEAVMONT.



HVGO GROTIVS,

Reginæ Regnique Suedici Conſiliarius, eorundemque ad Regem Chriſtianiſſimum Legatus ordinarius. quondam Syndicus Roterodamenſis, ejuſdemque Urbis in Conventu Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ Delegatus.

HUGONIS GROTII
ANNALIUM BELGICORUM,
Ab abitu Philippi regis,
LIBER PRIMUS.

SUMMARIUM.

Belgicæ ſitus & regimen. Belli Belgici prima cauſa. Inquiſitionis origo, adminiſtratio, infauſtus apud Belgas eventus. Philippus in Hiſpaniam diſcedens Margaritam Parmenſem Belgicæ præficit. Implacabile ejus in Belgas odium. Belgicæ regimen vocabulo penes Margaritam, vi penes Granvellam. Graves inter illum & proceres inimicitiæ. Philippus novos per Belgicam conſtituit antiſtites. Quibus Belgæ aliique ſe opponunt. Arauſionenſis, Egmondi, atque Hornani literis impulſus Granvellam e Belgica diſcedere jubet. Egmondus in Hiſpaniam miſſus ſpem vanam inde adfert. Rex in religionis diverſos immiſericorditer animadverti, ac Synodi Tridentinæ placita publicari jubet. Hinc magni ubique motus. Proceres pacem religionum procurare inſtituunt. Contra inquiſitionem fœdus pangunt. Fœderatorum ad Margaritam, ut edicta ſuper religione mutentur, preces. Geuſiorum nominis origo. Montiniacus & Marchio Bergenſis ad Regem mittuntur. Transmiſſa a Senatu Belgico moderandarum legum forma Regi diſplicet. Pontificis Romani imperia abnuentium tria per Belgicam genera. E vulgo erumpunt qui ſacra novo ritu peragunt. Templa per totam Belgicam violantur. Margarita veniam geſtorum nobilibus promittit, conciones plebi concedit. Arauſionenſis, Hornanus aliique offenſam ejus incurrunt. Interceptis ex Hiſpania ad eam literis omnes exitio deſtinantur. In medium conſulentes fruſtra in Egmondum oculos vertunt. Arauſionenſis miſſionem a republica urget. Conſilium ſuum ad Regem ſcripto complectitur. Hornanus ſuos ſe in penates abdit. Fœderati nobiles rem communem produnt. Præfecta conſcripto milite duces jurare cogit, hoſtes futuros quoscunque Rex deſignaſſet. Soli Arauſionenſis & Hooghſtratanus detrectant. Regis præſentia comprimendarum partium optimum habetur remedium. Rex moras nectit. Tandem conſtat Albanum cum exercitu mitti. Abit ad fratrem in Germaniam Arauſionenſis.

Bellum ſcribere inſtitui, noſtris temporibus nobiliſſimum, quod ſociale haud immerito dixeris; dum Hiſpani Belgæque, ſueti iiſdem imperiis populi, & iiſdem ſæpe in armis victores, inter ſe concurrunt: quanquam & civilis in ſpeciem tranſiit, inventis domi partibus, ſub Principis & legum

nomine. Regendi, ſeu pugnandi artes ſpectamus, nulla fœcundior exemplorum materies; nec unquam tam iniqua contentione tamdiu acriterque certatum. Iacta multo ante hoſtilitatis ſemina mireris, &, poſtquam auxit, vim & fraudes potentiorum, infirmorum deſperationem, nova fœdera, & intus iterum diſſidia, externas denique gratias infœliciter quæſitas. Quibus acceſſere reliquum in tempus oppidorum & caſtellorum expugnationes, infeſti exercitus, nonnunquam & prælia, maris curſus, longa obſidia, nullum belli genus ſine inſigni documento. Sed hæc palam viſitata ex quo firmatæ res partium, & cuncta in vim verterunt: facilius aſſequar, quæ & ipſe propiora habeo, & alii non item præcepere. Priora belli ſecretis incerta, caſibus turbida, claros ſcriptores jam habent, etiam Latino ſermone. Sed quando ſine his ne illa quidem ſatis intelligas, haud incongruens reor, tumultuum cauſas, & quæ initio abuſque interceſſere, ſupra repetere; ut brevi inſpectu, quid cuique conſilii cum eventu comparetur. Eſt ſane ea rerum geſtarum magnitudo, ut peregrina etiam ingenia in ſcribendi curam adverterit: ſed hoc nos magis adverſus patriam ingrati, poſterorum commodis invidi tenemur, ſi, quæ tanto propius datum cognoſcere, exactiori memoria fraudamus. Nam & noſtratium plerique ſcriptores vanis rumoribus & incompertis, ut quæque partium ſtudio vulgabantur, credulitatem legentium decepere: tum ſi cui vera noſcendi cupido, aut occaſio fuit, contentus & hic velut diurna componere. Mihi populi motus, & rebus præſidentium meditamenta, & unde provecta dominatio, ubi deſierit, aperire animus.

Belgicæ veteris ſitus & limites.
Belgarum origo, lingua:

Quæ gentes Rheni inſulam & utrinque adſita, ad fretum uſque Morinorum & Amaſium flumen, colunt, hinc ad Germaniam, inde ad Belgicam veterem pertinent. Sed Germanica pleriſque origo, & lingua: unde una cura belli & libertatis; donec commercia & ſuas artes Romani invexere, ſocii, aut victores. Manſit tamen armorum laus, ſub auxiliis interim, & per rebellionem exercita virtute. Poſt, ubi plurimæ nationes, velut ſigno dato, orbem Romanum irrupere, omnis hic tractus in jus Francorum conceſſit; donec ſciſſa potentia, pars penes Galliæ dominos, pars penes Imperatores Germanos adhæreſceret. Vtrique autem, præter civitates ſacrorum reverentia dicatas epiſcopis, cum primum Chriſtianorum nomen invaleſceret, quod longius ipſi aberant, præfectos dedere; qui regerent, tuerentur, comitum, ducum, aut ſimili vocabulo.

Comites, Duces.

Duces

Duces ad bellum miſſi vocabantur; quibus comites attributi rationes procurabant, judiciis præſidebant. Sed hi atque illi, ſua virtute, provincialium ſtudiis, regum ſocordia, vix credibile eſt, brevi quantum rem auxerint. Iam primum cunctis benefaciendo, ſibi auctoritatem & potentiam comparare; nec in bello audacia major, quam pace religio & æquitas erant. His artibus muniti, pro præfectura perpetuam atque hæreditariam ditionem obtinuere; quod eo facilius conceſſum eſt, quia ingruentibus bellis pericula cuncta promptius adituri erant, ſi res ſuas defenderent. Ea enim tempeſtate, maria & littora pene omnia Danorum & Normannorum claſſibus obſidebantur. Non multo poſt, metu aut gratia exempti clientelæ, aut fracta vi majoris dominatus, etſi imaginem retinebant, ſummum, ſed legitimum, imperium populi benevolentia ſtabilivere. Secreti principibus agri, vectigalia modica; ſed tamen ad dignitatem ſuſtinendam ſatis: nam avaritia, luxus, & quæ alia mala haud ita pridem invaluere, procul habebantur. Sola imperitandi libido aderat, antiquiſſimum malum. Hinc inter ſe, aut cum finitimis, perpetuo bellarunt, ſuo, non externo, milite: nam pro tutandis finibus certatim omnes excubabant; ſi ultra principem duceret gloriæ cupiditas, ne tum quidem impigre ſequebantur, ſpe laudis & præmiorum. Nobilitati a victoribus agri clientelares dabantur, oppidanis immunitas, ſua jura, leges, magiſtratus, munimenta libertatis: nec ante accepti in imperium ſucceſſores, quam munera hæc, quibus data erant, jurejurando affirmaſſent. Penes utrumque ordinem, nobilium & oppidanæ plebis, reipublicæ cura antiquitus fuit; quibuſdam in locis acceſſit tertius, ſacerdotum. Hi legationibus, ubi neceſſe erat, coibant: hi maximis de rebus conſulebantur; nec, niſi cunctis volentibus, indicere tributa, ſtatum qui erat rerum mutare, ne nummi quidem pretium novare, fas erat. Adeo cavebatur, etiam cum boni principes eſſent, ne malis fieri liceret. Munera publica nobiliſſimus & optimus quiſque, civium ex numero, adminiſtrabant; peregrini aula, curia, honoribus arcebantur. His moribus, atque hac republica diu æquo jure agitatum eſt. Inde paulatim exortæ ſeditiones florentes & divites populos attriverunt; donec per multas victorias, affinitates, pactiones, plurimæ gentes in Burgundionum ditionem conceſſere. Qui orti domo regnatrice, pugnaces, callidi, conari plurimum poſſe, primorum diſcordiis armare poten-

Hæreditaria illis conceſſa ditio.

Succeſſores privilegia jurejurando confirmabant.

Reipublicæ antiquitus adminiſtrandæ ratio.

In Burgundionum ditionem tandem conceſſere.

potentiam, his minari, dare illis, polliceri. Ita brevi cuncta eo vergere, ubi pœna & merces erant; promptumque promiſcuæ licentiæ vim deſtruere, egregio juris ordine, Francicum ad inſtar. Nam & ſuus cuique nationi ſenatus, & pluribus commune judicium Machliniæ imponitur; quo facilius unius civitatis ſpeciem acciperent. Abducti ab armis & cœtibus populi: Inſtitutum & collegium aureæ pellis nomine, quo adſcitos undique, qui genere illuſtres & meritis ſpectabantur, decus ſibi ac præſidium principes circumdedere. Ius populi inter has artes Ordines tuebantur, quos cunctis ex nationibus commune in concilium acciri, depletum bellis ærarium, aut quæ alia neceſſitas, ſæpe flagitabant. Eo miſſi fortia ſæpe pro republica, &, quod addebat audaciam, ut mandata loquebantur. Neque vero arces, aut pace miles, niſi pauca præſidia finibus extremis & Gallorum mobilitate ſuſpectis: ſimul adverſus ſubita trium millium equitatus, flos ipſe nobilitatis, quos popularium clariſſimi regebant. At nulla claſſis, cum privatarum navium copia, etiam improviſos ad uſus, ſufficeret. Transfuſo hoc fortunæ cumulo in Auſtriacam familiam, quanquam acceſſione Hiſpaniæ vis increvit, mitia imperantium ingenia potentiam temperando auxere; qua arte libertas, magis etiam quam vi, expugnatur. Nam in cogentes reſiſtendo creſcit ferocia, comitati & manſuetudini ultro ſubitur; donec corruptis licentia moribus, concedi ſolita imperantur, ex obſequio ſervitium fit. Interea abſtentæ ab armis plebi opificia & negotiandi commoda oſtentantur, augendorum vectigalium, & ut innoxii atque florentes privati cura publicum exuerent. Maximum incrementum Hiſpanica conjunctio attulit. Sed jam tum prudentiores, cum opes imperantium nimium prævaleſcerent, Hiſpanorum e moribus, quos bellorum commilitio inſpexerant, ac ſua diverſitate, mutationem reipublicæ formidine quadam augurabantur. Nam dum finitimæ gentes pari origine, ſtudiis iiſdem accreverunt, facile tum fraterno jure inter ſe agebant. Hiſpanis Belgisque diverſa pleraque, & quibus conveniunt acrius colliduntur. Bellica virtute cunctis a ſæculis utrique inſignes; niſi quod hi deſueverant, illi per Italicas & transmarinas expeditiones longa diſciplina & præmiis excitabantur. Sed Belgæ attenti ſane, & quæſtus ſtudio laborum tolerantes, pacem ideo & commercia expetunt; non tamen ut injurias ferant. Alieni nulla gens abſtinentior; ſua fortiter defendunt. Inde una orbis regione

Ius tamen populi tuebantur Ordines.

Belgica dominium in Auſtriacam familiam translatum.

E moribus Hiſpanorum mutatio reipublicæ prævidetur.

Belgarum Hiſpanorumque in moribus convenientia & diverſitas.

gione creberrimæ urbes, munitæque ad mare primum & amnes, paſſim poſtea, convenarum & ſobolis multitudine. Ita poſt depulſam ſeptentrionis rabiem, octo per ſæcula manſere externis armis invicti & indirepti. At Hiſpaniæ, poſtquam ſub diverſis victoribus multum de eorum moribus traxerat, tandem ad Gothos poſſeſſio rediit; quos, ex quo originis ſedisque miſcuerant ingenia, nobis priſci novique auctores deſcribunt, animi adverſus labores & pericula invicti, dubium gloriæ an opum avidiores, uſque ad aliorum contemtum ſuperbos, ſacrorum quidem venerabundos, & beneficiis haud infidos, ſed ultione adeo flagrantes & victoria efferos, ut in hoſtem nihil turpe ſit, nihil illicitum. Adverſa hæc Belgis, genti innocenter callidæ; cæterum Germaniam inter & Galliam, ut poſitu loci, ita moribus temperatæ; non extra amborum vitia, non ſine virtutibus. Haud facile fallas, haud temere inſultes. Nec divinorum cultu Hiſpanis olim ceſſiſſe indicio eſt, quod unanimes, ex quo Chriſtum ſemel induerant, non Normannorum armis adacti, ut profeſſionem mutarent; non ullo infecti damnato antehac errore, tantum pietati impenderunt, ut neceſſe fuerit ſacrorum miniſtris poſſidendi modum præſcribere. In univerſum utrisque inſitum colere principes, & admirari: ſed Belgæ leges ſupra putant, quo obtentu ſæpe turbatum. Caſtellani regnari amant aliquanto, quam nonnullæ Hiſpanorum gentes, addictius; & tamen, quantamcumque uſurpant ipſi libertatem, in aliis non ferunt. Maximum hinc periculum, quod veluti in duo imperia diviſa principum ſollicitudine, nec Belgæ gratia ſuperiorem ferre quenquam poterant, nec Hiſpani parem. Cunctis ſane populis, qui dominandi libidine aguntur, ubi prima ſucceſſerint, proximum, ſocias nationes ſuas ſub leges trahere, præfectos & judices dare, imponere tributa, ut communium virium penes ipſos uſus & arbitrium ſit. Ita tum Hiſpani, ſoliti Italiam regere, Americam perpopulari, in Belgas, qui principum ſucceſſione velut æquo fœdere coierant, jus idem, aut cauſam belli quærebant. Neque exciderant animo Adriani Florentii, qui mox Pontifex Romanus, ſancti quidem & probi, ſed Batavi tamen, invidioſa per Hiſpaniam auctoritas; Croïaci faſtus, & Cevrii rapaces manus, quos penes cuncta ſacerdotiorum, honorumque venalia, queis vix per arma vitatis, repoſituri vicem haud inique ſibi videbantur. Aſſentando igitur validiores irridere vanam imperii imaginem, ubi

Hiſpani Belgas ſub leges trahere volunt.

magiſtratus populi eſſet beneficium, ubi vix tenuem ad res magnas pecuniam principes eblandirentur. Fruſtra ſane trans mare Oceanum & trans mare Tyrrhenum terminos ferri, ſi dominis apud ſuos ſerviendum ſit. Nec tamen illos flexere, quos in Belgica eductos patriæ caritas, & nota gentis modeſtia devinxerant. Quanquam Carolus imperator de vertendo ſtatu, componendisque in regnum civitatibus ſerio conſultavit: præſertim ex quo Flandriam Atrebatesque, ab omni Francorum jure liberatos, victoriæ Ticinenſis habuerat pretium. Sed diverſis moribus, inſtitutis, legibus deterritus eſt; nec tollere audebat. Enimvero provincias Hiſpanorum facere adeo noluit, ut contra ſæpe teſtatus ſit, ſi illorum ſuperbia cum harum gentium patientia committeretur, periculum ingens imminere: increpito & filio, qui inter Hiſpanos nutrita indole, oportunitates harum regionum, ingenia populorum non perinde noſſet, aut etiam contemneret. Ipſe, æquus virtutum judex partitorque honorum, eundem omnibus populis principem agebat; haud diuturna paſſus, quæ novo regno uſurpata Hiſpani querebantur: Belgas vero præſens, ſi res ferret, aut per proximas neceſſitudines, curans. Ei, qui principis vices tuebatur, triplex conſiliantium claſſis aderat: uni conſeſſui permiſſum belli pacisque regimen; alteri legum cura, æquitatis temperatio, & in publicis nationum controverſiis judicandi poteſtas; tertio ærarii & principis opes, ac neceſſitates. Primum illum cœtum ex nobiliſſimis Belgarum componi ſolitum, rerum quoque tractandarum magnitudine eminentem, Senatum proprio nomine dicemus. At Philippus inter regna & adulantes acta juventute, ad hæc induta gravitate auſtera, parſimonia verborum, turbæ fuga, formatus Hiſpanorum ad mores, ne ſermone quidem alio adibatur. Pertracto igitur patre, ut privato otio ſenectam conderet, illum rebus imponere feſtinant; cui avita dominandi cupido, nondum experimentis repreſſa, haud facile finem aut modum patiebatur. Neque vero dubium eſt, quin pulcherrimum imperii inſtrumentum Hiſpanorum fidem ac virtutem crediderit. Quanta regiis ingeniis cupido incedat ſubruendi leges, quæ vim potentiæ infringunt, inſignes principum aut populorum ruinæ vetera ac nova documenta extant. Idem Philippi ſtudium quidam poſtea & Hiſpanorum populi ſenſere. Sed Belgæ (ita deſcriptas ante gentes ex majore ſui parte nominabo) fracti quidem jam ut pare-

Quid Carolum V. idem ſerio meditantem de eo deterruerit.

Triplex conſiliantium claſſis.

Philippi ingenium & mores;

Leges Belgicæ ſubruere ſtudet.

parerent, ſed violenti imperii ne tum quidem patientes, eo majore cum uſu frenum accepturi erant, quod egregiæ hinc occaſiones in proxima regna terra marique ſperabantur. Nec irarum ſemina aberant. Nam, cum Gallicum bellum, domeſtico certamine quam populi ex uſu, Philippus ſuſcepiſſet, conceſſa poſt cunctationes & ambages a communi Ordinum indictio, quaſi negare licuiſſet, præſcripta inſuper lege ut ipſi quæſtores tributo darent, apud inſuetum vel modicæ libertati in crimen trahebatur. Ex eo Conventus Ordinum, velut coitionem interpretatus, diſtricte inhibuit. Nec dubitabant Hiſpani offenſam accendere, obtritis legibus viam ad honores, pars & in rapinas affectantes. Prudentes ergo quanti eſſet uſus principes poſſidere, quorum præſentia ante ſubnixi Belgæ non ſe modo, ſed & Hiſpaniam ſæpe rexerant; firmata pace Gallicana, iter Philippo in Hiſpaniam, ceu potiora imperii, perſuadent: tum quia turbas in eo regno, & Turcam mari valeſcentem metuebat; tum ut Americæ theſauris propius incubaret. Etiam eo tempore nobilitas magnifica, dignitate eximia, ſed attritis opibus erat; ſuo luxu, an principum dolo, qui ſpecie honorum præſtantiſſimum quemque ſumptibus exhauſerant. Induſtria, comitate, ſolertia antcibat alios Wilhelmus, ſucceſſione Cabelloniæ domus princeps Arauſionenſium in provincia Gallica; ſed origo illi a Naſſavia, Germanica gente, quæ olim Auſtriacis æmula imperii certamine, deinde in victricis familiæ clientelam conceſſit. Prima hic ab infantia ſegregatus a patre, qui Germanicam religionem profitebatur, alumnus aulæ, intima apud Carolum admiſſione, belli ductu & maximis legationibus addidicerat regimen. Aderat antiqua gentis claritudo, poſſeſſiones per Belgicam ampliſſimæ, animus ingens & celans ſui, par animi magnitudini conſilium, & quantævis fortunæ capax; crudelitas & avaritia nullo ab ingenio longius abſuere: validus rerum etiam remotiſſimarum indagine, fidaque rerum omnium memoria; apud ſubjectos multis illecebris potens: præfecturam habebat Hollandos cum Zelandis & Trajecto. Ea autem poteſtas & juris & armorum, intra datos fines, curam complectitur. At Lamoralius, Egmondæ comes, Flandriam & Atrebates regens, apertior ingenii, & militariter ferox, multum rebus ſuis, multum famæ credebat; egregiis ad Quintini fanum & Gravelingam de Gallo victoriis laudem & gratiam meritus; niſi nimium imputaſſet. Hi duo cæteros

Iter illi in Hiſpaniam perſuadent Hiſpani.

Arauſionenſis proſapia.

Munia.

Poſſeſſiones.

Indoles.

Mores.

Præfectura.

Egmondæ comes Flandriæ & Atrebatum rector.

teros gloria & munere anteibant. Nam Brabantia proprio rectori non paret, communis imperii ſedes; cæteræ præfecturæ infra ſunt. Maris imperium, quod per ſe ſplendidum eſt, Mommorantius illuſtrabat, Hornæ comes, inclita Gallorum ſtirpe. Hos viros tantos atque tales amoliri Hiſpanis neceſſe erat, antequam Belgicæ potirentur; idque eo facilius factu videbatur, quia dum dignitati ſtudent, & cum Hiſpanorum faſtu concertant, magnam rei familiaris jacturam fecerant: itidemque primores reliqui, neutiquam pari opulentia; minorum autem gentium plerique luxu, aut inopi militia, etiam fidem conſumpſerant. Quibus illi anguſtiis non ex ſpe inimicorum continuo de potentia dejecti ſunt; ſed induſtriam & vigilantiam intendere, ut quovis modo dignitatem tuerentur: multi publica mala ſuis remedium, aut obtegumentum quærebant; parata diſſidiis turba, &, ut cuique plurimum ſpei aut deſperationis erat, in partes transgreſſura. Sternebant Hiſpanorum audaciæ gradum Belgarum inter ſe Procerum certamina, & diſcors ſtudiis nobilitas; dum pars Arauſionenſem, & quos jam diximus, alii domus diverſas ſectantur. At plebi odium belli, malorum tolerantia, amor quietis, honorum fuga, ſtudium omne circa mercaturam & convivia erat; ut quærerent pecuniam, prodigerentque. Sed hominem cædi & cruciari ob qualemcunque Dei cultum, etiam quibus ea crudelitas formidini non erat, miſerabantur: diu tamen inter gemitus & lacrymas dolor ſtetit, antequam rectorum artibus eliceretur. De ejus rei, quoniam armis cauſam apud aliquos, apud alios ſpeciem dedit, origine altius diſſeram. Chriſtianam religionem, ſola quondam ſimplicitate venerandam, mox aggregati diverſæ philoſophiæ profeſſores, ſuæ quisque doctrinæ placitis, tum Iudæi, Græci, alii, patriis cæremoniis inſtruxere; quo majeſtatem ſacrorum, haud fruſtra repertam, meliores ad uſus verterent. Sed hæc libera diu, & privato ſingulorum, aut eccleſiarum arbitrio ſumpta, paulatim aucto uſu, docentium facundia, conciliorum ſuffragiis in legem ac neceſſitatem mutata; ſubnaſcente temporum barbarie, perque cœcas diſputandi ambages facile defendebantur. Atque interim Romani Epiſcopi, maximæ ſemper auctoritatis, amotis Aſiæ Ægyptique urbibus, & æmulatrice Byzantio, regnum quoddam ſacrorum, ſibique ſummam imperii, Cardinales aſſeſſores, inde longam poteſtatum ſeriem ſtabiliverunt; detrectante nemine, quia ple-

Maris præfectus Hornæ comes.

Hos amoliri ſtudent Hiſpani.

Belgarum procerum inter ſe ſimultates.

Inquiſitionis origo, adminiſtratio, infelix apud Belgas eventus.

ræque Europæ gentes mores Chriſtianos miſſis Roma formatoribus acceperant. Hinc latini paſſim ritus, & in ſacris ſermo. At illi, poſtquam divina ſui juris fecerant, nova edere decreta, vetera interpretari, ſacros libros vulgi manibus excutere; perniciosum dictantes, ſi rei maximæ judicium indocta curioſitas acciperet. Ita promptum cuncta ſuos ad honores & quæſtum componere; ſacerdotumque licentia eo vitiorum deventum eſt, ut remediis opus & ipſi faterentur. Sed ſubita litterarum luce, quæ novo vulgandi reperto ſæculorum caliginem diſpulerat, exſtiterunt, qui ceteris cum artibus purgare religionem polliciti, res cunctas ſacrarum ad litterarum teſtimonia revocarent. Gratum id populis, qui ſumtuum & injuriarum pertæſi, ſimul gaudebant, quod non anxia formidine, cœcove obſequio, ſed fiducia majore, ac paucioribus præceptis ſperare cœlum jubebantur. Ne principibus quidem nolentibus erat infringi ſacerdotum potentiam, quæ jam & regale faſtigium ſibi ſubjecerat. Sed ubi conſpectum eſt, non hærere manum vulneribus, ingenia turbida intercurrere, quæ nihil quietum paterentur; publice impetranda privatim ſumi, jamque inter ipſos diſcordiam, nec eſſe qui judicio componeret; quamque non facilis convelli illa tot ſæculorum compages, diſplicuit incompoſita rerum facies; ut ad coërcendos plebis animos non idem valitura. Iamque reſuſcitata Huſſi per Germaniam, Wiclefi per Britanniam, Valdenſium per Galliam placita, inde in Belgicam transmota, conventu incolarum, contactu externi militis, commerciis denique vulgabantur. Cæterum plurimas impias atque nefarias ſectas inducta ſemel mutandi licentia invexit. Nec aliam fuiſſe terram id genus monſtrorum per hæc tempora Belgica feraciorem, facile crediderit, ſi quis probroſas in Chriſtum Davidis Delphici, & ſeditioſas Ioannis Bucoldi Lugdunenſis ſententias penetraverit. Quorum Batavus uterque, cœleſtis afflatus ſimulatione, vitrorum ille pictor, vitam haud inopem ſectamque ſibi ſuperſtitem paravit: veſtium concinnator alter, regnum apud Monaſterienſes, & bellum, quanquam infœlici exitu, molitus eſt. Sapientiſſimos ego principum comperio in diverſos religionum, pro magnitudine erroris, pro numero peccantium, remedia conſtituiſſe. Vbi vires æquaverant, geminæ interdum ſectæ in publicum accipiebantur, acri legum cuſtodia, nequid eo obtentu turbarent. Alias, quos auditos Imperator & concilium

David Delphicus, & Iohannes Bucoldus.

lium damnaverant, ejecti templis, aut, ſiqua ſuſpicio gravior, etiam privatis cœtibus arcebantur. Nec illos plane damnaveris, qui prava & moribus noxia docentes, exilio, aut honorum facultatumque ademtione, mulctaverunt; donec paulatim melioribus aſſueſcerent. Sed penes magiſtratus id judicium, qui tali cognitione non ſuas injurias exſequebantur. Sacerdotibus permiſſum, imprudentia devios corrigere, & ſacrorum participatione arcere: tum vero legitimus cognoſcendi ordo, facta arguebantur, cogitata impune erant. Sed in ſanguinem ſævire eorum, quos Dei communis & imperantum reverentia teneret, epiſcopis inhumanum, nec principibus tutum videbatur. At Romani Pontifices, ſenſim eo egreſſi, ut jus ſolertia partum terrore munirent; quæ principes, formidini ſuæ nimium faventes, in perduellionis reos dura atque acerba conſtituerant, eadem voluere in eos, qui decretis ſuis obluctarentur, ut Deo rebelles, uſurpari. Nec tantum epiſcopis injunctum ſuam ditionem luſtrare, ſed & mos ipſis, quo viſum inſuper mittere quæſitores ampliſſima poteſtate; quæ res initium cepit ferme ante hos annos quadringentos. Hi adſeſſores ſibi pro arbitrio adſciſcere, quoſvis, quacunque in poteſtate conſtitutos, ſacramento interrogare. Ea arte non domuum modo, ſed & animorum arcana penetrantur, cum ut quisque perjurii metuens, ita ſe maxime prodat. Quanquam & alias latere vix poſſunt, quibus ante divum ſimulacra, panemque ſacratum in templo, aut ubi publice circumfertur, procumbere religio eſt. Suſpicio ad carcerem, indicium leve ad torquendum ſatis. Nec ſaltem teſtes audire reo, aut refellere, conceſſum; quaſi teſtibus ipſis ac veritati inde periculum foret. Iudicibus profanis permiſſum, duntaxat ſacerdotali ſententia damnatos punire, quorum multi ſuppliciorum ſævitia, velut pietate, certabant. Alii, qui providerent iſtum judicandi ordinem, non odiis tantum, ſed & avaritiæ patere, (quippe cum bona fiſco cederent, nec ſine quæſtu delaturæ exercerentur,) eripi ſibi notionem non ferebant. Sed omnium acerrime per Hiſpaniam quæſtiones habitæ, electis ei miniſterio monachis e Dominici familia, veteri inſtituto adverſus Hebræos & Mauros, qui, coacti a regibus Chriſtianos ritus ſubire, ad ejuratos errores furtim relabebantur. Quod primo haud ingratum barbaricarum gentium odio, inde promiſcue cunctis incubuit, mira indagandi ſagacitate; cuſtoditi quippe ſermones, etiam ſilen-

ſilentium, fallaces amicitiæ, & a latere accuſator; ut jam facile appareret, neminem eſſe tam innocentem, qui illis invitis poſſet ſalutem & dignitatem tueri. Quod non ad invidiam auctum, ſed ex vero tradi, haud diffitebuntur, qui audierint in Hiſpania, & per omnem fere Italiam, graviſſimos motus, ejus inquiſitionis cauſa, ab hominibus Romanæ eccleſiæ addictis, quin ipſa in urbe Roma, excitatos. In Belgica de religione primus omnium Carolus edixit, poſtquam auditum in Wormatienſi Germaniæ conventu Lutherum damnaverat. A mulctis ad ſanguinem ventum eſt, ob judicum lenitatem repetitæ ſepties, & intentæ leges. Cautum inter cætera, ne qui libri, niſi Lovanienſibus magiſtris laudati, in vulgus exirent; eorundem ad præſcriptionem juventus inſtitueretur. Qui de litteris divinis diſſertaſſent, privatis cœtibus ſacrorum cauſa interfuiſſent, in viros gladius, in fœminas ſub terram defoſſio ſtatuitur, publicatis bonis, ita tamen, ſi prius culpam agnoſcerent; nam in pervicaces flammis vindicabatur. Etiam ſi qui falſæ opinionis deprehenſi, cætera inſontes, reſipiſcerent, ab omni dignitate arcebantur. Qui hoſpitio juviſſent, & qui non indicaſſent, nocentum pœnis ſuppoſiti; contra, excitandis delatoribus, impunitas & præmia. Multa in ſuſpectos & profugos acria, ſæviora in relapſos; territique pœnis judices, ne ſpecie miſerationis leges inflecterent, etiam inquiſitoribus, quos Cæſar mandatis inſtruxerat, auxilio eſſe jubebantur. Sola Antverpienſium civitas, quam egregie cum obſequio temperata libertas ad ſummas opes evexerat, auſa conqueri Germanos ac Britannos, bonam commercii ſui partem, iſta edicti ſeveritate fugari, obtinuit, ut advenæ paulo laxius haberentur, & ne ſua in urbe valeret pars illa edicti, qua alienationes & teſtamenta delinquentium, etiam ante judicium, reſcindebantur, ingens mercaturæ turbamentum. Ea jura dictata ab ingenio alias non immiti, quo minus miremur, vis religionis facit, diſſentientis impatiens; quæ, cum molliendis fœderandiſque animis valere deberet, facta eſt, humanæ imbecillitatis vitio, acerbiſſima odiorum materia. Ad hoc, pleriſque tum principibus infixum, unum reipublicæ corpus una religione velut ſpiritu contineri, ſacriſque, ut humanis legibus, ita optime conſtare rationem, ſi multitudini non reddatur. Quo facilius Cæſari, poſt Germanica exempla, perſuaſum, proculcata ſacerdotum reverentia ne ipſi quidem manſurum obſe-

obſequium, brevique pœna opprimi poſſe virus, quod alimentum haberet licentiam. Sed contra eventus fuit, effecto ut perirent multi, plures ſuccreſcerent. Ea nimirum, quæ corpore exercemus, mortis & cruciatuum metu, vi atque imperio obnoxia ſunt; verum animus, ut eſt liber & immortalis, ſi quid per ſe arripuit, non ferro, non igne eviceris: quin ipſa invitant pericula, beatumque & glorioſum habetur, extra ſceleris conſcientiam crudelia atque inviſa perpeti; cui rei documento ſunt & veteres Chriſtianorum res, & hæc tempora. Nam poſt carnificata hominum non minus centum millia, ex quo tentatum an poſſet incendium hoc ſanguine reſtingui, tanta multitudo per Belgicam inſurrexerat, ut publica interdum ſupplicia, quoties inſignior reus, aut atrociores cruciatus, ſeditione impedirentur. Atque hæc moverant Hungariæ reginam, quæ fratris Caroli juſſu Belgicæ præſidebat, ipſum in Germania adhuc hærentem coram accedere, & edocere, in quantam ſtragem proceſſiſſent illa, quæ remedia dicebantur. Queis Philippus nihil territus, patri cœpta inſtantius urgebat, aſperatis edictis, aliaque remedia moliendo, quæ vetuſteſcens malum opprimerent. Cauſa, ſupra communes alias, hæc proprie conjectari poteſt, quod ipſe Pontificis Romani auctoritate ad res multas uti ſtatuerat. Nam cum is regna dono dare, jus, fas, æquum ex uſu temperare, conſenſu tot gentium obtineret; dum ipſum obſequio, proximum quemque largitionibus ſuum faceret, fiduciæ atque obtentus in hoc abunde videbatur. Tum vero ſuis ipſe paterniſque experimentis didicerat, quam grave eſſet illam potentiam habere adverſam, a qua veniam etiam bello victores precantur. Is erat rerum ſtatus, hi populi mores, cum Philippi regis diſceſſu de ſumma præfectura certatum eſt. Non erant infra hanc ſpem Arauſionenſis & Egmondus, ſed omiſſus uterque hoc obtentu, ne, prælato altero, perpetuis ſimultatibus diſtraherent Rempublicam. Tum inter fœminas ambigebatur, Chriſtiernam, cui maritus fuerat Franciſcus Lotharingiæ dux; avunculus Carolus Cæſar; & Margaritam, quæ ipſi Carolo extra conjugium nata, Alexandro primum Medicæo, inde Octavio Farneſio Parmenſium duci nupſerat. In Chriſtiernam promota Arauſionenſis & Belgarum ſtudia, ſed contra tendebant Ferdinandus Alvares Toletanus Albæ dux, & Antonius Perenottus Granvella Atrebatum antiſtes; quos patri individuos quondam

Philippus inquiſitionem inſtantius urget.

Arauſionenſi & Egmondo ſumma negatur præfectura.

dam

dam rerumque maximarum miniſtros eodem honore Philippus amplectebatur. Albanus Hiſpanorum genere inter primos, multis in locis ſummus armorum arbiter, inſignes Cæſari victorias, ſibi inclitum nomen paraverat. Perenotti pater Nicolaus Burgundus, quanto ortu humili, tanto obſequiis promptior, pervigili induſtria, artes aulæ, conſiliorum arcana, ſigillum Cæſaris adeptus, functusque per annos viginti, eadem filio reliquerat. Sed ut Albani ferum ac ſuperbum, ita ſubdolum Perenotti ingenium, dum Principis magnitudini ſtuderet nihil ultra penſi habentis, totidem gentes, quot utrumque novere, incuſant; præcipue Germani, qui Landgravii vincula non aliis imputantes, amborum potentiam inter præcipuas belli cauſas prætulere. Horum ubi in ſententiam de Margarita Belgicæ præficienda itum eſt, quamvis haud aberant ſpecioſæ conſilio cauſæ, ſanguinis qualiſcunque vinculum, & fidei obſes maritus, in urbe Hiſpanis arcem tenentibus obnoxia; offenſos procerum animos abitus regis, non minus ipſis ſuſpectus, quam plebi triſtis, accendit. Iſque præcipuus dies Philippo ſollicitatæ libertatis, aut Belgis contumaciæ in Principem fuit. Nam cum diſceſſurus Hiſpanorum ſupra ter mille præſidium vellet relinquere, tanquam tuendo adverſus Gallos limiti; revera ut auctam bellis externo contactu religionum licentiam ſuo arbitrio compeſceret; Arauſionenſis & Egmondus, quos leniendæ invidiæ cohortibus rectores deſtinabat, detrectavere munus ut inimicum legibus: & in ipſo abitu Principem rogavit Ordinum conventus, quos tantum ad valedicendum convocaverat, amoliri vellet inviſum militem, addito monitu, ne ad Belgas regendos, aliis quam Belgarum conſiliis uteretur. Conditum inde odium hoc implacabilius, quod ingruentem dominationem, & imperii artes intellexiſſe videbantur: ſed palam aſſenſus; nam & Gomeſium Figueroam Hiſpanum Feriæ comitem, pridem in id deſtinatum, Senatui Belgico miſcere abſtinuit. Alebat iram diſſimulando, & jam tunc vindictam animo verſabat. Et ille quidem, dum alienos per fines ire dedignatur, mari vectus, amiſſa claſſe, vix ſæva inter pericula incolumis portum Gallæcum attigit. Miles aliquanto poſt manſit, immodeſtus & gravis, donec ad Gerbim (Menynx eſt veterum) in Turcas male pugnato, ut Belgæ interpretabantur, non ſuam in gratiam, ſed in remedium cladis abductus eſt. Interim Belgicæ modera-

Albæ ducis & Granvellæ genus, mores, munia.

Ex horum ſententia Margarita Belgicæ præficitur.

Philippus contra leges Hiſpanorum militum præſidium apud Belgas relinquere ſtatuit.

Odii ejus in Belgas implacabilis cauſa.

Amiſſa claſſe in Hiſpaniam venit.

Miles aliquanto poſt abductus.

Vis regiminis penes Granvellam.

deramen, vocabulo penes Margaritam, vi penes Granvellam fuit; in quo induſtria, vigilantia, ambitio, luxus, avaritia, bona malaque omnia excellebant. Nec ipſi tamen plus in ſua prudentia ſubſidii, quam in aliorum omnium ignavia fuit; qui luxu marcentes tempora transmiſerant præſentis potentiæ, cui olim adultæ non ſine periculo occurreretur. Is igitur callidus illigare principem conſcientia ſecretorum, & clientes erigens, legationum intima, litterarum notas, & quæ per exploratores noſcebantur, in ſe traxerat.

Hornano cum illo veteres inimicitiæ.

Hornano veteres cum illo inimicitiæ, primum per Lalænium, quem ſororis Hornani maritum male obitæ legationis crimine ille aſperſerat: deinde, quod Geldriæ præfecturam valde ambitam Hornanus, illo intercedente, non obtinuerat. Arauſionenſi adhuc non alienum ſe tulerat, ſubſidium in eo dignitati ſuæ ſperans, ſed, qui mos ambitionis, hactenus, ne nimium inſurgeret. Quam ob cauſam, cum creandi Antver-

Arauſionenſis Egmondum, pluresque aurei velleris ſodales, in Granvellam exſtimulat.

piæ eſſent magiſtratus, illius abſentiam captarat. At Arauſionenſis, qui nihil minus ferre poſſet, quam inanem honoris ſpeciem, unumque hominem, peregrinum, & ignobilem, non ſine ſua atque aliorum contumelia, rerum omnium potiri, Egmondum, qui forte tum injuriam ſe a Granvella accepiſſe judicabat, oſtentata ſibi, nec præſtita, Heſdini præfectura, & Trullenſi abbatia, quam Egmondus agnato petebat, per illum intercepta, verbis exſtimulans, plures inde aurei velleris ſodales, collegas ſuos (nam hi eo tempore ſæpius coibant a Margarita exciti, ut ſuper muniendis finibus ſententiam promerent) traduxit in partes, velut ad ipſos non

Adverſus illos ſibi adjungit Granvella Barlamontium, Viglium aliosque.

minus id dedecus pertineret, quorum conſiliis principes res olim feliciter maximas expediſſent. Poſt quæ tres illi proceres vitare Antonii congreſſus, ubi in Senatu pariter adſederant, manifeſti diſcordiæ. Nec impiger Antonius, intendere vires adverſum potentes & in vulgum gratioſos: adjungere ſibi beneficiis homines induſtrios: inter quos erant Carolus Barlamontius & Viglius Zuichemus, pars & ipſi Senatus: adhoc, ille rei quæſtoriæ ſummus curator, hic Friſo haud magna

Ad publica factionis erumpitur inſignia.

domo, ſed clarus rerum multarum peritia, conſeſſus juridici princeps erat. Qui cum ſecreto inter ſe commearent, & arcana componerent, exulceratum ſuſpicionibus odium ad publica factionis inſignia erupit.

Philippi juſſu, novi antiſtites per Belgicam renuntiantur.

Iam ante abitum Philippus, quo ſacra rectius ordinaret, a Paulo Quarto Romano Pontifice obtinuerat, ut ſuæ per Belgicam regiones externo-

rum

rum antiſtitum curæ eximerentur. Nam Agrippinenſium & Remorum archiepiſcopi, quæ olim principes, iſta Germaniæ inferioris, hæc Galliæ Belgicæ civitates fuerant, ex veteri diviſione nihil ferme præter nomen uſurpabant. Igitur horum reciſa juriſdictione, ſimul Leodicenſi, Taurienenſi, Oſnabrugenſi, Monaſterienſi, Paterbornenſi epiſcopis parte ſuæ inſpectionis exutis, intra Burgundicas ditiones ſuperioris gradus tres, Machliniæ, Trajecti Batavorum, & Cameraci, antiſtites renuntiantur: hos infra alii complures, quorum in finibus Brabantiæ ſedes Antverpia, & Silvaducis, Geldriæ Rurimunda, Flandriæ Gandavum, Ipra, Brugæ, Hollandiæ Harlemum, Middelburgum Zelandiæ, Transiſulanorum Daventria, Atrebatum quoque urbs cum Fano Audomari, inde Namurcum, Gruninga, Tornacum, urbes regioni ſuæ cognomines. Vetus quidem hoc, nec raro Pontificibus uſurpatum ob populorum incrementa, & quo ſacra hoc facilius curarentur, novas ponere antiſtitum ſedes, demto onere, quo alii gravabantur: captamque olim Principibus Auſtriacis curam Carolus alia agitans intermiſerat. Sed cauſæ tum repetendi conſilii pæne omnibus inviſæ: unam, quo plures eſſent ac propiores, qui in mores ſacerdotum & deviam plebem inquirerent, ipſi auctores palam prætulerant, queſti gliſcere mala neglectu aut diſſimulatione curantium: altera Granvellæ artibus imputabatur, qui & pontificium Machlinienſe, & cardinalem dignitatem Roma acceperat: pleriſque futurum augurantibus, ut, quando in Ordinum Belgicorum conſeſſu ſacerdotes antiquitus jus ſuffragii prærogativum habent, ipſe ejus numeri princeps, quique alii ejus opera allecti (nam Regi jus epiſcopos nominandi, ſibi retento probandi jure, Pontifices conceſſerant) tacito cum Hiſpanis fœdere opprimerent libertatem. Cum reditus epiſcopis ex monaſticis poſſeſſionibus addicerentur, primi ſe huic inſtituto objecere Abbates, cujus ordinis eo tempore liberrimæ voces erant, non admiſſuri opum & potentiæ ſubſeſſores. Socii his Brabanti per libellos commendare principi leges, queis cautum, ne invita plebe & nobilitate ſacerdotia augerentur. Acceſſere multa jus profitentium reſponſa, irreligioſum convelli pias liberalitates, & ſuprema morientium judicia & donata verti in quod non ipſi dederant. Et veterum antiſtitum nonnulli, præſertim Leodienſis, circumventum Romanum Pontificem clamitantes,

Quod omnibus pæne inviſum.

Abbates ſe opponunt:

Brabanti ſe ſocios dant,

Et veterum antiſtitum nonnulli.

tes, jus ſuum pertinaciter perſequebantur. Aliæ igitur urbes novos antiſtites non accepere, & qui admiſſi erant, inviſi omnibus, nec ſine ludibriis agebant. Conſentiente Belgarum in Granvellam odio, commodiſſimum ſuis publicisque rebus proceres judicabant, Ordinum Belgicæ conventus haberi. Igitur quoties de ærarii paupertate (nam & pediti & equiti mercedes multæ debebantur, & retentari apud exteros ob publica debita mercatores cœperant, & exitura jam erant promiſſa in novem annos tributa,) aut de ſeditionum metu querelæ inciderant, laudare morem vetuſtum, de quo nunquam male ſentirent boni principes. Quid autem nunc mirum complorata omnia, quando unicum cunctis malis remedium deterrima aſſentatio eriperet? Regerebat adverſa factio, parum ipſos diſſimulare quo tenderent odiis in hominem plusquam vellent Regis ſtudioſum: egregios ſcilicet Philippi miniſtros principes poteſtati æmulam quærere alteram. At quos eos fore, quibus novato rerum ſtatu cuncta obedirent? Abbates nimirum privati commodi cauſa offenſos, nobilitatem ipſis obnoxiam, cæteros profanorum rituum contactu ancipites, Ordinum ſpecie. Ita modeſtiam hinc & obſequium, providentiam inde periculorum & avita jura, virtutum vocabula, ſimulantes, pro ſua quisque magnitudine certabant. Etiam litteras tres iidem, quos diximus, ad regem componere auſi, pernegabant exitium publicum averti poſſe, ni Perenottus odioſa potentia dimoveretur; petita & ſibi ſenatorii muneris vacatione, cæterum pro ipſius imperio, ſororis dignitate, Romanæ religionis tutela, large pollicentes. Acceptoque Philippi reſponſo, benigno in ipſos, ſed inſolitum ſibi, miniſtros niſi dijudicata cauſa depellere, quare ſi reditus ſuus exſpectari non poſſet, cujus ſpem faciebat, velle ſe alicujus ipſorum adventu propius de re omni cognoſcere. Inſtant iterum: nec enim ſe in crimen cujusquam inſcribere, ſed quod officii ſui crederent, ejus principem ſimpliciter monuiſſe. At quam non falſo, imminens inde periculum ſe tacentibus loqui: quanquam & ita ſe natos meritoſque, ut non minus fidei litteris ſuis, quam verbis ſperarent, nunc quidem maxime, cum rectorum abſentiam præfecturæ cujusque vix ferant. Permovere hæc Regem, ut tempori cederet, ſecretaque Granvellæ, quem & Præfecta ipſa gravari cœperat partim ut inſpectorem, partim ut odii publici contage ſibi noxium, mandata abſcedendi in Bur-

Belgarum contra Granvellam querelæ.

Arauſionenſis, Egmondus atque Hornanus repetitis literis Regi ſuadent, ut Granvellam odioſa potentia dimoveat.

Granvella diſcedendi mandata accipit.

Burgundiam daret: ſed ipſe vitam ſuam petitam inimicorum inſidiis, eo digredi vitandi periculi cauſabatur. Denique Belgas in univerſum metu reditus ſui ſollicitos, paucos ejus ſpe ſibi addictos, tenuit; donec longius Romam, ſponte an juſſus, abiit. Tum illi, qui emanſerant hactenus, Margaritæ precibus in Senatum revocati, quo ſe omnibus probarent, ſummam incipiunt diligentiam rebus advertere; aliorum non magnus uſus. Regis quoque, offenſas diſſimulantis, laudes & gratiæ in ipſos eo quæſitiores, quo magis volebat mali ſenſum avertere: planeque pro victoribus agentes, rationes publicas & ad leges pertinentia in ſe traxerant; Senatus ajentes ſummum eſſe arbitrium, eique conſeſſus alios miniſterium, & obſequium debere. Sed quæ paucorum dominatum comitantur vitia, ea & tum brevi adoleverunt: fiſci neglectus, validas inter diſcordias remiſſa juris auctoritas, flagitia inulta, honores pro beneficiis dati, ſive omnium gratias captantibus multa ambitioſe facienda fuere, ſeu mala nunquam vitata ſemper famam potentium onerant. Minus & de religione diſſimulabant, facilius eam perſuaderi, quam cogi poſſe; comperto tandem alimenta morbi facta, quæ remedia crederentur: quod populari auræ dederint, an ſuo ipſi ingenio a ſævitia alieno, aut etiam quod ſub inquiſitionis tegumento latere ſervitutem, & fortiſſimo cuique periculum ſuſpicarentur, in medio relinquam. Hoc quidem conſtat, & ipſos a Romanis cæremoniis non diſceſſiſſe, &, qui horum conſiliorum princeps erat, in ſua Arauſionenſi ditione nihil paſſum in ſacris immutari. Hæc ſuper, aliisque gravibus de cauſis, miſſus in Hiſpaniam Egmondus regiæ voluntatis explorator, honore, donis, quantis ante nemo, excipitur, multaque Philippus de ſuo in Belgas affectu teſtatus, & eos quo minus reviſeret Turcico ſe bello diſtineri: ſpem quoque nonnullam fecerat, poſſe de ſententia Antiſtitum edicta hactenus temperari, ne ſectarum licentia aut pœnis, aut impunitate excitaretur; reipſa totus in duriora conceſſerat. Nam cum primum in Hiſpaniam advectus multos illic reperiſſet, & Iſidoriani cœnobii præcipuos, de recepta doctrina ac ritibus ſequius ſentire, viros ingenio, fœminas ſanguine nobiles flammari juſſiſſe non contentus, ut læta oculis uſurparat: quo terrore compreſſis diſſidiis, eundem in Belgica exitum putabat ſibi judicum ſocordia invideri. Quin hoc ipſo tempore miſſa Bajonam uxore Eliſabetha, 1566.

Quo amoto, proceres ſummam diligentiam rebus advertunt.

Rationes publicas & ad leges pertinentia in ſe trahunt.

Religionem facilius doceri, quam cogi poſſe, aſſerunt.

A Romanis cæremoniis interim non decedunt.

Egmondus in Hiſpaniam miſſus ſimulata mente excipitur.

Philippus ſpem illi facit, poſſe edicta circa religionem temperari.

Eodem tempore Bajone cum Galliæ Rege exſtirpandis ſacrorum novatoribus mutuam opem firmat.

Egmondus ad ſuos redux ſpem vanam attulit.

1566. Caroli Gallorum Regis ſorore, unaque Albano,quo & Carolus, & mater Medicæa ad colloquium convenerant, exſcindendis ſacrorum novatoribus mutuam opem arcanis pactionibus firmaverat. Simile fœdus poſt pacem Cameracenſem Henrico & Philippo initum, idque ſibi in Gallica legatione, cum forte venatu decurreret, imprudentia Henrici Regis apertum, Arauſionenſis ſæpe aſſeruit; teſtatus jam tum conſilia ſe metuiſſe, quæ celabantur. Vix rediens Egmondus ſpem vanam attulerat, cum ſecutæ Regis litteræ, judicia læſorum ſacrorum per inquiſitores, additis e numero judicum adſeſſoribus, immiſericorditer exerceri imperantes, &, quanquam Viglio & cum eo nonnullis diſſuadentibus, ſtatim vulgatæ omnium animos movere: nec ſegnius Synodi Tridentinæ placita publicari. Eo in conventu nihil eorum in doctrina aut ritibus emendatum, quorum cauſa totæ nationes a Romana eccleſia deſciverant: tantum in ſacerdotum mores inſtituta cenſura, hos ipſos offendebat, nec illis medebatur. Erat ſane corruptiſſima in Belgica eorum vita, qui ſacro miniſterio electi, nihil ejus præter nomen & reditus obtinebant: nec alii acrius decretorum evulgationi intercessere.

Brabanti inquirendi morem patriis adverſari legibus contendunt.

Vulgus ab eo præcipue abhorret.

Ad Regem ſumma religionis, quæ hæreſeos accuſabatur, transmiſſa.

Georgius Caſſander & Franciſcus Balduinus, qui moderata ſuaderent, ab Arauſionenſi acciti;

Paritum quibuſdam in locis, ſed adſcripta exceptione, in quam Philippus adſenſerat, ne quid juri cujuſquam derogaretur; quod ob patrocinia in eccleſias, & jurisdictionum terminos, additum. Vlterius Brabantorum vox libera proceſſit, quorum urbes, mox & ipſe ejus nationis Senatus, haud reticuere, irrepentem altius indies inquirendi morem patriis ſuis legibus adverſari, quibus judicia ordinarentur, & quæ ſacerdotalem notionem certis finibus includerent. Horum inde conſtantiam ſecuti alii. Sed præcipue vulgus terribili rumore Hiſpanicam inquiſitionem differebat, cujus quanquam manifeſta apud Regem auctoritas, uſusque in regnis omnibus, & exemplum, ut ſalutare, Galliis commendatum, nomen tamen in Belgica anxie vitabatur. Fuere qui ad Regem eo tempore perſcriberent ſummam ejus diſciplinæ, quæ hæreſeos vocabulo male audiebat; ne tam profanam, atque inteſtabilem crederet, quam procul, & ab infeſtis fingeretur. Per Arauſionenſis induſtriam acciti & qui moderata ſuaderent, gnari antiquorum, Georgius Caſſander, & Franciſcus Balduinus Atrebas; hujus quidem & oratio exſtat haud inelegans, ad uſum impetrandum validæ jam, ſed inturbidæ religionis. Id commerciorum, id pacis intereſſe: an

an & Iudæis illos inferiores, quibus emendam rituum impunitatem Pontifex ipſe concederet. Quæ poſtquam irrita fuere, pars pœnæ metu, alii rerum novarum cupientes, ſermones ambiguos jactare, libellos proponere, tentamenta vulgi: Germanos religionis vindices ex bello jus æquum retinere; ejectam rurſum Britannia latinam ſuperſtitionem, ejectam eandem apud Danos & Sueonas; ne in Gallia quidem cædes inultas, ſalutem palam armis aut pace defendi: unos ſe libertatis medios & expertes ſævientium ingenia alere ferendo; quaſi vero res ulla arctius populum obſequio, quam principem æquis imperiis alligaret. Vtendum hac inclinatione animorum rati proceres, qui in ſua ſententia ipſos ſe a Rege damnatos interpretabantur; quidam & matrimoniis illigati fœminarum externæ, ut gentis, ita religionis, Arauſionenſis Saxonico, Nienario Hornanus, ſuſpectos ſe Regi inde etiam credito, quod novam Senatus potentiam, quam ipſi introductum ibant, Rex improbaverat. Quo cauſam ſuam cum vulgi ſtudiis ſociarent, diligentius inſtituunt pacem religionum, ſi publicam non poſſent, at domeſticam procurare, malorum metum hoc magis attollentes, quanto cæteri iniquius contemnebant. Obtendunt huic rei turbas civiles, partim & ipſi faciunt: ſeu flecti poſſe Regem, ſeu ultra quidam ſperavere, non defuturos rebus novis adjutores invidia magnitudinis Hiſpanicæ. A Senatu ergo digreſſi, velut proviſis motibus, quibus ſanandis impares forent, modo per nuptiarum ſolemnia, modo epularum ſpecie convivia miſcentes, alios aut ſanguinis, aut ſtudiorum, vinculo aggregavere; id quo pertineret brevi erupit. Nam poſtquam perſpectum plurimos eadem velle, longe Principem & militem, rem ſummam penes fœminam, Ordines & civitatum rectores diſſuadere crudelitatem, interim perpeti, multi genere nobiles, cæterum regiminis exſortes, inter quos erant Romanæ religionis nonnulli, contra inquiſitionem fœdus pepigere, verba dictante Marnixio, quo inter ſe promiſere auxilium, ſiquis eo nomine periclitaretur; ac ne lateret quo ſubſidio niterentur, inter duces ejus Societatis eminebat Ludovicus Naſſavius Arauſionenſis frater, a Romanis ſacris palam diſſentiens: unde haud difficile intellectu, vera capita occultari adhuc, in tempore eruptura, atque interim prætentantibus repoſitam in illorum auctoritate fiduciam, adverſus acres aliorum ſententias, qui naſcentem coitionem armis opprimi vole-

1566.

Irrita eventu.

Proceres pacem religionum procurare inſtituunt.

A Senatu digreſſi alios aggregant.

Contra inquiſitionem fœdus pangunt.

Inter Duces Societatis præcipuus Ludovicus Naſſavius.

1566. volebant. Aderant Ludovico Herenbergenſis, & Culemburgicus comes, & Henricus Brederodius, antiquo genere Hollandiæ Principum, & vulgi applauſibus, qui, ni alia adſint, vana & incerta ſunt, in ſpes nimias erectus. Hi, quadringentis fœderatorum comitantibus, die Nonarum Aprilium inermes in curiam Bruxellenſem venere, ubi tum & Arauſionenſis aliique, vix a Margarita ut redirent exorati, conſederant. Preces (ita enim vocabant) hæ fuere: ut edicta ſuper religione a Rege de Ordinum Belgicorum ſententia mutarentur, interim quieſcerent: quorum cum alterum Præfecta ſe commendaturam Regi promitteret, alterum ſuæ poteſtatis negaret, non aliud impetratum, quam ut judices & quæſitores juberentur cognitionem prudentia temperare. Tunc primum auditum eſt illud non minus poſtea nobilitatum, quam Proteſtantes & Hugonoti, Gueuſiorum nomen, quo cum ambeſas fortunas fœderatis alii exprobrarent, ipſi in honorem traxere, parum fauſti nominis appellatione profeſſi, fidem ſibi in regem ad mendicitatem uſque conſtituram. Sed his viſis atque auditis, varie per Belgicam & Hiſpaniam conſultabatur. Qui circa Margaritam erant, fœderatorum nobilium poſtulata alii ut æqua probabant, alii ut neceſſaria: addendam fiduciam ſecuritatis, ne pœnæ metus in ſpem belli tranſiret, haud diſſimulato ex ipſis primoribus eſſe, qui graviora in ſe regis conſilia ſuſpectarent: & hæc ſi negarentur, ipſos, quorum ſub imperio fortiſſimæ nationes erant, & turmæ populares, præcipuum belli robur, pro legum ſævitia ferrum non educturos, quo cives ſcilicet alter alterius manu cadentes, Hiſpanis uſui & oblectamento cederent. Ad Regem aliæ poſt alias litteræ, poſtremo frater Hornani Iohannes Montiniacus, & Iohannes Marchio Bergarum ad Zomam venere, læti honore legationis, ut prioribus ſe purgarent, venturis eximerentur. Ipſe Rex, turbatus atrocioribus indies nuntiis, cum primis Hiſpanorum, & qui ſenatores Belgæ aderant, ſæpe & ſecum deliberabat. Non placebat transmiſſa a Senatu Belgico moderandarum legum forma, quæ prava docentes ſacrorum adminiſtros, conventuum receptores, & qui publicos oculos exemplo violaſſent, laqueo aut enſe puniebat: indicta cæteris errorum deteſtatione, aut fuga: quia major ipſi dignitatis quam periculi cura, ne minis coactus, quæ nollet, largiri videretur: unde etiam, ſiquid violentiæ cedendum foret, ſuum nomen pactionibus illigari vetuit.

Fœderatorum ad Margaritam preces.

Gueuſiorum nominis origo.

Montiniacus & Marchio Bergarum ad Zomam ad regem mittuntur.

Transmiſſa a ſenatu Belgico moderandarum legum forma regi diſplicet.

vetuit. Hactenus tamen indultum, ut bene firmata epiſcoporum auctoritate, quorum eſſet munus ſiquid uſquam turbidum ſcrutari, extra ordinem alii Pontificis mandato non ultra inquirerent. Veniam citra diſcrimen dari, & niſi diſcuſſa conjuratione, præfractius quam illa ferebant tempora, olimque multo majora conceſſurus, abnuebat: clementiam tamen & adventum ſuum pollicitus. Ordinum autem haberi conventus, quanquam fidiſſimæ civitates orabant, ſuadentibus Belgarum cunctis, anniſa & ſorore, quæ aliter retineri poſſe imperium deſperabat, pernegare haud deſtitit; arma potius ſumi imperans, & ſolvi Germanis auctoramenta, quo paratior miles haberetur: adjecto, nec dubitare ſe, quam toties expertus eſſet pater Belgarum procerum fidem, eandem ſibi paterna decreta exſequenti non defuturam: quippe ſententiis diffidere fas cuique, ſed mox judicium Principi, ſubditis obſequium relinqui. At contra illi, ne vis ulla pararetur facile effecere, ærarii penuriam obtendentes, & ſiquid moveretur, fœderatos nobiles bellum ante capturos, externis ſocietatibus undique ſe offerentibus, quod ut in terrorem adauctum, ita a vero trahebatur. Nam vicinorum nonnulli eadem de ſacris, aut non longe diverſa ſentientes, quo domi validiores ipſi agerent, contra Philippi contumaciam arma & opes oſtentabant. Eorum, qui Pontificis Romani imperia abnuebant, tria per Belgicam erant genera. Anabaptiſtarum credulitas, quæ Friſiam proximaque inſederat, non magnopere formidanda ob infinitas inter ſe diſcordias, & quia magiſtratus atque arma abdicant. At ea profeſſio, cui ab Auguſtano conventu & Luthero doctore nomen eſt, Germanorum principum amicitia, & quadam juris imagine fovebatur: nam quia Belgas ſuos Carolus Cæſar Germanico fœderi adſcripſerat, pars quoque antiquitus ejus imperii majeſtatem obſervarat, erant qui dicerent, pacem quoque religionum eo pertinere: facili quanquam reſponſo, Belgas, etſi tributorum & immunitatum participes, Germaniæ tamen leges & conventuum decreta jam a multis retro ſæculis non agnoſcere. Non multum ab hac inſtitutione diſcrepat altera, Zuinglii præ cæteris & Calvini ingenio illuſtrata, & cum Auguſtana jamdudum coalitura, niſi in religionibus compertum foret, eſſe omnia pertinaciæ quam concordiæ proniora. Hanc pars Helvetiorum & aliquanta Germaniæ probarat, & hoc uno clariſſima Geneva

1566.

Ordinum haberi conventum vetat.

Pontificis Romani imperia abnuentium tria per Belgicam genera: Anabaptiſtæ, Lutherani, Calviniſtæ.

1566. Allobrogum : eadem in Anglia regnabat, paucis retentis ex antiquo ritibus. Sed potiſſimum magnæ per Galliam ejus viris, animum ſectatoribus inſiderant; nec eos cæteri numero æquabant.

Iſti atque alii jus novum nimis acerbum judicant.

Ergo hi atque alii jus novum, quod proponebatur, non minus acerbum, quam Philippus remiſſum, judicabant : hoc etiam arguentes, quod loco poſtulati Ordinum univerſorum conventus, ſeorſim nationum ſententiæ, exquirebantur, nec omnium, nec priſco more, ab his facto initio, quibus & dignitatis minus erat, & libertatis.

Sed indis motibus intenta præfecta, vulgus ſacra novo ritu peragit.

Quos ad motus, dum præfecta alios regis juſſus, & militem, aut conducendo militi pecuniam exſpectat, ſperans poſſe periculum prolatando finiri, contra ecce e vulgo, qui flammas ferrumque timuerant hactenus, territare incipiunt, prorumpunt e latebris in apertum, conciones & ſacra celebrant novo ritu, velut convincendis palam mendaciis, quibus arcani cœtus infamabantur : acciti & exſules qui religionis crimine ſolum verterant, quibus non pauci, durioris vitæ pertæſi, monaſteriorum deſertores aggregabantur.

Monaſteriorum deſertores aggregantur. His muniebantur fœderati nobiles.

Apparet formidabilis multitudo & quantum nec ipſi crediderant, qui frequentiam faciebant. Licentia firmat audaciam, aut ubi vis metuitur, incedunt armati. His omnibus in tutelam receptis fœderati nobiles, fama quoque ſupra verum creſcente, muniebantur.

Per totam Belgicam eodem tempore templa violantur.

Nec multo poſt, incertis auctoribus orta viliſſimæ plebis ſeditio, nec fures aberant, per oppida & agros templa involat, affliguntur ſolo dona aræ & ſimulacra divum : quales olim ſæpe motus Iudæorum, nec diſſimilis Græciam tempeſtas Iconomachorum pervaſerat : quin ne ſævitiæ quidem in ſacerdotes & religioſos temperabatur, eadem in libros & ſepulchra rabie motuque tam repentino, ut tanquam ex condicto Belgicam omnem eodem tempore incenderet; vix paucis in locis auctoritate, aut armis magiſtratuum valentioribus : niſi quod Atrebates, Hænovii, Lucemburgenſes, quique his proximi, fidem in Romanam eccleſiam regemque, ab ea contage integram tenuere.

Atrebates, Hænovii, Lucemburgenſes fidem in Romanam eccleſiam, regemque conſervant.

Nonnullis in locis magiſtratus, ne plebs licentiæ adſueſceret, occupaverant amovere imagines; quibus officium jactantibus facete Viglius dixit, eos cum ratione inſaniiſſe. Multa e ſacro rapta ut redderentur, ipſi haud egentis ad odium nova infamia religionis doctores perpulere.

Margarita tempori, & procerum conſiliis obſequitur.

Tanta rerum perturbatione Margarita vehementius exterrita, non tam regis jam poterat e longinquo omnia audientis ſero plerumque

rumque

rumque ob gliſcens periculum imperio, quam tempori, & procerum conſiliis obſequi. Nam & fœderati nobiles, & plebs concitata, non aliis arbitris agi ſecum patiebantur. Reluctata igitur diu, tandem eo pertrahitur, ut nobilibus promittat geſta hactenus fraudi non fore. Illi viciſſim, quamdiu maneret ſecuritas, fœderi renuntiavere. Veniæ nomen & Romanæ religionis addita primum conditio, aſpernantibus remiſſa. Plebi, dum noxa & armis abſtineret, quibus in locis conciones ſacræ inſtitutionis cauſa ad id tempus habebantur, permiſſæ in poſterum: ceſſantibus edictis, donec rex & Ordines propius ſtatuiſſent. Statim diverſa in loca abiere, qui vim prohibentes, affirmarent pactione, quod vis extorſerat. Inprimis Arauſionenſis miſſus Antverpiam ſeditione ancipiti flagrantem, vicecomitis gentilitium nomen ea in urbe obtinens, flectebat in ſe validiſſimam civitatem: ubi non in agris, ut alibi, verum ipſa intra mœnia præter conciones admiſſos etiam ritus novos non ita, neceſſitatem præferens, excuſavit, ut offenſam præfectæ effugeret. Idem cum aliis tum Hornano acciderat, cui & ex Hiſpania frater iram regis implacabilem nuntiabat. Sed magis angebant deprehenſæ ad Margaritam literæ, quibus miniſtri ſecretorum ipſos crimini & exitio deſtinabant. Igitur in medium conſulturi Tenerimundam convenere, verſis in Egmondum oculis, belli peritum gratumque militibus. At ille promiſſis delinitus, an officii memor, negabat ſe principi quidvis paranti obſequio defuturum; ſed mitigandum conſiliis animum, prioremque neceſſitatem purgandam in poſterum fide: imprudens, magna & regibus adverſa cum periculo incipi; ubi prima proceſſerint, durando ſalutem & præmia ſperari; ſin remiſeris, inſtare ultionem. Plus Arauſionenſis habebat conſilii, qui videns fallere cœpta, regem per litteras, ut pateretur ſe deponere honores, otiumque & Germaniæ ſuæ ſecretum orabat. Cui Philippus callide reſpondit, &, quæ fraus plurimum valet, ſpecie ſimplicitatis. Nam obſecratum, ne ſe deſereret rebus turbidis, cum maxime uſus operæ eſſet, hortabatur, ut fratrem ſuſpectum novandi tantiſper a ſe abdicaret, dum cuncta conſiderent. Sed ille ſuperior dolis, urgebat nihilominus miſſionem, atque interim regreſſus in præfecturas, ſævitiam vetans, etiam proviſo ne earum regionum munimenta milite inſiderentur, populos fortes & ipſo ſoli ingenio validos libertatis dulcedine excitabat.

1566.

Nobilibus promittit geſta fraudi non fore.

Plebi conciones permittit.

Arauſionenſis offenſam præfectæ incurrit.

Interceptis ex Hiſpania literis omnes exitio deſtinantur.

Tenerimundæ in medium conſulunt.

Arauſionenſis regem honorum depoſitionem rogat.

Scripto Regi ſuadet permittere religiones, quas vicina imperia adm iſiſſent.

1567. tabat. Scripto quoque ſuum ad Regem conſilium complexus eſt, ubi docebat, niſi hæ ſaltem religiones permitterentur, quas vicina imperia neceſſario recepiſſent, anceps ipſi diſcrimen, utique exhauſtis populis opibusque damnoſam victoriam fore.

Hornanus ſuos ſe in penates abdit.

At Hornanus ſuos ſe in penates ſpeciemque privati condiderat. His disjectis, facile Præfectæ, quæ conſpecto quo res erupiſſet, ad damnata prius Viglii conſilia ſe receperat,

Illis ſemotis, omnia, quæ pepigerat præfecta, reſcindit.

nobilium & populi plebisque infimæ nexus perrumpere, reſciſſis quæ ipſa aut per alios pepigerat: primum cavillando, mox apertius, ut metu expreſſa, & quaſi priores alii fidem exuiſſent. Nam cum in ſacrilegos, quique ultra verba ad ritus publicos, aut ad arma proceſſerant, ſecretis judicum mandatis, animadverteretur, cæteri, quaſi cauſa diſpares, nec inter ſe religionum concordes, vim diſſociavere.

Fœderati nobiles rem communem produnt.

Nec minus fœderati nobiles, ſpe aut metu diverſi, rem communem prodebant. Nam ſubeunte paulatim factorum conſcientia, fuere qui ad contraria provoluti, veniam pararent: alii cogi tributa & cohortes, ut privatis inſolita diſſuadent: alii, dum ſingula ſinguli conantur, omnibus excidunt. Et jam ipſa, ad tutandam vim imperii, præter Germanum militem, quem Ericus Brunovix ducebat, alium conſcribi e Walonibus juſſerat. Id Belgarum populis nomen eſt, qui Francis contermini, Gallici ſermonis uſu & ferociore ad arma ingenio cæteris diſtinguuntur.

Iurare præfecta duces cogit, hoſtes futuros quoscunque rex deſignaſſet. Egmondus aliique hoc ſacramentum dicunt.

At quo duces fidos internoſceret, verbis conceptis cogebat jurare, hoſtes ſibi futuros quoscunque Rex deſignaſſet, citra exceptionem ullam; id ſacramentum dixere Egmondus, Carolus Arſcotius, e Croiorum gente, turbis prioribus impermixtus, Carolus Barlæmontius ejusque fratres; Comites, Petrus Mansfeldius Lucemburgi præſes, Geldriæ Megemus, Friſiorum Arembergius, & qui apud Hænovios Bergenſis Marchionis locum tuebatur Norcarma. Statimque factis comprobavere; Egmondus, in Flandria eos diſturbando, in quorum tutelam conſenſerat; Norcarma, Valentinianis imperia detrectantibus obſidio ad deditionem redactis, acriterque punitis; quo exemplo maximæ urbes, poſitis turbis, juſſa præſidia accepere: cæteri manus temere coortas cædibus vaſtantes.

Soli Arauſionenſis & Hooghſtratanus detrectant.

Soli Arauſionenſis & Hoochſtratanus negarunt vetus ſe jusjurandum, quo Principi ac Legibus tenerentur, alio mutaturos; adjecitque ille, eſſe ſibi uxorem eorum e numero, qui iſtud per jusjurandum exitio deſtinarentur. Quæ dum geruntur, Hiſpa-

1567.

Hiſpani tam felicem occaſionem, ut quæſita videri poſſit, non ſegniter tractavere. Ac primum manente periculo ferme conſentiebatur, vultum numenque principis ad comprimendas partes immane quantum valitura: fidiſſimis Belgarum monentibus, ſi alius mitteretur, plus odii, minus obſequii fore. Nam & Carolum patrem, cum una Gandavi civitas turbaret, nihil cunctatum Galliam, pæne adhuc bellum ſpirantem, tranſcurrere. Sed moræ nectebantur, quod iter tutiſſimum diſputando, dum ſuſpecta Gallia inermi, & exercitui iter haud datura, & quo minus claſſe iretur, Oceani terrent pericula, nec ſatis certus in Zelandiam exſcenſus, ignoto quouſque Angli vel Arauſionenſis auderent. Igitur, quaſi mari alio Liguſtica ora, inde Germania peteretur, tentari prius Cæſaris animum placuit. Erat is Ferdinandi filius Maximilianus, qui conſultus de re Belgica, ni quid Philippus temporibus largiretur, ſignificabat periculum haud abſore, propter Auguſtanæ profeſſionis principes, Belgarum clariſſimis per varias neceſſitudines illigatos: ſin leniora probarentur, pacificatorem ſe offerebat: quæ parum grate accepta; velut Auguſtus Saxo elector dictaſſet, qui Cæſaris amicitia potens, Arauſionenſi per fratris ſui filiam jungebatur. Miſſæ tamen ad Margaritam litteræ venturum Regem vulgabant, nec ſine exercitu: id quippe regiæ majeſtati, etiam apud exteros decorum, & aut brevi terrore quieturos motus, aut ſiquid reſtaret, adfuturum non accipiendis ſed dandis legibus. Paulatim apparebat Hiſpanos, ſecuritate non contentos, ultioni proſpicere, quo Regis iram ſua in commoda traherent: oblato ſubigendos ad Belgas colore, perduellionis omnes teneri, quod aut ipſi res novas cœptaſſent, aut talia auſos non repuliſſent. Sunt qui addant, jam ante Philippo a Romano Pontifice factam gratiam jurisjurandi, quo imperium iniens legibus ſe obſtrinxerat, ut quomodo America & Italiæ plurima, ita Belgæ regnarentur. Præcipua Albano conſiliorum fides, qui non novus ſæviendi auctor, credi voluit, niſi tam fœdum rebellandi exemplum non minus inſigni pœna corrigeretur, defecturas omni a parte nationes, cum pleraque non tam vis præſens, quam metus contineret. Neque omittendum Philippo aptiſſimum perdomandæ Belgicæ tempus, dum regna circumjecta fidam ipſi pacem ſervant, aut ſiquid ſuſpectum, domi inquies. Ita victi qui mitiora ſuadebant, ipſo etiam Carolo Philippi filio operam ſuam

Præſentia Regis turbarum optimum habetur remedium.

Rex moras nectit.

Cæſaris ſuper re Belgica conſulti reſponſum Philippo diſplicet.

Litteræ Regem cum exercitu venturum ſignificant.

Aptiſſimum perdomandæ Belgicæ tum Philippo tempus.

1567. ſuam pacandis regendisque Belgis offerente, fruſtra adeo, ut id inter ſuſpicionum in ipſum conceptarum alimenta fuerit. Tandem erumpit, retento Rege, velut majores ob curas, aut ne periculo miſceretur, Albanum ſumma cum poteſtate mitti; nec dubium qualibus mandatis, hominem bello ſemper & ſanguine exercitum: quem cum in Italiam transvectum Neapoli, Sicilia, Sardinia, Mediolano veteres Hiſpanorum cohortes, addito equitatu, adducere nuntii attulere, Arauſionenſis non ultra opperiendum ratus, Naſſaviam petit fratri poſſeſſam; digrediens magna proſequentium multitudine palam teſtatur, nihil ſe moturum, niſi prior læderetur. Abſentis vice tutari præfecturas juſſus a Margarita Maximilianus comes Boſſuvius. Brederodius cum & ſua muniret, Trajectoque Rheni inſuper & Amſtelodamo, opulentiſſimis urbibus, immineret, fovente conatus primos Arauſionenſi per diſſimulationem, aut tacita ope, mox armis pellitur. Egmondus, & minores alii, quorum aut animus aut fortuna exſilium non tolerabat, ſpe vivendi inducti ſunt ut perirent. At nobiles plerique & plebs multa, Hiſpanorum formidine, pars reducta ſupplicia metuens, nec de religione parata diſcedere, in Germaniæ proxima Angliamque & longinquiora dilabuntur: cum eodem tempore præfecta alio edicto fugere cogeret, alio vetaret. Cæterum ſponte egreſſis qui præſentia gravabantur, compoſitisque rebus egregio aſtu fœminæ, alta pax erat, & quod fere convenit, ſi nil ultra concupitum foret, facile manſura.

Albanus ſumma cum poteſtate a Rege mittitur.

Arauſionenſis ad fratrem abit.

Brederodius armis pellitur.

Plurimi in vicina regna fugiunt.

Quibus egreſſis pax erat.

HVGO-

HUGONIS GROTII ANNALIVM BELGICORVM LIBER SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Intranti in Belgicam Albano nemo obſiſtit. Egmondum & Hornanum capitis ſupplicio afficit. Exarmatis urbibus arces imponit. Novum tribunal erigit. Arauſienenſis aliorumque bona in fiſcum vertuntur. Arauſionenſem ad arma impellunt exules. Caditur a Ludovico Naſſavio in Friſia Arembergius, mox ipſe ab Albano fugatur. Arauſionenſis juſtitiam cauſa ſua libris evulgat. Maximiliano Cæſari pro Belgis apud Philippum intercedenti acerbe reſpondetur. Conſcriptus ab Arauſionenſe exercitus ab Albano debellatur. Donatur a Pontifice ſacrato enſe. Sibi ſtatuam ponit. Leges juraque Belgarum omnia Regis ſervat arbitrio. Inaudita Belgis tributa pendi jubet. Se armis in libertatem vindicare ſtatuunt. Belli aleam iterum experiri conſtituit Arauſionenſis. Brilam Belgæ exules capiunt. Roteredamum a Boſſuvio direptum exules juvat. Fliſſinga aliaque urbes ab Hiſpanis deſciſcunt. Albanus Hollandis ac Zelandis coaleſcendi dat ſpatium. Arauſionenſis ſpei irritus dimiſſo exercitu in Hollandiam abit. Mons deditur. In Zutphaniam & Nardam turpiter ſævit Fridericus Albani filius. Fœderatarum provinciarum deſcriptio. Arauſionenſis adventu turbata omnia compoſita. Omnia cum Ordinibus adminiſtrat. Rebus omnibus contra Regis mandata Regis prætenditur nomen. Romana cæremonia templis ejiciuntur. Genevenſis diſciplina publice recipitur. Agri & vectigalia principis aliaque in publicos vertuntur uſus. Tunc quoque inventa tot tributorum nomina. Albani error. Harlemum Hiſpani expugnant, quorum impetum prima frangit Alcmaria. Naſſaviani Geertrudisbergam & ipſa cum claſſe Boſſuvium capiunt. Albanus cum filio revocatur in Hiſpaniam. Succedit Requeſenius. Statuam Albani ſtatim amolitur. Middelburgum Zelandis accedit. Ludovicus Naſſavius cum Henrico fratre & Chriſtophoro Palatino caditur. Tumultuantes Hiſpani quadringenta florenorum millia Antverpiæ extorquent. Fruſtra Bredæ de concordia agitur. Lugduni obſidio ejusque incredibilis ſolutio. Petri Melendis infelix in Fœderatos maritima expeditio. Bommeneda portum & Zyrixæam expugnant Hiſpani. Angliæ Regina oblatum a Batavis ſummum imperium reſpuit. Carolus Galliæ Rex eos clam fovet. Extincto Requeſenio ad Senatum regiarum partium adminiſtratio delata. Iura Ordinum & leges celebrari incipiunt. Bruxellæ rapinæ deſtinatur. Miles Hiſpanus hoſtis patriæ judicatur. Aloſtum irrumpit. Primores Brabanti aliquot fœdus in Hiſpanos cum aliis pangunt. Roda Trajectum ad Moſam & poſt Antverpiam diripit. Belgæ Arauſionenſem in auxilium vocant. Pax Gandavenſis. Dejectis arcibus exuitur ſervitus. Philippus tempori cedens pacta cen-

confirmat. Iohannes Auſtriacus Belgicæ rector mittitur. Namurcum occupat. Apud Regem violatæ pacis accuſatur. Ad præfecti dignitatem vocatur Arauſionenſis; intercedente Arſcotio ſummum Belgicæ regimen Mathiæ Auſtriaco datur, vicarium tamen Arauſionenſis accipit.

1567. *Albanus Belgicam intrat.* SEd Albanus morbo ſuo nonnihil, & ob hyemantes maxime Alpes, tardatus, tandem itinere, & ſterili multum & laborioſo, tranſita Sabaudia Burgundiam attigit, ejusque loci delectu auxit agmen, quod ille majus octo hominum millibus admirabili diſciplina continebat. Monſtrata tunc via Hiſpanis tanto terrarum ſpatio, Lucemburgum usque impediri nunquam poſtea potuit, haud imprudente Philippo quos ſibi principes ad continuandam vim disjectæ dominationis adſciſceret. Eodemque tempore in Gallia, velut ex condicto, in bellum erumpebatur, contractis a Rege Helvetiorum cohortibus, in ſpeciem quaſi finibus metueret, Albani exercitu extrema radente, reipſa contra vindices inviſæ religionis. Belgarum mira aut formido, aut ſecuritas, intranti nemo obſtitit. Quin feſto concurſu excipitur dux belli miſſus in gentem pacatam. Id enim initio poteſtatis vocabulum uſurpabat: donec Margarita, vani honoris imaginem pertæſa, & credita muliebri languore regimen corrupiſſe, eoque magis, quia Albanum cum exercitu mitti, literis accuratis futurique præſagis diſſuaſerat, abitu ſuo ſummam illi præfecturam patefecit: nullo jam dubitante, quam non ex legibus geſturus foret magiſtratum, ad quem ſalvis legibus pervenire non potuerat, cauto antiquitus, nequis niſi Belga aut principum e ſanguine id munus fungeretur. Primum ſævituri imperii documentum fuit Egmondus & Hornanus, dolo in curiam acciti, vinctique; rogantes ut ex aurei velleris privilegio a collegis judicarentur, non hoc modo non impetrant, ſed extra Brabantiam cuſtodiendi ablegantur, contra jura e plebe infimo cuique conceſſa. Inde primis Belgicæ urbibus immiſſa præſidia Hiſpanorum, qui ferme ſoli retenti, cum alii milites tantum extra ordinem ad pericula uſurparentur. Ipſe Belgarum nobilium equitatus, admixtis Hiſpanis, ductore Arembergio, in Galliam miſſus, ut præſenti auxilio fœdus regi Carolo probaret. Cœptæ interim & arces ſtrui exarmatis civibus, &, quod graviſſimum erat, miniſtrandos ad ſumtus ſubactis. Quæ poſtquam nullo vetante proceſſerant, judices ferme duodecim (Hiſpani

Galli eodem tempore in bellum erumpunt. Albano nemo obſiſtit.

Margaritæ abitus illi ad ſummam præfecturam gradum facit.

Egmondum atque Hornanum vinctos extra Brabantiam cuſtodiendos ablegat.

Belgicæ urbibus præſidia Hiſpanorum imponit.

Arembergium cum equitatu in Galliam mittit.

Exarmatis urbibus arces imponit.

pars

pars magna, cæteri, quod genus non minus inclemens per- 1568.

Puniendis turbarum autoribus duodecim conſtituit judices.

ſpectum eſt, Hiſpanis ſervientes) jubentur bis qui motarum nuper rerum affines culpæ eſſent, irrogare ſupplicia; rejectis ad quos patrio more jurisdictio pertinebat. Id maximum potentiæ præſidium, judiciorum potiri: cumque læſis ſacris majeſtas accederet, tam ſuſpecta bonis principibus criminatio quam tyrannis opportuna, ut quæ reos omni legum auxilio exuat, & pene ſola nominis atrocitate convincat.

Plurimi necantur.

Stipatæ reis cuſtodiæ, innumeri mortales necati: ubique una ſpecies ut captæ civitatis. Quippe non arma tantum huc trahebantur, ſed pro motu habita aliorum quies, & infauſta conſilia, quæſitique honores & recuſati: præcipua nobilium ſtrage & qui auctoritate aut opibus valuerant, quorum mortes in ſecuritatem, fortunæ in fiſcum & prædam Hiſpanis cedebant: non diſſimulante quid peteret Albano, cum voce aſpera ſuique ingenii, pauca ſalmonum piſcium capita multis ranunculorum millibus præſtare jactans, novo more veterem exprimeret ſententiam, quæ, ſublatis e republica primoribus, munire regnum docet. Egmondo & Hornano objecta omnia, quæ poſt Granvellana odia ad id tempus interceſſerant, ingeſta ſuſpicione Arauſionenſi & ipſis conſtitutum, partita inter ſe Belgica Regem armis excludere. Hi duo

Egmondus & Hornanus capite plectuntur. Quod atrox Belgis ſpectaculum.

viri omnium confeſſione eminentiſſimi, nec minus factis quam ſtirpe illuſtres, Bruxellæ poſt ſacra Romano ritu peracta, loco publico cervices carnifici præbuere; capita aliquamdiu ſuffixa palis, Belgarum in oculis atrox ſpectaculum: & quanquam circumfuſa arma vocibus ac prope vultibus imminebant, altius animis omnium miſeratio, fortiorum etiam ultio inſedit, cum incredibilis turbæ oſculis & fletu ſepulchra celebrarentur, alii vero & comas promitterent, priſcum in morem obligato oris habitu, quem non mutarent, niſi vindicato tam nobili ſanguine.

Arauſionenſis bona in fiſcum vertuntur: filiusque in Hiſpaniam captivus abducitur.

Arauſionenſis cum pluribus aliis edicto citatus, & quia pœnam abſens illuſerat, verſa in fiſcum bona, filiusque Lovanio, ubi honeſtis artibus innutriebatur, in Hiſpaniam & captivitatem avectus eſt.

Magna ubique fit vaſtitas.

Stragibus & fuga magna vaſtitas fit. Pauci, quibus nec exſilium egeſtas ſua conceſſerat, cum armis in ſylvas abditi, ubi multa de ſacerdotibus præda victitarent, graſſantes in ſe magiſtratus pari pœna coercuere, donec majoribus Albani copiis excuterentur. Ita & ad Moſam Rhenumque coortæ paſſim exiguæ manus, conjuratæque in ducis necem primis conati-

1568. natibus ſuccubuerunt. Mitiora a Rege quam ab Albano ſperari atroces ex Hiſpania nuntii non ferebant: ubi affectus publico ſupplicio Montiniacus, quem miſſum eo retulimus, fas gentium ſanctumque inter hoſtes legationis nomen fruſtra pro ſe fore ſperavit, negato ſubditis cum principe tale juris commercium intercedere. Marchio Bergenſis ſimilem exitum oportuna morte prævenit, non ſine dati veneni rumore; ſed & hujus memoria Albano faciente damnata eſt. De ipſo Regis filio Carolo major fama & obſcurior: tot illum regnorum hæredem in cuſtodiam datum conſtabat, ſeu ſuſpicionem incitaverat matura imperio juventa, quaſi nimium Belgas, nec ut paternos curaret; ſive idem crimen ipſum, & novercam abſtulit: mox ſane interiit, incertum quibus cauſis patris ira in filii necem duraſſet. Arauſionenſem ſponte ad arma non feſtinaturum, quod mallet Hiſpano ruendi in omnes, donec conſilia cuncta pateſcerent, & oppreſſis coaleſcendi copiam dare, addita ſpe, fore ut in Regem aliis ſubinde bellis implicitum tutior daretur occaſio, exſules impellebant, qui ubique inviti & inopes patriæ fortuna procul premebantur. Pars horum Ludovici Naſſavii ductum ſecuti in Friſiam irruunt. Hi interemto Arembergio, quem prudentius cunctantem militum ardor & convitia in prælium impulerant, disjectisque ejus copiis victores, cum deſcituras civitates fruſtra exſpectarent, & jam deficiens ſtipendium diſciplinam ſolviſſet, Albani ſuperventu conciſi, amiſſo etiam in priore pugna Adolpho Arauſionenſis ac Ludovici fratre, alterno hoſtium & ſuo ſanguine bellum imbuerunt. Hoc rerum curſu pertractus Arauſionenſis, ut juſto imperio & robore partes reſoveret, jus cauſaſque armorum libris evulgat, objecta ſibi crimina, ſimulque judicem refutans, nec diſſimulato meliora ſe edoctum a Romana eccleſia tranſiiſſe: ſumere tamen arma communi pro ſalute, & depellendo patriæ ſervitio teſtabatur, id civis, id viri optimatis officium: de Philippo honorifice, cujus bonitatem ab Hiſpanorum conſiliis obſideri, nec deſperandum, quin aliquando fidam gentem juratasque leges reſpiceret: interim ejus erroribus, ex lege Brabantica, principatus obſequium non deberi. Poſtremum, quod ad jus cauſæ plurimum facere videtur, ita ſe habet. Brabanti ut pleraque cautius cæteris libertati ſuæ proſpexere, ita contra fraudem imperantium, qui obtentu publici boni conventiones non metuunt

Mitiora a Rege ſperari non ſinunt nuntii ex Hiſpania.

Arauſionenſem ad arma impellunt exules.

Ludovicus Naſſavius caſo prius Arembergio ab Albano fugatur.

Arauſionenſis juſtitiam cauſæ ſuæ libris evulgat.

tuunt reſcindere, illud quoque proprium paciſci ſolent, ut, principe leges violante, ipſi fidei & obſequii vinculo liberentur, donec demantur injuriæ. Idque majorum exemplis firmatur, qui olim impotentia, aut aſſentantium dolis abreptos principes, ac maxime Iohannem ejus nominis ſecundum ad meliora traxerant vi aut fortibus decretis; haud ante pace facta, quam iiſdem ſtaturos ſe principes ſpopondiſſent. Arauſionenſis, quanquam in Germania natus, clariſſimas per Brabantiam juriſdictiones hæreditarias obtinebat, quarum dominis mos antiquus procerum dignitatem aſſcribit: eo tum ille jure, non uſum modo legum, ſed & tutelam ad ſe præcipue pertinere contendebat. Cæterum prætereundum non eſt, ab aliis quoque Belgarum nationibus idem jus moribus uſurpatum: Maximiliani inſuper Auſtriaci Mariæque Burgundicæ placita præferri, quæ ipſas Brabantis individuas eadem legum ſanctione æquaverint. Illud conſtat, qui poſtea Carolo imperatore principe acceſſerunt, populos, Friſios, Trajectinos, Geldros, multa pactos propria, illud commune, ne a Brabantia atque Hollandia divellerentur. His diſceptationibus permotus Cæſar Maximilianus, ſimulque Arauſionenſis caſum miſerens tantis honoribus tantiſque divitiis ſubito exturbati, (nec enim illo ingenio mitius ullum regnis contigit) Carolum fratrem in Hiſpaniam miſit, qui ſuo & principum Germanorum nomine nuntiaret, non videri e bono publico in Belgas durius conſuli. Sed male diſſimulata iracundia Philippus referri juſſit: ſua ſibi curæ, cui nota ut clementiæ, ita ſeveritatis tempora, in eos qui ſpreto Deo, mox & principem ſpernere didiciſſent: ipſos facturos rectius tutiusque, ſi rerum alienarum arbitrio abſtinerent. Erant, qui differrent inferiora Germaniæ per vim dominantium corpori ſuo avulſa, nunc bello redditum iri. Sed Cæſar ſponte pacis ſtudioſus, mox & nova affinitate Hiſpaniæ illigatus, quievit. Pauci Germanorum, pietatis reſpectu, aut regnorum invidia, & Albani nimium ibi noti odio, Arauſionenſem pecunia ac milite juvabant; forte & moti ſuſpicionibus, quaſi Albanus nobiles ad Rhenum Amaſiumque urbes, ob religionem & Belgarum effugia, regio imperio adjecturus, inde cæteris immineret. Simul ad expeditionem ipſius Arauſionenſis fides & propinquorum pignoribus devincta; datum & nonnihil a Belgis quibus peregre morantibus neceſſitas redeundi, aut tacita domi vota libertatis: ſed

1572.

Brabantorum cum principe pacta.

Idem jus aliis Belgarum nationibus quoque uſurpatum.

Maximiliano Cæſari per Carolum fratrem apud Philippum pro Belgis intercedenti acerbe a Philippo reſpondetur.

Pauci Arauſionenſem milite & pecunia juvant.

Ad expeditionem Arauſionenſis ſuam propinquorumque fidem pignoribus obſtringit.

1568. ſed pleraque polliciti in eventum diſtulere. Coacta igitur ipſo ductante ſex equitum millia, peditum quatuordecim, e Germania maxime, ubi ingens hominum multitudo præſenti ære ineſcata, futuri improvida, nullo partium ſtudio, cuivis conducenti facilis; pars & e Belgica & Galliis. Has copias, cum improviſo Moſæ tranſitu primam prælii occaſionem non rapuiſſent, exin facile Albanus debellavit, egregio uſus victoriæ genere, non pugnando: felix id ſibi etiam in Italia quondam adverſus Guiſium expertus. Itaque hæſit usque per totos tres & viginti dies euntium tergis, tam provide poſitis proxime hoſtem caſtris, ut nunquam cum illius deſperatione certare cogeretur. Repertus tum color iniquitatis in perpetuum duraturæ, ut bellum utrique pacatis e regionibus alerent, cum dato aut negato tranſitu per Cliviam aut Leodium, pars ſemper altera rapinis ſe aut etiam incendiis vindicaret. Sed tanta moles exercitus nullis urbibus recepta, nullo adjuta commeatu, brevi diffluxit, fame, rerumque omnium, ſtipendii maxime, penuria: cujus vix tenues reliquias Arauſionenſis in Galliam trahens, eo ſpes ſuas tranſtulit: ibique immixtus aliquamdiu bello alieno, & ſimili cauſæ (nam & Albanus Regi auxilia miſerat) pace mox inita deceptus fuit, & in de-

Sex equitum millia, peditum quatuordecim ſcripta. Quæ Albanus non pugnando debellat.

Arauſionenſis in Galliam diſcedit.

1569. ceptos pars inſidiarum. Depulſo exercitu, quo non dubie exhauſtæ vires Naſſavianæ erant, ut cautus periculis, ita nimius ſucceſſu Albanus in eos ſe populos victorem ferens, quos hoſtes nondum ſenſerat, quæſiti armis imperii gloriam affectabat. Eoque nomine, ſacrato enſe a Pontifice Romano donatus, ſuper deditam ſcriptis rei famam, in arce (quam perfectiſſimi operis Antverpiæ impoſuerat, coërcendæ plebi, nulli præter id uſui, quod ſitus ipſe teſtatur ab amne averſus) ſtatuam ſibi ponit, multo verborum honore, quod extincta ſeditione, rebellibus pulſis, juſtitia culta, provinciis pacem firmaſſet. Multaque eo tempore utilia non minus quam ſpecioſa, de moneta ac mercatura, de criminum perſecutione, & libris non temere in vulgus edendis conſtituit, ſolo auctoris odio peritura. Iam vero in religiones inquiſitio, acta ſynodi Tridentinæ, novi antiſtites, excuſata hactenus aut repudiata, parato qui cogeret, velut ſponte recipiebantur, provectis eo usque odiis, ut a Proteſtantibus Chriſtiano ritu tincti, contra veterum inſtituta, retingerentur. Nec minus perduellionis novum tribunal calebat ſuper vetera crimina additis, quos nuper Arauſionenſis proſpera ſperaſſe,

Albanus ſacrato enſe a Pontifice donatur.

Sibi ſtatuam ponit.

Multa utilia conſtituit.

raſſe, aut indoluiſſe adverſis, ſuſpicio erat. Quæ tamen dum fiunt, clementiæ quoque fama velut honeſtandæ victoriæ quærebatur, propoſito Regis edicto, priorum temporum culpam fatentibus ignoſcentis: ſed excepti ad pœnam ſacrorum doctores atque adminiſtri, quique eos hoſpitio juviſſent, & quorum ſcelere violata templorum religio, quique arma geſſerant, aut honores, aut in nobilium coitionem adſenſerant; immenſum rerum agmen. Oppidorum quoque & univerſitatum jura, & quæ privatis fiſcus debebat, Regis arbitrio ſervata. Cum jam non metus, non pudor retineret, ultima Hiſpanorum commenta patuere, quibus effecturos ſe jactaverant, ut provincialium ſumtu imperii onera, &, ſi neceſſe foret, bellum quoque adminiſtraretur. Iubet Albanus totius cenſus in præſens centeſimam pendi: quod ipſum grave; quia rite rogari ſolitum, ab armato imperabatur; nec ſacerdotes exceperat: deinde viceſimam ſoli, decimam cæterarum rerum venalium in ſingulas alienationes; Hiſpanis ita pendi aſſerens, quo magis æquum Belgas parere, damnatos legibus, ſubactos armis, nec aliter veniæ compotes. Facile intellectum, hoc vectigali negotiationes arteſque connexas, multorum fuga jam labefactatas, perverti, prima populi alimenta. Nam mercimonia, multis ſolita miniſteriis diſtrahi, ſi tantum onus in pretii partem accreſceret, non erant inventura emptorem, cum poſſent alibi vilius conſtare. Si quibus obloquendi audacia, ſtatim immiſſo milite exquiſitiſſimis injuriis vexandi tradebantur. Quin & nationum & urbium quædam contumaciores, raro more, majeſtatis interrogabantur, objectis quæ contra edicta regia pepigerant, fierive permiſerant. Et quanquam privatorum furores a cauſa communi, neceſſitatem a maleficio ſegregarent, lata ſententia, legibus omnique conſilio publico exuebantur; regendæ in poſterum eo jure, quo principi placuiſſet. Nec ad Regem provocaſſe quibuſdam impunitum fuit: & magiſtratuum preces mulcta coërcitæ, quam ipſi de ſuo dependerent: quibus exemplis territi cæteri, certa pecuniæ ſumma infinitum onus redimere conabantur. Nondum infenſum Belgarum vitiis Deum tot mala ſatiabant: ſed quaſi jactandæ terræ viris opibusque florentiſſimæ, hominum crudelitas & avaritia non ſufficerent, Oceanus, quanta vix unquam eluvie littora perrumpens, ſtragem præſentem attulit, futuram indicavit. Hoc enim illud erat tempus, cujus exiguo fine ulti-

1569.

Pleraque relinquuntur Regis arbitrio.

Tum ultima Hiſpanorum commenta patuere.

Inaudita tributa Belgas pendere Albanus jubet.

In obloquentes ſevere animadvertit.

Belgarum contumaciores privilegiis exuuntur.

Oceanus magnam ſtragem adfert.

1570. ma ſervitus & ſumma libertas diſcreta, per utrumque nomen pares clades & miſerias continuarunt. Iam ira oppreſſis armorum libidinem ſuggerens documento erat, nullam eſſe tam firmam concordiam, quam quæ privatæ rei vinculo continetur. Gens illa, quæ cives flammari, occidi rectores, eripi leges, religionem, rempublicam, viderat pene immota, tum primum conſenſit priora ulciſci, imminentia arcere. Atque adeo Bruxella in urbe, quamvis præſens Albanus & ingenti præſidio minax decimam exigeret, officinas & tabernas quisque ſuas clauſere, vel capitis periculo aſpernati confeſſionem ſervitutis. Iam patibula, jam carnifices parati erant in contumaces, cum nuntiati, quos mox narrabimus, per Hollandiam motus manum injecere ſævitiæ. Creſcens populorum indignatio animum Arauſionenſi reſtituerat, quanquam afflicta fide, ut iterum belli fortunam experiretur; dum partem Philippi virium Turca in ſe trahit, & ipſa Hiſpania a Maurorum motu vixdum ſatis quieverat; dansque arma & ducem, viam diſſidio aperiret. Miſit igitur idoneos ad principes omnes, qui ſe religionis inſtauratores profitebantur, oratum ſocietatem, aut clandeſtina auxilia in cauſam communem. Negarunt Danus & Sueo, metu adverſus validiorem certandi; nec Angliæ regina auſa turbare vicinam magnitudinem, quanquam ipſam Romanus pontifex devotam prædæ expoſuerat, & Albanus ob retentas in Anglia mercatorum Genuenſium pecunias, in uſum præſentem & ſub reddendi fide, exorto certamine & ad pignorationes usque provecto, pridem ſuſpectus erat cauſam belli in divitem inſulam quærere; ac nuper cum in ejus regni Septentrionalibus turbaretur, miſerat qui portus explorarent, quique ſe duces, ſi res proceſſiſſet, præberent; & Scotorum reginæ conatus adverſus Eliſabetham haud dubie foverat: quibus ad tempus diſſimulatis, eo usque Hiſpano obtemperatum eſt, ut Naſſaviani omni effugio exuerentur, juſſi intra certum diem Angliæ finibus excedere. At in Gallia, qui ritus latinos aſpernabantur, ut paci fiderent in admiſſiones gratiamque Regis adæquati, quo prodeſſent Arauſionenſi eadem ſentienti, Burgundicis odiis recentia aggerebant; ſuper motam tunc primum in conventu Tridentino de loco inter reges principe controverſiam, infamato Philippo veneni in uxorem Eliſabetham: cui ultionem deberi, neque minus Gallis, quos in Florida Americæ provincia Hiſpani obtrun-

Oppreſſi Belgæ vindictam & defenſionem cogitant.

Bruxellæ in urbe decimam ſolvere detrectant.

1571.

Bellum iterum experturus Arauſionenſis auxilium principes proteſtantes rogat.

Danus & Sueo negant.

Nec auſa Angliæ regina;

Naſſavianos Angliæ fines excedere jubet.

cave-

caverant. Quæ rex Carolus pronis auribus accipiens, credi voluit credidiſſe: altera hac illecebra, ſuper pactas Navarræo ſororis nuptias, ſuſpectos ſibi circumſcripturus. 1571.

Rex Galliæ Arauſionenſi ſuppetias ferre velle ſimulat.

Egregia conſilii ſpecies, obviam eundum potentiæ vicinis imminenti, & Gallicis ingeniis bello opus, ut pacem ſervarent. Iactabatur velut arcanum, eoque intentius, fracto fœdere, quod captivo regi Cæſar Carolus expreſſerat in Francici nominis dehoneſtamentum, reſtitui veterem Galliarum limitem, Rhenoque tenus imperium ferri: quæ ultra ſunt, dicto excepiſſe ſibi Arauſionenſem præmium operæ.

Miſſæ ad Arauſionenſem pecuniæ, & communicata conſilia.

Miſſæ ad eum pecuniæ, & perlata conſilia Ludovico internuntio, quem Caſpar Coliniacus, dux novatæ religionis præcipuus, ad Regis colloquium perduxerat. Claſſis quoque regia Oceano Aquitanico inſtructa, venditæ palam in urbe Rupella prædæ ex Hiſpanorum navibus, legati Hiſpanici inanes querelæ, fidem dolo auxerant. Interim Arauſionenſis tam validæ ſocietatis fama fruens, per legatos aut literas Belgarum exſulibus patriam, domi oppreſſis libertatem promittit: & plurimis civitatum rectoribus perſuadet diſcidium, Albani odio & formidine. Sic ſtudiis populorum & armis fretus vim maritimam adjunxerat. Nam audaciſſimus quisque Belgica extorres, & inops exilium metuentes, in naves ſe conjecerant, aliasque complures obvias per vim nacti, aucto numero, prædabundi Oceano & per oram maritimam vagabantur.

In Belgas Oceano & per maritimam oram prædabundos ſpeciem imperii retinet Arauſionenſis.

In hanc multitudinem Arauſionenſis, quanquam jus & regimen aberant, ſpeciem imperii retinebat, diſtributis per codicillos poteſtatibus. Toti maritimo officio præpoſitus Wilhelmus comes Markius, Lumeius cognomento, animi ferox, idque illi unum pro virtute erat; & comitum pleriſque conſilium, aut animus, non niſi in prædam. His tunc miniſtris uti ſupremæ providentiæ viſum, cui fere placuit Belgicis in rebus ita humanam fiduciam & conſilia illudere, ut nunquam ſimul eſſent 1572.
ſpes magna & bonus eventus.

Viginti quatuor navigia Brilam capiunt.

Viginti quatuor modica navigia, initium belli in potentiam toto orbe præcipuam, edicto ejecta Anglicanis partibus, in Weſtfriſiam ferebantur, tentandæ fortunæ: ſed, vento adverſante, rerum neceſſariarum penuria impulit in maximam inſularum, Vornæ vocantur, quæ Moſæ oſtia continent: ubi oppidum Brilam claſſiarii repentino terrore inter trepidantes, aut volentes, invaſere; neque tunc manſuram ſedem, ſed ad paucos dies ſtationem decreverant. Exoraverunt prudentiores & loci oportunitas, ut victo-

1572. victoriam retinerent : adeo cunctis præter opinionem evenientibus , ut Maximiliano Boſſuvio duce (is tùm Hollandiæ præerat) Hiſpanorum cohors ingreſſa inſulam , velut ſubito pavore lymphata profugerit , nemine contra ire auſo , tantum

Boſſuvius Roterodamum magna cum oppidanorum cæde diripit.

quia naves ipſorum oppidani incenderant. In reditu Boſſuvius tranſitum Roterodamo poſtulavit , quod , experti præſidiorum mala , conceſſerunt , ea lege , ut exiguæ manus , aliiſque dimiſſis , aliæ ingrederentur. Sed contra pacta confertim irrumpit miles ; fit magna oppidanorum cædes.

Quo Hollandi impulſi ad exules juvandos.

Ea perfidia commotos Hollandorum animos ita impulit , ut ſponte plerique , pars aut plebis motu adacta , aut vicinorum armis , aut commercii denique neceſſitate , exſulibus admiſſis ſtudium aperirent. Nam arces Albanus hic nullas ſtruxerat , gentis ſimplicitate tutum ſe credens , quæ plus cæteris quieverat hactenus , tanto validius eruptura. Quin & Hiſpani pars ante abducti , ut Trajectum Batavorum militaribus flagitiis punirent , quod ea civitas , ſacrorum fiducia , vectigalibus imperatis acrius reſtitiſſet : & eos , qui Roterodami conſederant , Albanus ad primos tumultus nuntios , vaniſſimo metu , ne illic obſiderentur , exemerat.

Hos ſequuntur Fliſſingani & alii.

Secuti Hollandiæ oppidum Fliſſingani , quos ſurgentis arcis aſpectus & præſidium adventans commoverat ; Pacieco Allobroge , operum Albanicorum peritiſſimo curatore , ad ſupplicium rapto , in cauſam deſcendunt. Inde & alii Hiſpanos per Zelandiam excluſere , affluentibus quotidie auxiliis e Galliæ & Britanniæ regnis , quibus ex rebus novis ſpes licentiæ erat. Geldriam & Transiſalana Wilhelmus comes Herembergenſis , affinitate Arauſionenſi junctus , magisque hoc nomine quam ſua vi nixus , Friſiam Nederwormterus , & mox Scandenburgus incurſant , validis urbibus admiſſi , optima civium voluntate.

Quo non multum lætatur Arauſionenſis.

Nuntiato hoc motu populorum , non multum Arauſionenſis lætabatur , minore caſu præventum ſe querens , nec adultum ſatis conſenſum.

Prima reipublicæ forma Dordrechti concepta.

Incondito adhuc corpori , primam reipublicæ ſpeciem indidere coëuntes Dordrechtum Hollandi nobiles aliquot , & præcipuarum urbium legati. Miſerat eo & Arauſionenſis , quem Hollandiæ Ordines , abſentem quamvis , rectorem ſibi , utpote accepta a Principe præfectura , nec ullo legitimo judicio ablata , ſimulque contra Albani dominationem belli ducem profitebantur.

Hiſpani interim terra , mari Belgæ ſuperiores.

Pugnæ interea terra marique : pedeſtribus præliis vincebat Hiſpanus rudes & incompoſitos , pelago inferior in hoc genitis. Egregiæ hac in parte Zelando-

rum

rum victoriæ, qui inopiam publicam navalibus prædis ſolabantur. Et forte Medinicælius, jampridem dictus Albano ſucceſſor, ut pœnitentiæ exorabilior, capta claſſe, qua ex Hiſpania advenerat, vix ipſe elapſus, recuſavit imperium; ne tanto rerum diſcrimine alieno ſe dedecori immiſceret. Nec Albanus tamen periculis mitigari, aut agnoſcere hoſtes & jura armorum: ſed ubi quos nactus, ut in rebelles majeſtatis judicia exercere. Vnde ultio, & apud adverſas partes eadem in captivos feritas nullo diſcrimine; donec quæ olim inimicas gentes, illos quoque docuit mutua neceſſitas; parcere ſanguini in ſummam belli nihil profuturo: ita terreſtrium armorum inducta commercia, maris poſſeſſionem Naſſaviani ſæviendo retinuere. Coaleſcendi ſpatium Hollandis ac Zelandis datum eſt, dum illis omiſſis, quin & parte præſidiorum abducta, Montem Hænoviæ urbem Albanus obſidio premit, captam a Ludovico Naſſavio aſtu militari, cujus in vicinia amiſſas ſimul Valentinianas Hiſpani ex arce receperant. E Gallia liberando Naſſavio, qui Montem tuebatur, auxilium advenit quingenti equites, pedites quinquies mille, non prohibente Carolo, quod ut taciti fœderis argumentum accipiebatur: pariterque ex Germania Arauſionenſis procedebat exercitus, major etiam quam priori expeditione. Potuiſſe magno terrore bellum circumferri credibile, niſi incautiores Gallos explorato itinere Hiſpani intercepiſſent. Dux ipſe agminis Ienliſius, aliique nobiles in poteſtatem venere; pro quorum incolumitate per legatum rex Carolus acriter contendens, ultimum fabulæ actum impoſuit. Nam ſubito Arauſionenſem atrox percellit nuntius fraudium Gallicarum, intelligitque Navarræi & Condæi vincula: primo Coliniaci ſanguine fœderatam Guiſiorum potentiam, inde toto regno jus factum cædibus, contraque exoſæ religionis ſectatores armata vulgi furentis odia: huc pacem, huc funeſtas nuptias, totque illa delinimenta, ſuam quoque ſocietatem cecidiſſe: ſpe igitur prope unica dejectus, cum & ſtipendia cohortibus quibusdam promiſſa rex Galliæ abrumperet, talique conſiliorum exitu ſatis Philippo purgatus amicitiam integraret, dimittere exercitum cogitur, & vix evitata ſeditione, quod reliquum fortunæ erat, in Hollandiam abit; ſuorum ipſe laborum irritus, extra ſpem ultro oblatis uſuris. Secuta Montis deditio: uſurpatumque jus victoriæ in Machliniam, aliasque urbes, quæ tranſeuntem Arauſionenſem ſtipendio, aut frumen-

1572.

Medinicælius capta claſſe, vix ipſe elabitur.

Albanus Montem Hanoviæ obſidens Hollandis ac Zelandis coaleſcendi dedit ſpatium.

Naſſavio ex Gallia auxilium mittitur.

Pariter ex Germania Arauſionenſis procedebat exercitus.

Gallos incautiores intercipiunt Hiſpani.

Arauſionenſis dimiſſo exercitu in Hollandiam abit.

Mons deditur.

In Machliniam aliasque urbes jure victoriæ uſus Albanus.

1572. mento juverant. Inde prolata formidine; quæ Friſiæ aut circa Iſalam occupata diximus, non ſine ducum ignavia, præſidiis deſeruntur. Capta & Zutphania a Friderico Albani filio, dum deditio paratur, ubi in oppidanos poſt tormenta & ſtupra ſævitum cædibus, nulla ætatis, nulla ſexus reverentia. Poſt Narda Hollandiæ oppidum vaſtatur ſimili feritate, dirutaque mœnia antiquo ultionis exemplo. Hæc Hiſpani aliis quoque bellis haud inſolita ſibi ad celerem victoriam profutura credebant, cum contra homines re nulla magis quam clementia vinci aſſuefeceris. Auxit cæteris impetum & conſtantiam, quod, ſublata fide & ſpe veniæ, graviora pacis mala, quam belli metuebant: ea deſperatione in ſpem quoque elati fortius in medium conſuluere, nec ulla omnino urbs dedita eſt poſtea, quæ non extrema toleraſſet. Congruens arbitror cunctas naſcentis reipublicæ parteș ſimul recenſere, quando ea tempeſtate initia jacta ſunt belli & libertatis, quæ tum nemo mortalium tantum in tempus exitura judicabat.

A Naſſavianis Friſiæ & circa Iſalam occupata loca deſeruntur. In captas Nardam & Zutphaniam filius Albani turpiter ſævit.

Perſtiterant ſoli in armis Hollandi & Zelandi, quarum gentium ſitum veteraque & recentia nomina, ut per totum opus intelligantur, exponam. Antiquis temporibus nobiliſſima fuit Batavorum inſula, Germanis Gallisque media, poſitu ad ducendum transmittendumque bellum oportuniſſimo. Nomen habitatoribus & origo a Cattis. Romana ſocietate, extra delectus, cætera ſui juris egere; equitandi, nandi peritia, fide, virtute auxiliarium honoratiſſimi: nec minus clari eo bello, quo ſub initia Veſpaſiani, Civili duce, Gallias ad libertatem excitarunt. Poſt quæ tempora, modo Franci, modo Saxones, tandem & Angli his partibus ſedere. Sunt qui Slavos & Varnos adjiciant. Eam inſulam Rhenus in Vahalim & ſui nominis alveum diſtinctus, & duobus maxime capitibus in Oceanum influens, amplectitur. Dextrum Lugduno non procul exibat, olim etiam tenue, poſt, vi tempeſtatis ſabulo obſtructum, aquas in Leccam vertit. Siniſtro Moſæ mixtus Vahalis oſtio tenus ripis continebatur. Hodie, antequam eo perveniat, varias inſulas interfuſus, ob crebra diluvia in maris ſpeciem tranſiit. Tertium Rheno oſtium, quod a dextro longius in Septentriones abit, Druſus aperuit. Nam in Iſalam flumen perductus amnis opere militari, inde ſe immergens in lacus, quibus Friſiorum nationes duæ diſtinebantur, arctatusque apud Flevum inſulam, hoc eodem accepto nomine in Oceanum effluebat. Cæterum & hæc facies

Fœderatarum provinciarum deſcriptio.

cies locorum ita mutata eſt, ut non emitti fluvius, ſed contra 1572.
mare terras irrupiſſe, & anguſto primum ingreſſu laxare mox ſe in ſpatium ingentis ſinus videatur. Principium igitur agri Batavi vetus in parte nomen retinens Geldriæ accenſetur, cujus ditio latius patens Iſala & Moſa amnibus fere terminatur. Vicina huic Transiſalana, a poſitu dicta, latus Friſiis majoribus ad Amaſium uſque excurrentibus, tergum aliis Germaniæ populis obvertit. Sed Moſæ Brabantia longo tractu prætenditur. Infra Geldriam, qua Velavia dicitur, Trajectum eſt, cum propinquis aliquot oppidis, inſeſſum epiſcoporum dominatu, quorum & Transiſalana erat; quæ primus omnium Carolus Cæſar ſuæ ditioni adjunxit. Inde jam Hollandia frequentiſſime urbibus & vicis habitatur, duobusque angulis in Vahalim & ſinum, quem diximus, excurrens, ſenſim aquis utrimque recedentibus, diffuſum littus Oceano objicit: cujus Septentrionalia, pars olim Friſiorum, partim armis, partim pactionibus adjecta Hollandiæ, quia Transflevanis in Occidentem objacent, Weſtfriſiæ vocabulum tenuere. Ager omnis Hollandiæ multis amnium brachiis lacubusque, & foſſis manu ductis interſciſſus, paſcuis quam ſegete felicior: piſcaturam & navigationem amnes & mare nulli gentium largius præſtant. Zelandia huic contigua omnis in inſulas ſparſa Moſæ & Scaldis oſtiis ambitur; retro Brabantiæ quoque annexa & Honta, Scaldis alveo, diviſa a Flandris, qui apud exteras gentes toti Belgicæ nomen dare meruerunt. Horum tractus ſecundum mare urbem uſque Caletum freto imminentem ſe explicans eam Belgicæ partem attingit, quæ nunc ſub Francorum eſt imperio. Hollandiæ & Zelandiæ inſeſſores olim Danos de ſuis vocabula indidiſſe, quibuſdam conjectura eſt; ſed ego vetera monumenta perſequens reperio hoc commune cunctis inſulis eſſe nomen, illud proprium olim regioni haud magnæ, Lugduno non procul, ſilvis horridæ, credo; nam id nomen ſonat. Id conſtat, ex Septentrione populos, cum ſæpe incendiis, cædibus, rapinis graſſarentur, cauſam dediſſe in commune conſulendi, legendique aut accipiendi Principes, comitum vocabulo; qui Francorum primo, poſt imperatorum Germaniæ majeſtatem ita obſervarunt, ut legibus non ſubderentur. Quæ prima illis domus fuerit, ut fere antiqua, incertum: vulgo recepta opinio, ex Aquitania miſſos. Sed indigenas fuiſſe, qui multo arctius quondam eo in loco, unde Hollandiæ

1572. fluxerat nomen, imperantes, paulatim creverint, argumentis non caret. Per muliebres ſucceſſiones ad Hænovios, Bojoaros, Burgundiones, Auſtriacos, deſcenſum eſt; quorum e genere rex Philippus ſecundus in Comitum ordine triceſimus primus numeratur. Sed hoc tempore belli difficultas ſolique calamitas inde, quod communibus cœptis Hollandiæ Amſtelodamum, Zelandiæ Middelburgum deerant, florentiſſimæ urbes, mole ſua immotæ, & quia defixior in illas Albani cura, addictos ſibi præfecerat, impoſito & milite. Contra muniebat Hollandiam ſocia partium Bommelienſis, Gelderici juris inſula, Vahali ac Moſa amplectentibus. Nihil iſtis rebus tam neceſſarium quam Arauſionenſis adventus fuit. Is peritus regendi artium, turbata omnia recompoſuit, vimque alias haud diuturnam ratione fovit & propria lenitate, quæ ipſum hoſtibus quoque commendabat. Nam Markius, dum pro abſente imperium Hollandiæ adminiſtrat, ſævitia in ſacerdotes, & nullo non immodeſtiæ genere, infamaverat naſcentem libertatem: ferum per ſe ingenium accendentibus Gallis, qui ſueti licentiæ & ſanguini, mala quæ domi fugerant, alienis in armis ulciſcebantur. Eam ob rem, & quia parere non didicerat, juſſu Arauſionenſis captus mox, accuſatusque eſt; quominus puniretur tempora obſtabant. At Arauſionenſis remiſſo Principis nomine vim amplectens, honores mandare, edere conſtitutiones, rem militarem & maritimam & pleraque reipublicæ tractare cum dilecto concilio: aut excitis Ordinibus præſidens, ſiquid majus incideret. Crebri autem conventus, præter ſpeciem popularitatis, in hoc proderant, ut quamplurimi partibus illigarentur, cumque antea ſex Hollandiæ urbes una cum nobilitate de rebus pleriſque conſulerent, Dordrechtum, Harlemum, Delphi, Lugdunum, Amſtelodamum, Gouda, Arauſionenſis minores adusque duodecim admiſit; non dubie fidas ei, cujus ope jus ſuffragii acceperant. Sed nec ratione carebat, conſiliorum factas participes, quo introſpecta onera facilius tolerarent. Nomina earum ſunt & ordo, in Auſtrina parte Roterodamum, Gornichemum, Scidamum, Schoonhovia, & in inſula Moſæ, Brila: ad Septentriones, Alcmaria, Horna, Enchuſa, ibidemque in aquoſo receſſu, qui Waterlandia dicitur, Edamum, & Monachodamum, nec longe Medemelaca, & Purmerenda. In eorum qui defugerant locum alios ſubrogatos judiciis rationibusque publicis impoſuit: magna penuria hominum,

Communibus Hollandiæ, Zelandiæque cœptis Amſtelodamum & Middelburgum valde obſiſtunt.

Bommelienſis inſula Hollandiam muniebat.

Arauſionenſis adventu turbata omnia compoſita.

Cum Ordinibus omnia gubernat.

Sex majoribus urbibus de rebus antea conſulentibus duodecim minores adjicit.

1572.

minum, qui ea munera cuperent, aut mererentur, cum plerique virium æſtimatione, ſeu religio accedebat, eximerent ſe turbidis, & intutis. Cæterum ne nulla ſubnixi ſocietate temere invidiam defectionis ſuſciperent, rebus omnibus contra Philippi juſſa nomen Philippi prætendebatur. Nec exemplum deerat ipſis quoque ab Hiſpanis, qui, digreſſo in Germaniam Carolo, tributis ultra modum vexati regios præfectos oppugnaverant. Religionis cauſam primi talibus cœptis ſociaverant Smalcaldico fœdere Germani: poſt quos Galli proceres plurimis etiam ſcriptis diſſeruerant, non peccare in fas obſequii minores poteſtates, quæ, invito quamvis principe, divina ac publica jura vitamque innocentium, ſi neceſſe foret, armis defenderent. Naſſavianos hoc ſublevabat, quod ſumptis in Albanum armis, remoto rege, conſpectui parcebatur: diriore illorum neceſſitate, qui pro regum ſuorum magnitudine paratos ſe occumbere dicentes, contra eoſdem inſtruere infeſtas acies, inferre ſigna cogebantur. At Romanæ cæremoniæ ejectæ templis, & qui ejus ſententiæ erant haud facile ad magna munera admittebantur, non lege ulla, ſed prudentia; ne, infenſi diſſentientibus & probabiliori venia, cauſam ſuam a publica disjungerent. Recepta publice diſciplina, quæ Genevæ, & in Palatinatu Germaniæ paſſimque alibi docebatur: hoc tamen intereſt, quod ejuſdem religionis alii diverſas minus tolerant: quippe non in hoc tantum ordinatas a Deo civitates ac magiſtratus dictantes, ut a corporibus & poſſeſſionibus injuriæ abeſſent, ſed ut, quo more ipſe juſſiſſet, eo in commune coleretur; cujus officii negligentes multos pœnam, aliorum impietati debitam, in ſe accerſiſſe. Contra, iſtæ nationes non modo nulla auxilia repudianda judicabant, ſed ſponte etiam omnes de religione leges inquiſitionis nomine deteſtabantur; ac proinde diſputabant, neminem volentem errare, aut nolentem credere, ſed veram de ſacris rebus ſententiam a Deo humanis mentibus inſinuari: nec gratam ipſi pietatem, quæ non ſponte procederet: pravas autem opiniones compertum, non tam vi atque imperio humano, quam ſpatiis temporum debellari. Hoc obtentu non tantum publica ſacra impune contemnebantur, ſed abſurdi interdum & impii ſermones creſcebant inter mala libertatis. In publicos uſus verſa eo tempore agri & vectigalia Principis, ſacerdotum, monaſteriorum; nec non eorum fortunæ qui apud hoſtes degebant;

Rebus omnibus contra Regis mandata, Regis prætenditur nomen.

Romanæ cæremoniæ templis exiguntur.

Iis addicti non facile ad magna munera promoventur.

Genevenſis diſciplina publice recipitur:

Ita tamen ut omnes de religione leges inquiſitionis nomine infamarent.

Agri & vectigalia principis, aliaque in publicos vertuntur uſus.

1573. *Tunc inventa tot tributorum nomina.* & maritimæ prædæ. Tunc tot illa tributorum nomina in capita & poſſeſſiones, tum mutui vocabulo exactiones inventæ ſunt, & in eas res quas uſus conſumit monſtrata onera, quæ cum bello in immenſum augerentur. Tanto flagrabant odio dominatus, omnia dabant ne decimam darent. Nova quoque reperta ratio ex hoſte lucrandi, permiſſu vendito, ut commeatus, aliæque merces transportarentur; manetque mos utilis privatim & publice, vetitus ſæpe, ſemper retentus. Etiam pro navium deductione merces aliquid pendebant, cum onerarias bellicæ ad ſecura maris proſequerentur. *Summa tamen nummaria difficultas.* His ita conſtitutis, ſumma nihilominus difficultas nummaria erat, quod Rheni Trajecto prius & Amſtelodamo, tunc & per Nardam (id enim ex Geldria iter eſt) in Hollandorum agros Hiſpanus irrumperet. Res plurimæ civium opera, non externis & conductis copiis gerebantur. Sic quoque militantibus alimenta vix ſuppetebant. *Expugnandarum urbium fœderatis cum Hiſpanis communis imperitia.* Non manipularis obſequio promptus, non ducibus imperandi artes; id unum ſalutare, quod communis cum hoſte expugnandarum urbium imperitia erat. Inde in longum tractæ obſidiones & ſumma vis, hoſtium famem opperiri, multis edocti cladibus, & alterno ſanguine bellum artem fecerunt. *Albani error.* Gravis error Albani fuit, quod Zelandiæ non ſtatim incubuit, dum res incompoſitæ; ſed terrebat mare belli talis inexpertum. *Harlemum ſe Hiſpanorum ſævitiæ permittit.* Septem menſes circa Harlemum Hollandiæ urbem hæſit Hiſpanorum exercitus, multis interim millibus per arma & aſperam hyemem abſumptis. Id tempus animos ſtatumque rerum firmavit, & quanquam longa vi, poſt ſerum atque infœlix auxilium, obſeſſi in ſævas hoſtium manus venere, pars magna ſuſpenſi merſique: viſi tamen ſunt vinci poſſe, qui tam lente vicerant; *Succeſſuum continuationi Hiſpanorum diſcordia obſtitit.* & ne ſucceſſus continuarent dum recens conſternatio, ipſorum diſcordia obſtitit, ſtipendiis non ſolutis; quod perpetuum illis partibus malum, ſub opulentiſſimo rege. *Quorum impetum primafregit Alcmaria.* Harlemenſium ſuppliciis incenſa iterum pertinacia, & Alcmaria vergentis in aquilonem Hollandiæ oppidum, prima Hiſpani impetum fregit, invicta oppugnatione; *Naſſaviani Geertrudisbergam capiunt:* atque alia ſubinde miſeriæ ſolatia, oppreſſa a Naſſavianis Geertrudisberga, Hollandiæ in Brabantiam prominentis oppidum, *Et ipſum cum claſſe Boſſuvium.* & ipſe captus cum claſſe Boſſuvius, dum maris ſinum terramque Weſtfriſiam bello incurſat. Ejus claſſis prætoriæ Inquiſitionis nomen Hiſpani fecerant, cauſam belli ſuperbe exprobrantes. *Albanus cum filio revocatur.* Albanum, cum non tam ſenectuti quam famæ ſollicitus,

citus, quietem jamdudum oraret, tandem Philippus revocat, 1574.
violentiam ejus parum procedere conſpiciens, & quominus aliæ artes felicius tentarentur, odium ipſius obſtiturum, neque auditus, dum filium ſibi ſucceſſorem parat, paternarum ut actionum, ita odii participem. Quinque annis paulo amplius imperium adminiſtraverat: eo temporis ſpatio jactare ſolitus, octodecim hominum millia carnificis ſe miniſterio ſuſtuliſſe. Acta ejus, præſertim de decima, Rege nec laudare palam, nec reſcindere auſo; manſit ipſe in aula incolumis honoratusque: donec aliquot poſt annis, cum filio, qui nobilem virginem ſtupro circumvenerat, conjectus in vincula eſt, nec ante ſolutus, quam bellum Luſitanicum periti ducis neceſſitatem feciſſet. Succeſſor regendæ Belgicæ Ludovicus Zuninga Requeſenius mittitur, qui diverſos dolis & laxiore venia irretiret, largitor & comis pluſquam Hiſpanis ſolitum, peritia Albano impar: haud egenus tamen bellicæ laudis, pars magna ſcilicet illuſtris ad Echinades victoriæ, ſed Granatæ etiam, cum inquiſitiones vix toleraret, perdomitæ præ ſe famam ferens, violatæque ibi in ſuos & hoſtes fidei. Ad captandam Belgarum gratiam primum cenſuit, Albani ſtatuam amoliri. Hoc tempore Middelburgum diuturna fame, quæ tamen haud multo minus obſeſſores, quam obſeſſos afflixerat, & devicta gravibus præliis Hiſpanorum claſſe, Zelandis acceſſit, attritasque opes refecit. Sed Ludovicus Naſſavius, cum copiis quas fratri adducebat, ut Hollandia hoſtem detraheret, prope Noviomagum cæditur, immodeſtia militis, qui, cum ſtrictis mucronibus hoſtis inſtaret, æra ducem flagitabat. Is finis fuit duci ingenio manuque inter laudatiſſimos, fratri ipſius Henrico, Chriſtophoro præterea Palatini principis filio. Tranſiit in victorem exercitum, quo victi ceciderant, malum: cœperuntque & ipſi exigere præfectos, & poſtulare debitum ſanguini pretium. Incubuit in Antverpiam is furor, urbem Brabantiæ rebus tranquillis beatiſſimam: nimirum commercia & quæ inde proveniunt opes, vota ſunt pacis; ubi bellum ſemel omnia permiſit, nihil tutius eſt paupertate. Per vim & minas extorta ſunt Antverpienſibus quadringenta millia florenorum, ſponte creditum Requeſenii, quia vetuerat repugnari; at mox impunitatem ſanxit, velut gaudens expreſſam quovis modo pecuniam, quam a volentibus nunquam impetraſſet. Nam dum illarum partium Ordines, niſi edicto decima tolleretur, tributa

Ejus crudelis jactantia.

Succedit Requeſenius.

Albani ſtatim tollit ſtatuam.

Middelburgum Zelandis accedit.

Ludovicus Naſſavius cum Henrico fratre & Chriſtophoro Palatino cæditur.

Tumultuantes contra duces ſuos Hiſpani Antverpienſibus 400 00 florenorum extorquent, Conniventе Requeſenio.

1575. tributa in bellum abnuunt, pervicacia Regis aut præfecti evenerat, ut ſe utroque fruſtrarentur. Quo major autem Hiſpanis quam cæteris gentibus præmiorum aviditas eſt, hoc notabilius tumultuantur, & providentia quadam, nec ut regi deſinant. Sic tacito ducum fœdere in rapinas itur, quæ apud militem merces, apud populum neceſſitas vocatur. Neque iſtæ tum primum artes, ſed jam olim aliis Hiſpanorum bellis erupere. Hæc injuria ſtudia nationum Arauſionenſi vehementer conciliavit, quodque proxime ſecuto colloquio poſtulata ejus cum omnium votis congruere. Nam capto Aldegondio (is & ingenio & eruditione plurimum, & apud Arauſionenſem auctoritate valebat) coram, inde per litteras cœptum agi de concordia, Campigniaco adjuvante, cui domeſticum cum fratre Granvella certamen, &, quale inter propinquos, odium erat. Ad ultimum legati utrimque Bredam convenere, quo Cæſar Suartſeburgium Arauſionenſis affinem miſerat, partibus conciliatorem. Arauſionenſis, & qui ab eo regebantur, hæc dederant mandata: rebelles ſe & irreligioſos ab adverſariis immerito æſtimari: conſtare enim ſibi in Deum & Principem officii rationem; nec ulla in Philippum ſumta eſſe arma; unam pacis moram, exteram dominationem: ſi Hiſpanus miles amoveretur, quod ad religionem cæteraque pertineret, Ordinum totius Belgicæ judicio ſe fore contentos. Reſponſum eſt, non recte illos facere, quod defenſionem præ pœnitentia elegiſſent, dari tamen impunitatem, dummodo religionis turbatores intra præſtitutum tempus patria excederent: quippe iniquum, tanto Regi de religione ſtatuendi arbitrium detrahi, quod minimi in Germania principes uſurparent. Cætera ita Regem conceſſurum, ſi prius urbes arceſque & machinæ cum navibus traderentur. Diſplicuere conditiones, ut armis ſæviores; oratæque induciæ, ut per annos aliquot liberi eſſent ritus ſacrorum, armis abſiſteretur: ne id quidem obtentum, ſed, ſucceſſibus aliquot elatior, traxit pacificationem Requeſenius, ut belli incurioſos interea vi ſupervaderet. Nam eo tempore, quo de concordia agebatur, arma Hiſpanica validiſſimos conatus habuere: qui partim proſperi improviſa celeritate, alibi admirabili conſtantia refringebantur. Nam transgreſſas in Weſtfriſiam cohortes regias, paſſim deprehenſas locorum imperitia, agreſtes cecidere. Durabat inter hæc aliquanto ante cœpta Lugduni obſidio, qua cuncta nutabant, intima

Hac injuria nationum ſtudia Arauſionenſi vehementer conciliantur.

Aldegondius magnæ apud Arauſionenſem authoritatis.

Legati de concordia acturi utrimque Bredam conveniunt.

Re infecta diſcedunt.

Requeſenius belli interim ſecuros vi opprimere conatur.

Copiæ regiæ ab agreſtibus in VVeſtfriſia cæduntur.

Lugduni obſidio.

intima Hollandiæ inſidentibus Hiſpanis, nec ullis contra viribus, niſi in divina ope & pertinaci odio inſidæ dominationis; quod hac tempeſtate tantum fuit, ut repertus ſit nauta, qui evulſum Hiſpano militi cor morſibus ſcinderet. Itaque morbis belloque conſumtos, & nihil non experta fame, poſt longæ ſpei commercia, ad Mutinenſe exemplum, avibus internuntiis, perfoſſi aggeres, aperta amnium ſepta, & terris immiſſum mare, attollente fluctus pleno Lunæ orbe, ad hoc ventis mire obſecundantibus, ſervaverunt: quin & mœnium ruina, ultimum urbibus malum, tunc fuit ſalutare, objecta auribus eruptionis imagine, quæ hoſtem decepit & terruit. Lugduno diſcedens miles, captumque trahens ducem Baldeſium, cum Trajectum Batavorum, ſuarum partium urbem, ſpecie ſeditionis, prædæ deſtinaret, ab oppugnatione depulſus eſt. Tentavit Hiſpanus & ſiniſteriora Hollandiæ, ſecundum Moſam & Leccam, irrumpere, captis oppidis prope ripas, inter quas Veteres Aquæ (ita oppidum dicitur) nobilis ſævitia victoris: nec ante reprimi potuit, quam ad confluentes usque pervaſerat, quo loco vicus eſt Crimpa nomine. Eadem tempeſtate Petrus Melendes Cantaber, *Floridæ* victor, ſed inſigni in Gallos perfidia, apud ſuos etiam infamis, cum res Americanas Batavicis parum ſapienter compararet, Brilam ſe aliosque portus obſequio redditurum jactabat, & jam parata claſſe miſſa in Angliam legatio, quæ littus & hoſpitium, ſi eo venti adigerent, oraret impetraretque. Sed ſubita morbi lues nautas disjecit, & dux ipſe edoctus pollicitationis vanitatem, pudore ut creditum, aut metu, vitam finiit; coactique Hiſpani, oppreſſis vi Batavorum quæ ad Antverpiam excubabant navibus, & mox nova rerum ſequentium facie, terrorem maritimum multos in annos differre. Poſt hæc Scaldiam Zelandorum inſulam, in Hollandiæ confinio, ita nominatam ab amne lævum latus alluente, vadis & claſſe ingrediuntur Requeſeniani, dubium audacia majore an felicitate; quam ipſi illuſtrantes, compoſitis in veterum auditionum ſpeciem miraculis, mare ſibi ingredientibus cœleſtes faces præluxiſſe referunt. Hic expugnato portu Bomenedæ, qui locus non magno præſidio fortiter defendebatur, Zyrixæam, inſulæ caput, novem menſium obſidione accipiunt in poteſtatem. Huic maximo malo, quia duarum nationum ſocietas medio hoſte turbabatur, cum jam & pecuniæ & vires defeciſſent, alterum non levius ac-

1574.

Summi in Hiſpanos odii mirum exemplum.

Mari terris immiſſo Lugdunenſis ſolvitur obſidio.

Baldeſius Trajecti oppugnatione depellitur.

Hiſpanus ſiniſterioribus quoque Hollandiæ tentatis locis tandem reprimitur.

Petri Melendis infelix in fœderatos maritima expeditio.

Terrorem maritimum in longum differre coguntur Hiſpani.

Requeſeniani expugnato Bomenedæ portu Zyrixæam expugnant.

1576. acceſſit, quod principum amicitiæ fruſtra ambiebantur, metu potentiæ Hiſpanicæ, an quod exemplum diſplicebat. Angliæ enim regina, quanquam ſacra communia, Oceani imperium, & ipſi ab Hollandis principibus ductum genus oſtentabantur, fœdus, & oblatum alteris mandatis ſummum imperium abnuebat: pecuniæ tamen nonnihil interdum ſuppeditabatur; ſed quod intempeſtive repetitum in majus incommodum verteret. Galliam tum Henricus habebat Caroli frater, qui Hiſpani dolos præſentiens, & pari arte graſſandum ratus, ejus vim deſtruentibus ſtudebat, ſed arcanum intra ſubſidium, haud reticenda commenti fere piratici ſubtilitate: qua cum Rege convenerat, ut Caleti, Gallica urbe, quæſtores Naſſaviani vicini maris navigandi licentiam venderent; nulla non gentium parata redimere injurias: nam hactenus ſive ad hoſtes ibant, a Batavis in prædam, ſive alio, tamen ad diſquiſitiones & damnoſas alieno ſub judice lites trahebantur. Iuris ſimulacrum adhibebatur frequens negotiantibus averſi periculi pactio, qua incertus eventus certa mercede in alium transferri ſolet. Idque unum tributum haud impar fuerat magnis belli impenſis, niſi navalis turba, indomita legibus, ad veterem licentiam & propria a rapinis commoda recurriſſet. Rem undique deſperatam reſtituit improviſa felicitas, cum ſubita peſte extincto Requeſenio ad Senatum regiarum partium adminiſtratio translata eſt. Id gratum populis, & ſervandis quæ tenebantur, pacandis quæ defecerant, cenſuerat Ioachimus Hopperus Friſius, cui tum in Hiſpania agenti auctoritas increverat, ex quo improbata ipſi conſilia male ceſſerant, ita ut ſapientis nomen homo Belga ab Hiſpanis adeptus eſſet. Sed nemo eſt hominum ita ſapiens, ut eum nunquam fortuna fallat. Clandeſtinis jam dudum artibus Brabantorum animos Arauſionenſis ſibi conciliabat, demonſtrando, nihil ſe quod privatim utile eſſet deſiderare. At illi ultro etiam, dum Requeſenius armis occupatur, aut lenitatem ſimulat, quantum remiſerat dominatio, tantum contra inſurgere; & ipſe Præfectus parum provide ad cœptantes militum tumultus arma rapere agreſtes juſſerat, quod illic initium fuit libertatis. Iamque oblita ſub Albano nomina, jus Ordinum & Leges omnium vocibus celebrari. Flandri quoque ingenium recepere, gens inquies, & ne olim quidem principum ſatis patiens, cum tantum principes eſſent. Hi petenti tributa Requeſenio, quo magis neceſſario exigebantur,

Batavis laborantibus fruſtra principum ambiuntur amicitiæ.

Henricus Galliæ Rex clam res Batavorum fovet.

Requeſenio extincto, ad ſenatum regiarum partium adminiſtratio translata rem deſperatam reſtituit.

Hopperi Friſii magna apud Hiſpanos auctoritas.

Brabantorum animos clam ſibi conciliat Arauſionenſis.

In Requeſenium inſurgere incipiunt.

Flandri Requeſenio tributa negant.

bantur, hoc confidentius negaverant. Sed in Senatu Hiſpani erant aliquot, cæteri Belgæ, a quibus ſperabat Arauſionenſis impetrari poſſe, ut eadem defenſæ patriæ præmia, quam proditæ mallent. Id curantis conſilium caſus adjuvit. Bellum enim hoc mirum in modum, quanquam validas, Hiſpaniæ opes afflixerat, in tantum Rege obærato, ut novarum tabularum beneficio, poſſeſſiones ſuas eripuerit fœneratoribus. Et forte Turca (quæ potentia crevit ſemper Chriſtianorum diſcordiis) dum Philippi robur in Belgas verſum comperit, occupata Tunetenſi provincia, cæteris Africæ, quæ Hiſpani tenebant, terra marique imminebat. Factum per has difficultates, ut ſtipendiorum dies aliquammulti præterfluerent Hiſpanis per Belgicam militantibus, qui recepto jam more obſequium exuentes licentiæ præmia captabant. Bruxella rapinæ deſtinabatur, imperii ſedes, ni plebs veterum memor, & in arma recentis periculi magnitudine conſternata, advertiſſet magiſtratus, & quibus creditæ leges. Hi Senatum, quem rebus Belgicæ præpoſitum diximus, perpulere, ut improbum militem hoſtem patriæ & principis judicaret; quod palam conceſſum; clam ſeditio foveri credebatur, paucorum conſiliis, quorum opes in externa dominatione ſitæ erant. Sed cum, ejectis ducibus, conjuratæ cohortes Aloſtum, Flandriæ ejus (quæ jam olim non Francico, ut cætera, ſed Germanico imperio adhæſit) oppidum irrupiſſent, atque inde late circumſita popularentur, nullo ultore, primores aliquot Brabantiæ nullo publico conſilio, ſed Antverpienſis exempli memoria & metu, miſere qui ſenatum, hoc eſt reipublicæ caput, in curia & ſedibus ſuis comprehenderent. Mox, ne ſine legitima poteſtate jaceret regimen, ſuſpicioſos & innoxios diſcrevere, detentis quorum dolo aut ſocordia effectum volebant, ne contra Hiſpanorum injurias vis pararetur: quin & proprio delectu habito, pellectoque in partes quantum erat indigenæ militis, fœdus cum Flandris aliiſque civitatibus junxere, ut in hoſtem communem. Nec recentia modo quietis publicæ turbamenta, ſed Albanicorum temporum ſcelera, decimas, diſquiſitiones, inſontium ſupplicia, quæſitum bello quod pace habebatur, ſuarum quiſque cladium memoria edictis objectabant. Nec jam res ad eos qui imperium detrectaverant, ſed ad omnem Hiſpanicam nationem viſa pertinere. Quare excitis copiis ejus gentis, quæ tum Hollandia exiere non rediturae,

1576.

Arauſionenſem ſibi ſenatum conciliantem Hiſpani militis adjuvit ſeditio.

Bruxella rapinæ deſtinatur.

Miles hoſtis patriæ & principis, a ſenatu palam judicatur.

Aloſtum irrumpit ac late circumſita populatur.

Quo aliquot primores Brabantii impelluntur ad ſenatum in ſedibus ſuis comprehendendum.

Fœdus in Hiſpanos cum aliis pangunt.

Hiſpanis Hollandia exeuntibus ſe ducem dat Roda.

1576. dituræ, ducem ſe dedit Roda, pars ante Senatus, & tunc ad cohortes trangreſſus jus omne imperii ad ſe trahens : velut in unum recidente collegio. Addidit ſe & Germanus miles, ſpe licentiæ : atque ita juncti Trajectum ad Moſam, egregiam urbem, diripuere : nec multo poſt in ipſam Antverpiam ex arce effuſi, defenſoribus exturbatis, aliquot per dies, cæde oppidanorum, ædium incendio, ingenti præda iram atque avaritiam ſatiarunt.

Trajectum ad Moſam diripit. Mox & Antverpiam.

Quas inter clades Belgæ, quibus in novo & rudi milite non ſatis præſidii adverſus tot veteranos, tot arces erat, & longum, movere exteros principes, proximis viribus ultroque oblatis ab Arauſionenſi uti conſtituunt; conſcii plerique paribus ſe apud Regem criminibus teneri, quæ aut ſimul avertenda, at ſimul luenda eſſent. Ergo reſumpta pacis colloquia, quæ Bredæ intermiſſa erant, &c, ut inter cives, contra vim peregrinam facile conſenſum eſt, cautumque, oblitterata offenſionum memoria, nequis ſuper religione interrogaretur, neu rata eſſent judicia, quæ ejus rei ante facta erant : ſed damnatis & res ſoli in fiſcum verſæ reſtituerentur, aut, ſi alienatæ eſſent, dati æſtimatores alteri rem, alteri pretium addicendo, poſſeſſionibus & evictionibus modum ponerent : ut, quos in poſterum ritus recipi placeret, & de reſtituendis quæ Hollandi Zelandique Regi propria bello detinebant, & quam iſti pecuniam conſtituerant ob duas Arauſionenſis expeditiones, ejuſve debiti portionem cæteræ nationes in ſe transſcribi paterentur, poſt liberatam externis armis Rempublicam, totius Belgicæ Concilium judicaret.

Belgæ ad ſui defenſionem opera Arauſionenſis uti ſtatuunt. Pacis Gandavi reſumuntur colloquia. Ejus leges.

Interea refoverentur commercia, pars utraque præſenti jurisdictione & receptis jam ſacris uteretur: nec liceret Hollandis eorumque ſociis extra ſuos fines quicquam in religionis cauſa immutare, data tamen Arauſionenſi poteſtate cum urbibus ad ſuam præfecturam pertinentibus paciſcendi. In has leges pax facta Gandavi inter Naſſavianas gentes, & Brabantos, Flandros, Atrebates, Hænovios, aliasque nationes, præter Lucemburgios, quorum rectores Hiſpanico nomini privatim obnoxii, & populus ipſe antiquitus fidei in principes retinentiſſimus: ſed Friſii acceſſere, & obnitentem præfectum vinxerunt Caſparum Robleſium, gente Luſitanum. Dejectis paſſim arcibus ſervitus exuta, & quia inſeſſa Hiſpanis Antverpia commerciis nationum intercedebat aperti juxta Scaldis aggeres, ut per merſa naves tuto vectarentur. Fœdus poſt initum Bruxellæ, & belli ſocietas adverſus Hiſpanos

Lucemburgii fœderi non accedunt, accedunt Friſii Præfecto ſuo in vincula conjecto. Dejectis arcibus exuitur ſervitus. Fœdus contra Hiſpanos omnium ordinum confirmatur juramento.

nos

1576.

Fœdus contra Hiſpanos omnium ordinum confirmatur juramento.

nos firmata juramento ſacerdotum, nobilitatis & plebis: adſentit & Senatus. Fuitque id unum omnino tempus, quo de rebus Belgicis bene ſperare licuit, ſi cum armis & odia ponerentur. Sed mihi hæc altius repetenti certiſſima malorum origo videtur procerum æmulatrix ambitio, & huic non diſſimile populi vitium abruptus ſuæ religionis amor, nunquam ſe intra fœdera, nunquam præſentem intra ſortem tenens: hæc dum manent, nec partes unquam deſunt, nec inſtrumenta in libertatem. Itaque Rex Philippus perlatis ad ſe conditionibus, edoctus quanto omnium ſtudio probarentur, & patere externas amicitias ſiquid in ſuos durius conſuleret, cedendum tempori exiſtimavit, editaque lege, qua pacta confirmarentur, clam interea ſtatuit occaſiones opperiri diſtrahendæ Societatis. At Arauſionenſis filium, cui ex pactis libertas debebatur, ut paternarum actionum obſidem retinebat. Rectorem autem Belgicæ miſit Iohannem Auſtriacum, imperatori Carolo extra conjugium genitum, ut juvenem ingenio acrem, clarum navali in Turcas prælio, & Pontificis gratia florentem, rerum majorum meditamentis avelleret: & ut ſpecimen eſſet ſervandarum in poſterum legum, tam propinquus ſanguis in regimen miſſus. Mandata hic pacis ſervandæ præferebat, ſecreto juſſus Rodæ conſilia ſequi, quem Hiſpanicæ ſeditionis ductorem fuiſſe narravimus; ſed non ſatis occultabat credita ſibi odia, impatientia ætatis, & ſimul literis interceptis intima conſiliorum intelligebantur. Quæ conſiderans Arauſionenſis, intentusque ne tam ferentem fortunam extrema corrumperent, auctor erat Belgis, ut, expenſo, quantum apud Philippum peccaſſent injuſſa pace, manifeſtum iræ præfectum, ſed adhuc inermem & in finibus agentem, bello opprimerent. Id alii primariæ nobilitatis Arauſionenſi non ſatis æqui, veteri offenſione, aut invidia recenti, inhibuere: plerique rerum turbine, quam conſilio immixti partibus, reverentia Principis continebant arma intra ſe tuendi neceſſitatem. Ita, pace facta in oppido Lucemburgiorum, cui Marſa nomen, conceſſa Auſtriaco præfectura, ſi prius Hiſpanum militem, deinde exteros omnes dimitteret: Hollandis, & qui earum fuerant partium, multa nequicquam contra cauſantibus. Tum autem incredibili gaudio metus omnibus abſceſſerat, cum Hiſpanorum exercitus ex pacto urbibus diſcederet: quanquam cruenta ſecum ſpolia, & decem annorum rapi-

1577.

Philippus tempori cedens pacta confirmat.

Iohannem Auſtriacum Belgicæ rectorem mittit.

Hunc ſervandæ pacis mandata palam præferentem ad contraria omnia veniſſe, interceptæ docent literæ.

Illum ut bello opprimant, fruſtra Belgis ſuadet Arauſionenſis.

Invitis Hollandis, illorumque ſociis Auſtriaco ſumma conceditur præfectura.

1577.

Hiſpani militis Belgica excedentis jactantia.

nas trahens, atque ultro jactans, intra ſex menſes proximos occiſa a ſe Belgarum triginta millia, imbellis haud dubie turbæ, cum ſuorum ſupra ſexaginta amiſſos intra idem tempus negent: nec tamen digreſſi longe, apud Mediolanum, quidam etiam citerius, detinebantur, dum illos parato bello Iohannes revocaret, qui ſummis honoribus in regimen acceptus, ſed moræ omnis juveniliter impatiens, aditus interea

Iohannes Namurcum occupat.

Belgicæ inſidebat, brevique erupit, occupato Namurco, & aliquot oppidis ad eum limitem. Germanicas etiam cohor-

Germanicas cohortes ad urbium deditionem ſollicitat.

tes, quæ ſtipendiis nec dum ſolutis in Belgica manſerant, ad urbium deditionem ſollicitabat, eratque illis promta perfidia, ſed iners animus, & ad pœnitentiam facilitas eadem, ſi minis aut pollicitationibus tentarentur. Hac ratione pleraque

Ab Ordinibus prævenitur.

Brabantia ſervata eſt, tradente in Ordinum poteſtatem milite non præſidia tantum, ſed ipſos duces. Ordinum nomine utuntur nationum ad commune concilium legati, ad quos poſt Senatus regii vim fractam pleraque Reipublicæ devenerant.

Ordines Iohannem violatæ pacis apud Regem accuſant.

Ille Arauſionenſem.

Neque dum bellum erat: ſed accuſabant Ordines Iohannem apud Regem aliosque principes non obſcure violatæ pacis: ille rurſus Arauſionenſem criminabatur, contra fœderis leges novos ritus ſtabilire in urbibus, quas paciſcendo imperio ſuo adjunxerat. At is apud omnes Belgicæ civitates ingen-

Qui apud omnes libertatis audiebat author;

ti fama libertatis auctor ferebatur, egregiusque morum, quibus ſtudia hominum elici ſolent, potentiam quaſi remitteret, gratia muniebat: lenitate denique & prudentia, & quia acri perveſtigatione literisque interceptis demonſtraverat, Auſtriaci inſidiis ſe primum & ſuos, deinde fœderis nexu re-

Ad præfecti dignitatem a Brabantis evocatur.

ſoluto cæteros peti, tantum favorem eſt conſecutus, ut ad præfecti dignitatem a Brabantis evocaretur. Id Arſcotius, qui eo tempore Flandriæ erat præpoſitus, Lalænius, Campi-

Id Arſcotius aliique ægre ferentes,

niacus, aliique nonnulli permoleſte tulerunt: quippe rerum ſummam ad Arauſionenſem vergere, cui genere paucos, peritia & auctoritate parem neminem haberi. Igitur quoniam

Mathiam Auſtriacum ad regimen invitant.

longe ſe ab illo relinqui vident populari gratia, nec metus aberat, ne rerum potitus ſacra ſuos ad uſus verteret, obſtruere quærunt ejus claritati nominis majoris fulgore. In locum demortui Maximiliani patris Rudolphum imperatorem Germania ſubrogaverat, ejus tunc illi fratrem Mathiam, multa pollicitando, aula excivere, nullo palam imperatoris aſſenſu, ne Hiſpanum offenderet. Iidem, quod armis & validis urbibus præerant, facile ſe effecturos putarant, ut perductum

ad

1577.

Arſcotius in cuſtodiam datur.

Arauſionenſis quoque ſuaſu Mathiæ ſummum Belgicæ permittitur regimen, ipſi vicarium.

ad ſe juvenem, & ſibi cuncta debentem, haberent in poteſtate, ejusque nomen juſſibus ſuis præſcriberent: quæ providens Arauſionenſis nonnullos conſciorum ab eo conſilio ſummovit, perſuaſitque ut juſtam potius auctoritatem in legitimo Ordinum imperio, quam partem in paucorum potentia ſperarent. Et forte eodem tempore accidit, ut Arſcotius, princeps Naſſaviis pridem æmulæ domus, ſpe vana elatior plebem Gandavenſem inſolenti dicto offenderet: quæ natio Flandrorum mobiliſſima, & nobilitatibus adverſa, ipſum cum omni comitatu in cuſtodiam pertraxit. Sed Arauſionenſis quanquam Mathias ab inimicis vocatus, nec ipſius ſponte advenerat, Belgæque cæteri jam tum Galliam magis reſpectabant, pudori illius conſulens, auctor Ordinibus fuit, ut adoleſcentem clarum fraterna majeſtate & regis propinquum, cauſæ ſuæ admoverent. Quod eousque placuit ut Mathiæ regimen Belgicæ, Arauſionenſi vicarium imperium imponeretur, idque velut recuſanti; quo aucta illorum ira eſt, qui ſpe duntaxat ejus dignitatis gratiam partis quæſiverant. Mathiæ præfectura mandatis & additis adſeſſoribus circumſcripta eſt; nec ipſi libido quicquam ejus faſtigii, præter vitæ ſplendorem habitumque uſurpare.

HUGONIS GROTII
ANNALIVM BELGICORVM
LIBER TERTIVS.

SVMMARIVM.

Iohanni bellum indicitur. Regina Angliæ Belgis favere incipit; Regi pacem cum illis ſuadet. Belgarum exercitum cædit Iohannes. Victi ſpe pacis tentantur, conditiones repudiantur. Franciſcus Valeſius & Caſimirus Belgis operam offerunt. Reſpublica undique confuſa. Naſſaviani Amſtelodami atque alibi Romanâ ſectâ magiſtratus autoritate exuentes Socios offendunt. Iohannes Naſſavius Gelriæ, Rennebergius Friſiæ rector; huic Campi & Daventria deduntur. Caſimirus cum copiis advenit. Valeſius ordinum decreto Belgicæ libertatis vindex. Reformatorum poſtulata ab Ordinibus admittuntur, diſſidia inter illos & Romanenſes. Gandavenſes Ordinum imperium detrectant. Romanas cærimonias urbe exigunt, eamque muniunt. Atrebates & Hanovii illos bello coercendos contendunt; obſiſtunt Arauſionenſis & alii. Caſtra irrito conatu adoritur Iohannes. De pace inſtituuntur colloquia. Ejus conditiones. Iohannes copiis auctus ei renunciat. Belgarum inter ſe diſſidia propinquam quæ libertatem avertunt. Montiniacus Atrebatum Factionem amplectitur, Gandavenſes militem adverſus eos conſcribunt. Belli obtentus. Flandri a Caſimiro militem accipiunt. Franciſcus Binckium expugnat. Militem ſuum ad Montiniacum dilabi patitur: Belgas ingratitudinis reos agens in Galliam digreditur. Iohannes ſubite moritur non ſine veneni ſuſpicione. Parmenſis illi ſuccedit; ejus indoles & artes. Belgarum diſſidia magis exardeſcere facit, quibus fruſtra remedia quærit Arauſionenſis. Parmenſis Trajectum ad Moſam obſidet. Legati interim ad faciendam pacem conveniunt, cui occulte obſiſtit Arauſionenſis. Belgas ad Regis gratiam invitat Parmenſis. Illi reconciliatur primus Lamota, quem alii ſequuntur. Pacis conditiones. Plures diſſidentium Belgarum nationes Philippus iterum ſub imperium redigit: cæteras arctiori fœdere Trajecti Batavorum illigat Arauſionenſis. Fœderis Trajectini ſumma. Per alias Belgicæ nationes maximæ turbæ. Secta Romanenſis Sylvaducis prævalet, Reformati Antverpiæ. Multi hinc ad Hiſpanos deſciſcendi occaſionem rapiunt. Ipra & Gandavum fœderi accedunt. Arauſionenſi Flandriæ præfectura confertur. Parmenſis Trajectum ad Moſam expugnat. Machliniam aliaſque urbes ſibi conciliat. Fœderatis oblata a Rege pacis leges diſplicent. Cum Arauſionenſi ſeorſim agitur. Fœderatæ reipublicæ vitium. Philippus per Albanum Luſitaniam ſubigit, hinc magna Batavis incommoda. Parmenſis aliquot oppida recipit. Machlinia ab Anglis diripitur. Parmenſis mater ad regendos Belgas revocata remittitur. Bellum in Friſia exardet. Groninga ad Regem deſciſcit. Enteſius eam obſidet. Schenkii opera ſolvitur obſidio.

obſidio. Rennebergius a Stenovicì obſidione depulſus moritur. Romanenſibus in Brabantia & Transiſalana privata quoque ſacra interdicuntur. Arauſionenſis Ordinibus novi Senatus autor. Vt Philippum repudient ſuadet, ac Franciſco Valeſio principatum deferant. Philippo imperium abrogatur: Hoſtis vocatur. Matthias honorifice dimittitur. Hiſpanus in proſcriptum Arauſionenſem percuſſorem invitat: Hic libello ſe defendit. Ejus innocentiam Ordines teſtantur. Franciſcus ad imperium vocatur, cum exercitu adveniens obſeſſum Cameracum liberat. Tornacum Parmenſi deditur.

REbus eum in modum conſtitutis, Iohanni bel- 1577.
lum denuntiatur; quo tempore reditus men- *Iohanni bellum indicitur.*
ſtrui ad ſexcenta millia florenorum publico
ærario inferebantur, quorum liberrimam diſ-
penſationem delectusque & belli conſilia, quo
melius laterent, Senatui Ordines permiſerant. Tum de-
mum regina Angliæ dignas Belgarum vires judicavit, qui- *Regina Angliæ Belgis favere incipit.*
bus faveretur: proprio etiam metu, quia Iohannes cum
Scota conjugium, & per eam ſuaque arma Britanniæ re-
gnum animo agitabat; idque magnis indiciis compertum.
Quapropter pecunias & auxilia promiſit, interpoſitis reſti- *Pecunias & auxilia promittit.*
tuendi cautionibus, & hoc titulo inſcriptis, ut Belgicæ gen-
tes in Philippi obſequio continerentur: atque ita ſe reipubli-
cæ immiſcuit, ut nihil magni pateretur, ſine ſua voluntate, *Nihil patitur ſine ſua voluntate apud eos decerni.*
decerni: danſque operam, ut res novæ concordia fulciren-
tur, fruſtra a Belgarum nonnullis in Arauſionenſem incita-
ta, atque alios viciſſim monens, ne veterem Romanæ reli- *Ne temere Romanæ religionis poſſeſſio moveatur, monet.*
gionis poſſeſſionem temere moverent, intendit opem quan-
tum pericula gliſcebant. Cumque hæc ageret, literas ad Re-
gem mittebat, ſuadentes veram pacem, & regimen juxta
leges; ſin ad arma ſubditos adigeret, intentis jamdudum Gal-
lis; ne moleſte ferret ipſam inimicæ genti Belgarum ſocieta- *Regi per literas pacem ſuadet.*
tem prævertere, anxie interim ſuſpiciones purgans affecta-
tæ ex alieno potentiæ. Nec minus Henricum Galliarum re-
gem, Sebaſtianum Luſitaniæ, ipſumque Imperatorem ro- *Ordines Philippum ſibi mitigare ſtudent.*
garant Ordines, ut Philippum ſibi mitigarent; hunc etiam
ut cauſam auxilio dignaretur, quod tum fruſtra fuit. Valeſce- *Valeſcunt interea inter illos ſimultates.*
bant interea ſimultates & odia regentium: multi adeo ca-
ſtris, ad Lucemburgum ſitis, diffluebant, varia obtendentes,
ſed tacite honores alienos in ſuam injuriam interpretaban-
tur. At Iohannes receptis Hiſpanis, ingentibusque copiis 1578.
auctus, quas illi Parmenſis, Belgicæ quondam rectricis filius,

1578. ex Italia adduxerat, exercitum Belgarum, qui ducum diſceſſu in dies minuebatur, introrſus recedentem in Brabantiam ad Gembliniacum prælio cecidit: nec parva victoriæ præmia; Lovanium quod ex ea parte Brabantiam aperit; Limburgum ducatu inſigne, & cognominis ditionis caput, in Germaniæ ſubdita excurrens; & Philippopolis, quam urbem novo validoque opere Arauſionenſis, regii quondam exercitus ductor, Gallis objecerat, cum tantum externa metuerentur: ſed & alia circum oppida ceſſerunt. Victos ſpe pacis tentare regi placuit, Barone Sellefio conditiones ferente ex Hiſpania diverſas a pactis Gandavenſibus, & quibus Iohannis præfectura non mutabatur: quod tunc ſatis viſum cur recuſari deberent. Noſſe enim ſe Belgæ tum primum cœperant, & augebant fiduciam principes certatim operam & militem offerendo. Hinc Franciſcus Valeſius, Andium dux, regis Galliarum frater, jam ante pacem Gandavenſem & poſtea ſæpe ambitus Belgarum primoribus: inde Caſimirus, qui Palatinatum Germaniæ adminiſtrabat: domi poſtpoſitus uterque naſcendi ordine, atque eo avidi increſcere alienis. Franciſcus haud contemnendo ingenio, ſed animi inquies, belli ſe ducem dederat, quod ad reſtituendam contra aulæ injurias Galliæ libertatem, & pro quiete religionum ſumi tum dicebatur: quod ſeu fratris odio fecit, vita imbelli & infœcunda regnum detinentis, ſive ad vim partium avertendam maternæ calliditatis inſtrumentum fuit, famam ſane ſibi popularem ejus cauſæ tutela, & pace facta ampliſſimas poſſeſſiones paraverat. Sed famam brevi fœdavit in ſocios verſis armis, aliorum ſævitiæ miniſter. Quo tempore Margarita Valeſia, Navarri uxor, quod ſe mariti fratrumque bellis eximeret, abſentiæ deſiderium ad aquas Spadanas itinere velans, cum Cameraco Montibusque tranſiret, uſa occaſione potiſſimis illic locis, moribus, lingua Galliæ propioribus, nec religione diverſis, Andinum valde commendaverat. At Caſimirus eodem tempore, ingens Navarri partibus auxilium, quæ ſibi privatim pepigerat, concordiæ remittens, æqui religioſique animi præbuerat argumentum. Vndique confuſa hoc tempore Reſpublica fuit, velut indigeſta moles, & partibus diſcors: dum quaſi vacuum regimen rapiunt ſinguli, diverſa via. Et contra regnum quidem armis certabatur: ſed aliis laudata, principatus & leges: alii vires ſuas præ Venetis atque Helvetiis admirati, nec conſiderata diſſimilitudine, optimatium nomine

Belgarum exercitum cædit Iohannes.

Victoriæ præmia.

Victi ſpe pacis tentantur.

Oblatæ conditiones recuſantur.

Franciſcus Valeſius & Caſimirus Belgis operam offerunt.

Margarita Valeſia fratrem commendat.

Reſpublica undique confuſa.

mine imperium diſtrahebant: aut etiam, quod dignitate ab aliis vincebantur; plebejæ potentiæ imminentes vulgus, qua turbidiſſimum, ductu, voce concitabant, inclementes ſuſpicionibus, nec ullam probantes cum exceptione libertatem. Intus & palam partes & ſeditiones erant: nec eo minus bellum; lentum tamen, nec ſatis intentum tempori, quia pro ſtudiis copiæ diſtinebantur. Amſtelodamum, quam maximam Hollandicarum urbium libertati defuiſſe diximus, Iohanni tunc etiam fovebatur. Sed quia Naſſaviani urbem circumvenerant, nec ulla ſpes auxiliorum e tam longinquo erat, ventum ad pactiones: quæ religionis cauſa extorres patriæ reddebant; niſi extra mœnia, prohibitis eorum ritibus. Sed cum Romanæ ſectæ homines, ambiguæ fidei, interdum & in hoſtem reflecti crederentur, exſules pulſis magiſtratibus, & his qui ſacris præerant, publico potiti ſunt. Idem diverſis temporibus ſimilibus ferme de cauſis Trajecti & Harlemi, & aliis Hollandiæ in oppidis accidit, quæſito adverſus fidem datam colore, ex magiſtratibus in hoc inſtitutis, ut quod ipſi probarent, id invita civitate fieri non videretur; quod ibi quidem haud inutile concordiæ, at ſociorum animos offendit, qui Romano pontifici addicti, in ſe vires quæri ſuſpicabantur. Geldriæ regimen Iohannes Naſſavius ordinavit, cui Arauſionenſis eam præfecturam mandari curaverat, quo pluribus munimentis inſiſteret. At in Friſia, cui tum datus Rennebergius rector, vetera Groningæ urbis & agri circumjecti ob mercium evectionem certamina, velut alta pace, exarſerant: dubium an ſponte præfecti, ut certius imperaret. Legatos ad ſe partis adverſæ plebs urbana vinxerat: eadem, poſtquam privato utrinque auſu arma tentaverant, ſuperior evaſit. Et captis quidem reſtituta libertas: odia, quanquam Mathias & Arauſionenſis intercedebant, manſere, donec publicis diſſidiis hæc quoque miſcerentur. Etiam Friſiæ quoſdam ſenatores, qui Hiſpanorum victoriæ faverant, ſuffectis aliis aſſervari juſſit Rennebergius, unaque Leovardiæ pontificem. Hæc ob merita proprius regendæ & perdomandæ Tranſiſulanæ dux eligitur: nam Campos & Daventriam Germanus a Iohanne emtus miles tenebat. Utraque urbs dedita eſt. Sed ad Daventriam longius hærenti recens auxilium Caſimirus cum peditatu octo millium, equitatu paulo minore, advenerat; copias adducens majores imperatis. Nam Angliæ regina, pro-

1578.

Naſſavianis deditur Amſtelodamum.

Pulſis Romanæ ſectæ magiſtratibus publico potiuntur.

Idem alibi accidit.

Quo ſociorum animi offenduntur.

Iohannes Naſſavius Geldriæ rector, Friſiæ Rennebergius.

Huic regendæ & perdomandæ Tranſiſulanæ electo duci Campi & Daventria deduntur.

1579. promiſſæ pecuniæ loco, militem adjunxerat; & ipſe ultro auxerat numerum, officii ſpecie: quod Romanæ religionis primores ſiniſtrius interpretabantur, atque eo promptius Franciſcum Valeſium ſuæ ſectæ Principem acciendum, orandumque curaverunt, patiente Arauſionenſi aliiſque, ne ſuſpiciones in ſe onerarent. Nominatur igitur decreto Ordinum Franciſcus vindex Belgicæ libertatis, & ſuper quod de reſtitutione impendiorum cautum erat, addicuntur illi, in præmium ſocietatis, oppida quæcunque trans Moſam hoſtis poſſidebat. Dum hæc geruntur, & inferiores pietatis ſtudiis, maximus quiſque ob potentiam diffident, innovatæ religionis ſectatores rem impetravere egregiam ſibi, ancipitem reipublicæ: quia jus Imperii penes multos, nulla poteſtas celſior partium odia coërcebat. Poſtulata dederant ad Mathiam & Arauſionenſem, nec ante ignarum: quibus demonſtrabant, ſe illos eſſe nunquam adminiſtros dominationis, ſed materiam ſemper ſævitiæ Hiſpanicæ, cui deſtinatum parte optima civium orbatam rempublicam opprimere. Ne nunc quidem hoſtibus aliunde plus invidiæ: & pignus ſuæ fidei certiſſimum, quod unam ſpem in ſalute publica haberent: quippe ſi vetera redeant, inopiam ceteris & ſervitutem, ſibi mortes, cruciatus, flammas parari: deinde quod primi ſumptis armis dominationem afflixerint, omnem ſibi veniam præcluſiſſe. Merito igitur, quos peſſima regni maneant, partem æquam precari ex libertate. Opima ſacerdotia, ampliſſimos proventus aliis ſe relinquere; tantum ne velut profani templis & curia arcerentur. Non ſe in Deum pietate, non in patriam fide ceſſuros. Dubitatum aliquamdiu: & tandem laudantes Germaniæ Polonorumque exemplum, & vetera permulta perſuaſere, quorum hæc conſilio petebantur, concordiæ intereſſe ne rejicerentur æquæ preces. Nam in exercitu quod roboris erat, inde ſtare: compertumque experimentis, rerum curam non aliis tutius credi. His accedebant, quod Romanæ ſectæ nonnulli, præcipue qui ſe Ieſuitarum nomine jactitabant, in juramentum contra Iohannem adigi non poterant, & pars haud exigua, cui plus ſpei in regiis partibus, ſponte diſceſſerant; multique magiſtratus, ita edocti, ſeu quod ejus partis auctoritatem providebant, Naſſavianæ religionis ſtudium amplectebantur. His de cauſis communicati illis honores, & quibuſcunque in locis familiæ

Valeſius Ordinum decreto Belgicæ libertatis vindex.

Reformatorum poſtulata,

ab ordinibus admittuntur.

miliæ non minus centum poſtularent, juſſæ illorum ſacris diſtribui ædes: hac lege, ut Latinorum cæremonias præferentibus per Hollandiam & Zelandiam tantundem concederetur, quod tamen non evenit. Poſt hæc quæ ſequuntur, non ſine miſeratione aut ingenti exemplo transeunda, tanti motus, tanta odia, & turbæ turbis obtentui. Nam & Romanenſes alteris nihil prorſus concedere, & illi non jam impunitate aut arcano ſuo læti, adverſus contumaciores magiſtratus legis munus privatis viribus rapere, & poſtquam prævaluerant, reſpicere ultionem. Ita qui vota jam dudum, opes & conſilia contra Hiſpanos nuper admodum junxerant, cives contra cives ipſis in urbibus armati ſtetere; dum adverſarios pellerent hoſtium ſecuri: ne militis quidem multo ad bellum uſu, cujus præſidio pax interna continebatur. Ac ſicut morborum exitiales remedia aſpernantur, ita qui tum concordiæ ſectatores erant, eos concurrentia e diverſo odia premebant, ſigniferis ad ſeditionem his, quos patientiæ doctores eſſe oportuerat; per quos communis hujus ſæculi peſtis in utraſque partes vulgata eſt; inverſa rerum nomina, ut cæca diffidendi libido pius ardor, modeſtia & animi temperies ignavia, aut etiam proditio vocaretur. Gandavenſes igitur eo jam provecti licentiæ, ut impunitatem niſi ex audaciæ magnitudine non ſperarent, concitore Imbiſio, qui per tritum quondam Arteveldis iter ad potentiam graſſabatur, palam ſatis imperium detrectant. Negabant ultra ſe viſuros Romanas ſuperſtitiones, ſævitiæ & tot ſcelerum repertrices: non quod auctores ſeditionis multum ſua referre exiſtimarent, utrius religionis ſpecie tumultuarentur: ſed veteribus nova, receptis propria præferebant; & forte convictis nefariæ libidinis aliquot monachis, flagrantem recenti odio atque invidia ordinem, deinde ſacerdotes exegerant. Tum conſcii quantum cœptarent, urbem operibus munire inſtituunt: quæ ingenti ambitu par maximis urbium, cæterum non tota habitatur: nam obſeſſi ſæpe, & ex moribus ſuis eadem in poſterum metuentes, mœnibus arva incluſerant. Quo magis munitio procedebat, hoc minus Ordinum & Mathiæ mandata audiebantur, vaniſſimis in illos criminibus jactatis, & ex his, quæ in ſe iritaverant, retro quæſito colore. Nec ulla Arauſionenſis gratia, quanquam eo ſuaſore avitas leges, rebellione quondam in Carolum amiſſas, Gandavenſes re-

1578.

Inter Romanenſes & Reformatos interna diſſidia.

Gandavenſes concitore Imbiſio palam imperium detrectant.

Romanas cæremonias cum ſacerdotibus urbe exigunt.

Vrbem operibus muniunt.

Ordinum & Mathiæ mandata deſpicatui habita.

Neque ulla apud illos Arauſionenſis gratia.

1578.

Atrebates & Hænovii novam legem recuſantes, contendunt Gandavenſes bello coërcendos.

Obſiſtunt Arauſionenſis & alii.

ceperant. Quin & in vicinas Flandriæ urbes promotum eſt malum. Contra vero Atrebates & Hænovii Romanæ religionis tenaciores, quod ita plerique ſentirent, præterea proceres civili obtrectatione Arauſionenſi adverſarentur, novam legem & ipſi recuſaruht. Fœdere enim contineri, ne quid manente bello in religionibus mutaretur. Contendebant ad hoc, manifeſtam perfidiæ Gandavenſium civitatem bello coërcendam eſſe: quod Arauſionenſis & alii Belgarum principes commiſſuri non erant, ut, Hiſpano ſcilicet mediam fere Belgicam validiſſimis cum legionibus inſidente, in cives, utcumque meritos, arma verterentur: &, quod hoſtium prudentiſſimis prædictum, ſua ipſi diſcordia interirent. Sed dum vi cogere periculoſum eſt, juſſus, conſilia, preces, ut apud deſtinatam malitiam, ſpernebantur.

Exercitus Belgarum dux Boſſuvius.

Gandavi vicecomes magiſter equitum.

Præfectus caſtrorum Lanovius.

Caſtra irrito conatu adortus Iohannes.

Maxime eo tempore Belgarum exercitus dux erat Boſſuvius, quem Friſio in pelago, cum Hollandiæ reliquias ſub Albano regeret, captum fuiſſe memoravimus. Lalænio Ordines id munus abrogaverant, quod ipſorum injuſſu caſtra reliquiſſet, cum ad Gembliniacum male pugnatum eſt. Magiſter equitum erat vicecomes Gandavi Melodunea domo: præfectus caſtrorum Lanovius, egregiam famam civilibus Gallorum bellis conſecutus. Caſtra, non procul Machlinia ad Riminandum vicum ſita, Iohannes adortus eſt, tantumque depulſus. Erratum in eo plerique tradiderunt, quod non inſtitum eſt diſcedentibus: quippe illa die Hiſpanorum copias bebellari potuiſſe. Sed & urbes obſidendo annus iſte occupari potuit, ſi ducum proviſu foſſores atque id genus operæ caſtrenſes adfuiſſent. Non omiſſa inter hæc pacis colloquia; rogati enim exteri principes rationem inire concordiæ ſuadebant Iohanni, ut quando Belgarum vires multo præpollebant, integra ad huc fama exiret, & ſpes alias ſecundiores aggrederetur. Regem quoque rectius facturum, ſi gentem validam & armatam ſibi conciliaret; nec tantum imperium temere projiceret, jam paratis qui exciperent: hoc autem obtineri non poſſe, niſi, probato Gandavenſi fœdere, religiones ipſorum arbitrio permitterentur: æquiſſimum autem eſſe ut captivis omnibus, & inter eos Arauſionenſis filio, redderetur libertas. In has leges facta pace comprehendi debere qui cum Belgis ſocietatem iniiſſent, ut & horum quieti conſuleretur. Ad hæc Iohannes, niſi Arauſionenſi in Hollandiam relegato ſpem nullam face-

De pace interim inſtituta colloquia.

Ejus conditiones.

1578.

facere pacis : nec de religione quicquam concedere ; tantum inducias non recuſaturus videbatur. Pax ſcilicet validiorum fere arbitrio conſtitui ſolet : infirmis belli dilatio omnis in lucrum cedit. Sed cum novis auctus copiis triginta peditatus millia, ſexies mille equites obtineret, nec jam multo ſe Belgis imparem crederet, præſertim diſcordibus, in Bonga monte, qui Namurco imminet, metatus caſtra, colloquium abrupit, omni pacificatione ad imperatorem rejecta. Caſimirus interea diutius in Geldria moratus, ære non ſatis parato, quod militi ſolvendum erat, magnum agmen tarde moliebatur. Ejus adventu Belgarum exercitus quadraginta peditum, viginti equitum millia habuit: quibus cum copiis Franciſci auxilia opperiri, deinde Iohannem circumſidere lentum nimis conſilium erat, ſatis certæ tamen ſpei, ſi incipi potuiſſet. Sed illa longi temporis peccata, honorumque nimia & divitiarum aviditas, & utriſque abutendi libido, quæ Belgas antea Hiſpanis in ſervitutem mancipaverant, eadem propinquam tunc & in conſpectu libertatem avertere. Hænoviorum enim & Atrebatum cum Flandris contentiones eouſque exarſerant, ut exuta publici cura ſingulæ gentes tributa in proprios uſus retinerent. Manante latius exemplo, cohortes aliquæ jam dudum otio laſcivientes, cum ſtipendio fraudarentur, a republica ſeceſſerunt, arcano ducum inſtinctu, qui non ſatis ſibi in dignitatibus profeciſſe videbantur. Hic igitur miles occupato Menenio (Flandriæ id municipium eſt) circumjacentem agrum rapinis incurſat. Adhuc intra privatam audentiam vis ſtatura ſperabatur, cum ſubito præcipuæ inter tribunos auctoritatis Montiniacus ſuſcepit regimen, & in Atrebatum factionem tranſtulit. Adverſus eorum injurias Gandavenſes proprias cohortes conſcripſere : ſed in hoc milite domi feroce, bellorum rudi, non ſatis præſidii ad prohibendas inimicorum populationes erat. Ita autem illi ajebant, ſacerdotes Gandavo per vim & ſeditionem expulſos apud ſe exſulare : nec potuiſſe negari propter ſanctimoniam ordinis, aut fortunæ ipſorum indignitatem, ſupplici turbæ alimenta, quæ, cum juri locus non eſſet, a bonorum ereptoribus armis ſe repoſcere. Hoc belli obtentu (nam in apertam hoſtilitatem diſſenſiones tranſiere) prædæ quotidie ingentes agebantur : donec Caſimiro Flandri accito militem ab eo accepere, ſtipendium de ſuo polliciti, cujus

Iohannes novis auctus copiis colloquium de pace abrumpit.

Caſimiri cum exercitu in Belgicam adventus.

Belgarum inter ſe diſſidia propinquam libertatem avertunt.

Montiniacus Atrebatum factionem ſequitur.

Gandavenſes militem adverſus eos conſcribunt.

Armorum prætextus.

Flandri à Caſimiro militem accipiunt.

1578. cujus tunc magna ubique penuria erat. Ipſe principatum ſperaſſe, & vanitate gentis atque rerum eventu eluſus creditur. Sed Franciſcum ea tempeſtate Hænoviæ oppida attinebant. Id ille Lalænio ejus regionis præfecto gratificabatur, gnarus quorum ſponte veniſſet. Equites paulo plures octingentis, peditatus ſex millia adduxerat, Gallicorum tumultuum ejectamenta: quos poſt inclemens iter, & violata paſſim hoſpitia captis aliquot caſtellis, & autumno jam procedente, apud Binckium oppidum depoſuit. Id obſidio & oppugnatione in poteſtatem venit, pretium temporis vile. Ipſe Monte Hænoviæ urbe plerumque morabatur, non ſine indignatione, quod attributa præſidiis loca oppidani non traderent: oratuſque ut ad Belgarum exercitum accederet, prius ſe venturum negavit, quam idem faceret Caſimirus: cujus Gandavenſi profectione non mediocriter offendebatur amicus jam ante, & tunc competitor, exardentibus ad contumelias uſque odiis. Nec demotus eſt ſententia, demonſtrante quamvis Mathia & Arauſionenſi, ipſaque Angliæ regina, Flandrorum & Caſimiri factum ſibi non probari: quin ultro paſſus dilabi militem ſuum ad Montiniaci cohortes. Ita duces duo, commune Belgis auxilium polliciti, acceſſere partibus in exitium ejus enatis: nec multo poſt dux Andium in Galliam, Caſimirus in Angliam digreſſus, alienæ reipublicæ bona malaque reliquerunt. Sed diſcedenti Gallo Belgæ, quos ille & illius nomine alii principes ingrati animi reos agebant, ſi pax cum Philippo confieret, decreta, & ſtatuas, & honorum inania pollicentur: quod ſi ad alia veniretur conſilia, ipſius ante cæteros eam rationem habitum iri, quam dignitas ipſius & ſummo reipublicæ tempore impenſum beneficium poſtularent. Is fuit rerum ſtatus, cum Iohannem Auſtriacum rapuit vis morbi ſubita, quam facile receptabat æger animus, & fortunæ iratus. Quippe cum egregiam ſibi, non ex vitiis hoſtium, victoriam vellet, impediri gloriam ſuam ab inimicis, quos in Hiſpaniæ regia plurimos habebat, ſupra quam valetudo ferret, indignabatur. In literis certe interceptis contumax deſperatio apparuit: & paulo ante Scovedonem, intima ejus curare ſolitum, in Hiſpania Philippus clam occidi juſſerat, ut apud magnanimi juvenis cogitationes periculoſe ſolertem. Nam ſupra natalium ſortem Tunetenſe quondam regnum, tunc & Angliam ſperaſſe

Franciſcus Binckium oppidum expugnat.

Ad Belgarum exercitum ſe venturum negat.

Militem ſuum ad Montiniacum dilabi patitur.

Belgas ingratitudinis accuſans in Galliam digreditur.

Morbi vi ſubita rapitur Auſtriacus.

Nimiæ ambitionis Philippo ſuſpectus, veneno extinctus quibuſdam creditur.

raſſe manifeſtuș, & cum Lotharingis in Gallica aula præpotentibus, clam Philippum, ſociaſſe conſilia, facile & res Belgicas in ſe verſurus timebatur. Vnde nec veneni ſuſpicio abſuit, incertum tamen unde dati, quippe inventis ſacerdotibus Romanæ profeſſionis, qui ſuam in hoc operam patriæ imputarent. Anglos alii ſuſpectabant, non ita dudum ſupplicio affectis, qui inde immiſſi in ipſum percuſſores dicebantur. Regendum militem reſiduaſque urbes Parmenſis accipit, ipſius primum Iohannis ac militum voluntate, poſtea & regis imperio; ingenii tectior, & ex Italia afferens fidei uſum, & peritiam ſimulandi. Terrere norat, & ignoſcere, veras artes quibus Belgæ caperentur. Itaque cum nullius armis tantum debeat Hiſpania, plus tamen hominum ſtudio conſecutus eſt: perficitque rem difficillimam, poſt libertatem ut dominationi faveretur. Hujus occultis ſuſcitationibus diſſidia gentium vehementius etiam exarſere, maxime poſteaquam de civibus aliquot ſumtum ſupplicium eſt, qui, ut Atrebatum urbem ad concordiam reducerent, coitionem auſi erant inteſtinam. Nec tamen Arauſionenſis deſtitit omnia malorum remedia experiri; acrior iis coërcendis, quorum crimina ipſius ad invidiam redundabant: & jam Gandavenſibus perſuaſerat, ut reſtitutis ſacerdotibus in fœderis leges redirent: deinde ad Montiniaci milites, & Atrebates conciliandos diligentiam vertebat. Sed patuit primores amplecti ultro cauſas ſeceſſionis, eoque implacabiles, quod Flandrorum animos iterum efferavit, Imbiſio ſummum Gandavi magiſtratum per vim adepto; & cætera honorum vocabula, quibus vellet, largiente. Caſimiri interea equitatum tutum iter orantem Parmenſis emiſit: inde ſecurus hoſte nusquam obvio Trajectum ad Moſam præſidio invalidum circumvenit, & oppugnationem aggreditur. Manente ejus urbis obſidio imperator, ad quem relegatam fuiſſe pacificationem diximus, Coloniam Agrippinenſem legatos miſerat: eodem Hiſpanus dux Terrænovæ cum regiis mandatis, & a Belgis Arſchotius aliique convenerant. At Arauſionenſis, qui nunquam dubitarat omnem cum Rege pacem in ſuum periculum fore; divulſa tunc Belgica, tot inter partes medius ipſe, atque eo cunctis inviſus, ne pariter hoſtibus & inimicis dederetur, haud temere metuebat. Sed averſari colloquia & judices Germanos, durum atque infame. Occultius,

1578.

Parmenſis Iohanni ſuccedit.

Ejus indoles & artes.

Illius ſuſcitationibus diſſidia magis exardeſcunt.

1579.

Arauſionenſis omnia remedia experitur.

At fruſtra.

Parmenſis Caſimiri equitatui decedendi poteſtatem facit.

Trajectum ad Moſam obſidet.

Interim legati ad faciendam pacem conveniunt.

Cui occulte obſiſtit Arauſionenſis.

1579. tius, quo eadem evenirent, curabat poſtulatis de religione inſiſti, quæque alia Regem conceſſurum nemo ſperabat. Cæterum potuiſſe eo tempore ſatis æquas conditiones obtineri, credibile eſt, niſi privatis pactionibus nonnulli pacem publicam corrupiſſent. Et Parmenſis, quanquam bello intentus, monere non deſinebat novorum cupientes, ut celeri pœnitentia gratiam occuparent. Ante alios Lamota Philippo conciliatus Gravelingam Flandriæ oppidum, cui præerat, eo traduxit, acceptaque paciſcendi poteſtate, illexit alios, clementiæ regiæ laudator & exemplum. Suas deinde copias (octo eæ millium erant,) non exiguum partibus robur, Montiniacus addidit, æris penuria, & quod ex merito in Belgas pœnam metuebat, Lanovio imminente. Atrebates & Hænovii aliquamdiu nutavere: tandem perſcriptis conditionibus ad cæteros Belgas, ut ſi vellent iiſdem uterentur, cum Parmenſi tranſegerunt; ſimulque Inſula, Duacum, & Orciacum, Flandriæ illius, quæ a Gallis diu poſſeſſa, & poſtquam ad ſuos principes rediit ſermonem inde retinet, civitates; quibus hæc privatim a Belgis diffidendi cauſa erat, quod in concilio proprium jus ſuffragii non impetrarent. Pacis leges cultum Latinæ religionis, ſolitum in principem obſequium, Gandavenſis fœderis comprobationem continebant: & ut intra ſeſquimenſem dimiſſo milite peregrino, regia ex pecunia, in quam contribuerent nationes imperio redditæ, civium exercitus, ad ea quæ convenerant propugnanda, conduceretur: de præfecto Rex diſpiceret: interea Parmenſi cuncta obedirent. Ita maximum militiæ robur regiis partibus Walones acceſſere, gens læta bello, & cujus tuto periculis Hiſpanus uteretur. Iſque jam finis omnino concordiæ Belgarum adverſus externam dominationem fuit. Ea nimirum firma demum ſocietas eſt, quæ ſpes eaſdem, aut vincula plura quam diſſentiendi cauſas habet. Commune Belgis vix quicquam extra odium Hiſpanorum: quo impulſi pacem fecerant Gandavenſem, præcipuis ad ſuadendum ſacerdotibus. Mox potentiam ſibi quiſque & contrarias per vias certabant. Arauſionenſis, & qui cum illo conſcii erant eadem quæ Egmondus & Hornanus meruiſſe, regi diffidebant. Hinc omne conſilium ſe ſuæque religionis ſectam firmare, quam ad rem gratiæ peregrinæ quærebantur. Pars altera, cujus crimen non erant belli primordia, fidem principi ſervare, fidem

Parmenſis Belgas ad occupandam Regis gratiam hortatur.

Ei primus reconciliatur Lamota.

Quem ſequuntur cum copiis ſuis Montiniacus aliique.

Pacis conditiones.

Reconciliati VValones maximum regiarum partium robur.

1579.

dem Romanæ religioni, veriti maxime ne aliorum impetu longius raperentur. Sic illos temere cohærentes promtum divellere Philippo fuit, ſi, hoc unum ſatagentibus, Hiſpanicum terrorem amoliretur.

Plures diſſidentium Belgarum nationes ſub imperium iterum Philippus redegit.

Ubi horum votis ſatisfactum, cæteri ultra tendebant; cuncta inter Belgas ſuſpecta diu, deinde hoſtilia fuere: nec unquam poſtea religiones coaluerunt. Tandem res accidit haud ſane inſolens, ubi ſemel in partes itum eſt, ut qui civibus noluerant cedere, violatis pactionibus ſub externa imperia adigerentur. Verum, omnium animis in pacem inclinantibus, facile Arauſionenſis intelligebat ſingulorum imprudentia diſſolvi rempublicam, ni in tempore obviam iretur.

Cæteras Trajecti Batavorum arctiori fœdere illigat Arauſionenſis.

Idcirco, ſolita uſus diligentia, Trajectum Batavorum ſe contulit, & ſaluberrimo ad res ſuas conſilio evocatos Ordines ejus nationis, tum Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæ ejus, quæ citra Lavicum flumen, & ejus, quæ inter id flumen & Amaſium eſt, arctiori omnes fœdere illigavit.

Fœderis Trajectini ſumma.

Summa hæc erat: indivulſos nexoſque inter ſe, haud alia republica, quam ſi una gens eſſent, pacem, inducias, nova bella, tributa, non habituros, niſi quæ univerſi juſſiſſent. In ſocietatibus contrahendis, & cæteris conſultationibus valitura majoris partis ſuffragia, & ſi qua diſſidia orirentur, de iis concilii, aut præfectorum judicium fore. Objecta hoſtibus munirentur, neu quis præſidium recuſaret: darentque operam ſinguli, ut in tributis, & nummi pretio æqualitas ſervaretur. Hollandis Zelandiſque ſua & una in publicum religio, cæteris nationibus eandem, an alteram, an utramque mallent, ipſarum arbitrio permittebatur. Adacti in hæc verba rectores, magiſtratus, conſilium cujusque urbis, & ſodalitates. Nam veteri inſtituto præcipui oppidanorum, quibus idonea armis ætas, in certa corpora, velut manipulos, adſcribebantur. Id præſidium bello, pace munimentum, cum nondum principatus ars fuit fidere externis: manet mos & deſuetæ virtutis inſigne; ſed uſu per hos motus reddito, fidelis ſæpe illorum opera adverſus hoſtem & ſeditiones fuit.

Omnium cum oppidanorum, tum agreſtium ætatis armis idoneæ initur numerus.

Hoc modo, quas dixi gentes, in leges fœderis Trajectini ſacramentum dixere: & nequid ipſas ſuarum virium lateret, numerus iniri juſſus eſt, oppidanorum ſimul & agreſtium, qui intra decimum octavum, & ſexageſimum ætatis annum agerent.

Per alias Belgicæ nationes maximæ turbæ.

At per illas nationes, quæ non adfuerant fœderi, quantæ non alias turbæ & certamina; dum pars communis religionis,

aut

1579. *Secta Romanenſis Silvam ducis tenet: Reformati Antverpiam;* aut patriæ cura adſciſci volunt; alios ſpes pacis propinquæ & diffidendi libido diverſos trahit. Silvamducis tenuit ſecta Romanenſis, alterius partis vano metu deſertam: cum Parmenſi qui permanſerant egere; hoc proprium pacti, ne unquam inviti præſidio gravarentur. Antverpiæ contra cecidit, manſitque ſuperior plebs adverſæ factionis, ſuppliciorum ſolennibus operatos adorta minaci concurſu. Nec Arauſionenſis inhibere potuit vulgus ſuum, quo minus per vim ejicerentur ſacrifici; ſed inimici ejus ita interpretati ſunt quaſi ſponte ejus accidiſſet, quod vetare non potuerat: *Quod Arauſionenſi imputatum.* nam erat ille ab omni truculentia alienus, ſed qui dato caſu ſapienter uteretur, aptandiſque ſibi hominum ſtudiis in longum jaceret olim profutura. *Multi hinc ad Hiſpanos deſciſcendi occaſionem rapiunt:* Coëgit id tamen multos e populo orbatos ſacris, contraria reipublicæ vota facere, cum mitius ſub rege ſervitium ſperarent; nonnulli etiam nobiles deſciſcendi ad Hiſpanos hanc occaſionem rapuere. *Inter quos Carolus Egmondi filius:* Fuit inter hos Carolus Egmondi filius, quem, dum capere Bruxellam conatur, gnaro, ut fertur, Mathia, conſcia cum manu Latinam religionem ſectantium, cæteri in foro obſeſſum incluſere; ubi illi ſuum facinus, & paternæ mortis imago maneſque inulti in ſupplicium verterent. *Qui Bruxellæ obſeſſus oppidanorũ miſericordia incolumis dimittitur.* Nam erant qui objicerent, eo in loco, & (quod mire congruebat) eodem undecim ante annis die, patrem carnificis gladio percuſſum; ejus gentis acerbitate, cui tunc filius patriam proditum iret. Ad extremum, oppidanorum miſericordia incolumis, in Nienovam irruit, Flandriæ oppidum; quo a Belgis recepto, captivus ipſe in popularium ſuorum, ut dicemus, pervenit poteſtatem. *Brugis aliiſque in locis magni tumultus.* Brugis aſper & anceps tumultus, capta arma, nec procul cæde res erat, & partes utræque ſuæ ſectæ militem advocarant; priores advenere Fœderatorum cohortes, magiſtratuum accitu, iſque finis certandi fuit: aliarum urbium tumultus præſidia prævenerunt. *Ipra & Gandavum fœderi accedunt.* Acceſſit fœderi ſponte Ipra, ſponte & Gandavum, venitque in urbem aliquanto poſt Arauſionenſis, ſecunda multitudinis voluntate. Tanta illi vulgo animorum diverſitas inerat, & ad honeſta pravaque levitas eadem. *Arauſionenſis Gandavi captivos dimittit.* Ibi demotis qui ſe ingeſſerant, honores aliis mandavit. Plerique, quos captivos ibi detineri diximus, negligentius cuſtoditi, eruperant; cæteros Arauſionenſis dimiſit: acceſſitque honori ejus, & invidiæ, quod *Flandriæ præfectura illi confertur.* Flandriæ præfectura ſuperingeſta eſt recuſanti. At Agrippinenſi legatione nihil actum, niſi quod maxime Hiſpanus volue-

voluerat, ut in ſpem pacis diſtractæ mentes minus in commune conſulerent. Oratores partium, ſolicitatos privatis pactionibus ſocios, novis contra fœderibus turbatam concordiam, non ex colloquii fide, mutuo querebantur. Sed 1579. Belgæ præſentis periculi cauſa, quod Parmenſis adverſus Trajectum Moſæ, urbem partim Brabantici, partim Leodici juris, quippe in ipſo confinio ſitam, plurimum profecerat, nec inferendi militem aut copias occaſio dabatur, eximi bello pacificandi tempora rogabant: inque eo ſperabant imperatoris legatos ſibi auxilio fore. Sed Terranovanus negabat ejus ſe rei poteſtatem ullam accepiſſe. Dum induciæ petuntur, & negantur, dum conditiones pacis ferri incipiunt, dum Belgarum mandata refelluntur, ut non ſatis libera, ſed adſtricta novis juſſibus, Parmenſis jam ipſis Trajecti mœnibus irrepſerat: inde, quanquam viribus modicis, fortiter defenſam urbem poſt quadrimeſtre obſidium impetu cepit.

Dum Coloniæ Agrippinæ de pace agitur, Parmenſis Trajectum ad Moſam expugnat.

Sub hyemem vero Germanos, Hiſpanos, Italoſque milites dimiſit fere omnes, retentis tantum ducibus & ala equitum Italica, ſerius quam Atrebaticis pactionibus convenerat: ſed tamen id illi Machliniam cum Valentianis & Inſula urbe conciliavit. Præſidia idoneis locis Walonum impoſuit. Horum ut quiſque graviter offenſus, aut ultro vicinos offenderat, ita tutiſſimus habebatur.

Externum militem dimittens, Machliniam aliasque urbes ſibi conciliat.

Pro eo beneficio Parmenſis præfecturam confirmarunt, haud ſatis intelligentes, ſi quando placitum eſſet armato duci, fore ut exterum militem ipſi revocarent.

A quibus præfectura illi confirmatur.

At fœderati Belgæ, quanquam tot jam gentium urbiumque jactura ſpem pacis amiſerant, ne tamen odiſſe magis concordiam, quam deſperare viderentur, oblatas a Philippo leges compoſitionis in ſingula oppida dimiſerunt, ut publico conſilio expenderentur. Quæ ut iniqua aut fallacia incuſabantur hæc erant: acta Mathiæ non aliter rata eſſent, niſi quatenus ad principis ſupremam poteſtatem, aut alterius injuriam non pertinebant: quem Belgis rectorem daturus erat Philippus, ei urbes, caſtella, machinæ continuo traderentur: is cum Senatu cuncta cognoſceret: Ordinum nulla mentio: reſtituerentur ejecti ſacerdotes, & quicunque honores aut magiſtratus geſſerant: utrinque dimiſſis exercitibus ab armis diſcederetur: nec tributa manerent, niſi principis voluntate. Quæ cuncta eo ſpectare viſa, ut in ſpeciem redditæ leges, ſtudio illorum, qui reipublicæ potirentur, brevi

Fœderatis oblatæ a Rege pacis leges diſplicent.

1579. corruerent, atque ipſi exarmati in ſervitutem retraherentur: nec enim ad tutandam libertatem infirmius ullum eſſe munimentum regio jurejurando. De religionibus, quæ controverſia plurimum habebat difficultatis, ita regi placebat: unam per omnem Belgicam retineri, quæ Romani pontificis auctoritate firmabatur; niſi quibus in locis alii ritus fuiſſent eo tempore, quo fœdus Gandavenſe approbatum fuerat: extra eos fines diverſa ſentientibus tempus præſtitueretur, intra quod ordinarent res ſuas, poſt Belgica egrederentur, ſalvis bonis, dum procurationem eorum Romanæ religionis ſectatoribus relinquerent. Id vero omnibus durum, nec publicæ quieti conveniens videbatur, ſtatum præſentem tot urbium inverti, tot hominum millia expelli, nec ſaltem liberum credere quod animus teſtaretur. Quam autem regionem fore tantis exſiliis tutam, aut capacem? ubi quieturos quos patria ejeciſſet? Sed nec ſine ſummo ſcelere poſſe rectores quam veram didiciſſent religionem, quoquo modo inductam, per metum prodere. Ne Hollandi quidem & Zelandi ſatis ſibi conſultum putabant uſu religionis ad ea tempora revocato, quibus validæ urbes a republica diffidebant: unde per novos tumultus metui; &, quod ſua cauſa a cæteris ſegregaretur, ſuſpecta benignitas. Cum Arauſionenſi ſeorſim actum: atque eminus filio libertas & paternæ præfecturæ oſtentabantur, ipſi tantundem bonorum, quantum unquam poſſederat, ut relicta Belgica Germaniam deſtinaret tranquillæ ſenectuti. Sed præter cauſas diffidendi, animus divitiarum contemtor, eoque integer & incorruptus, ſatis habuit ſcire, quanto Hiſpanus redimeret ſui metum. Finito Agrippinenſi colloquio, Arſcotius & ſacerdotes aliquot ab illis partibus, unde legati venerant, defecere, Regi, cui ſe alioquin hoſtes futuros in poſterum intelligebant, per literas conciliati, iiſdem quibus Atrebates legibus. At quæ perſcripſerant pacis bellique conſilia Hiſpanis faſtidita, & genti nihil externum probanti ludibrio fuere. Patuit eo colloquio, quam procul inter ſe principis & populi ſtudia diſſiderent. Olim ſanabile id malum, cum primum alienæ dominationis metu nobilitas ſurrexit: at poſtquam pertinacius preſſa plebem religionis ſpecie adduxerat in partes, didicitque vulgus ſe eſſe, quos reges timerent, aut propter quos timerentur, nec poſſe niſi credendo capi, primum libertatis gradum putaverunt veniæ deſperationem. Inde auſi nihil mediocre, aut

Cum Arauſionenſi ſeorſum agitur,

ſed fruſtra.

Arſcotius aliique Regi reconciliati Hiſpanis ludibrio habentur.

quod

quod pœnitentiam admitteret, eo provecti ſunt, ut pacis commoda, incerta belli nequicquam poſtea differerent. Itum eſt ultra ſolitum armis civilibus modum, dum inde imperii & ultionis cupiditas ſine fine producitur; hinc ipſa pericula delectant, & nonnulla in miſeriis gloria eſt. At tunc quidem non unus exercitus, ſed exiguis copiis bellum ſpargebatur, & fere ſingulis nationibus ſuus miles. Id ſtatim vitium reipublicæ apparuit, quod non, ut in priſcis Græcorum & Romanorum, aut hodie etiam florentibus imperiis, in una urbe ſumma poteſtas erat; ſed inter plurimas civitates æquata vis, unde fit ut propria cuique curæ, ex ingenio gentis ad quærendas retinendasque divitias exercitæ, falſo publici nomine bonum commune pervertant. Pecuniæ quoque vix conferebantur: & male cum Belgis agi potuit, niſi hoſtis eodem malo laboraſſet, dum Regis aurum Luſitania occupat, parandis procerum ſtudiis pariter & bello. Nam deſiderato Sebaſtiano in Africana clade, & mortuo Henrico ſucceſſore, Antonium regia ſtirpe editum populus ad regnum vocaverat, quippe infeſtus Caſtellanis more finitimarum gentium. Sed Philippus propinquitatem ſanguinis inter alios & ipſe adferens, Albanum cum exercitu miſit, qui recuſantes armis ſubigeret; ejus denique opera Regi Luſitania acceſſit, per quem Batavos amiſerat: tanto facilius regna quæruntur. Nec ſane quicquam Philippo felicius accidit, non modo, quod omnis Hiſpania unius imperio continuata eſt, ſed quia Luſitani, plurima terrarum circumvecti navigationibus, maximas Oceani Atlantici inſulas, Æthiopumque & Indorum littora imperio aut commerciis tenuere. Hoc eventu Batavi, qui e bello Luſitanico ſuam quietem ſperare potuerant, auctis hoſtium viribus, aliud inſuper incommodum ſenſere, infracto mercatu Hiſpanienſi, in quo tum facultates civium fere omnes conſiſtebant. Quanquam enim portus regni Caſtellani hactenus illis non præcludebantur, velut armorum cauſa nihil extra Belgicam ſpectantes; attamen & a ſacerdotibus periculum, & ſolitæ regibus, etiam in hoſpites, injuriæ, detentionesque navium fatigabant: quæ Luſitani apud ſe abfore promiſerant, etiam proviſo ne ſuſpectos ad judices aut longas lites vadarentur. Sed poſtquam regna in unum coiere, nec alterius commercii uſu alterius neceſſitas levabatur, idem utrobique dominus, variis rapinarum nominibus, majorem

1579.

Ingens Fœderatæ reipublicæ vitium.

Pecuniæ publicæ cum apud Fœderatos, tum apud hoſtes penuria.

Philippus per Albanum Luſitaniam ſubigit.

Quod magna incommoda Batavis adfert.

1579. quæſtus partem nautis exprimere, non quidem cõntinua vexatione, ſed talibus intervallis, & ſpiramentis, ut ſpe meliorum, & venali ad lucrum quodlibet mercatorum aviditate, nova ſemper præda ſuccederet. Interim, quanquam ob æris penuriam in Belgica utrinque ſeditiones erant,
1580. hoc tamen Hiſpani facilius mitigabantur, quia, ſtipendiorum loco, rerum omnium impunitas dabatur. Sed Parmen-

Parmenſis interim aliquot oppida recipit.

ſis exigua aliquot Hænoviæ oppida recepit, quæ fœderatarum gentium præſidiis tenebantur; deinde Cortracum in
1581. Flandria, aſtu militari. Bredam quoque illi Altipenna addidit, arcem improviſo, inde ſubjecta adortus. Lanovius vero, cui ſumma belli iis in regionibus permiſſa erat, Nienova & aliis Flandriæ locis exegit hoſtem. Inciderant in idem tempus illuſtrium virorum captivitates: Egmondi & Silleſii ſuperatis in oppidis: & contra ipſius Lanovii, qui a caſtelli cujuſdam obſidione infelici prælio detractus eſt, plurisque ab hoſte ipſo æſtimatus, quam ut cum alteris duobus permutaretur. Machliniam Angli, qui Belgis militabant, impetu cepere, tam profana per victoriam avaritia, ut nec ſepulchris parcerent; queis detracta ſaxa palam in Anglia vendiderunt. Multa alia conſilia expugnationis ſubitæ validior iterum hoſtis evertit, paucis victoriæ præmiis penes Belgas manentibus, inopia defenſantium. Namurcum ea tempeſtate ad filium venit mater Parmenſis, excipere miſſa notum regimen, ut ſexu gratior, & uſu ætatis callida pacis moderatrix. Sed ille, qui juventæ vitia abjecerat, ut gloriæ indulgeret, demonſtrare contra, armis & viro opus: conciliandis quin etiam ſtudiis populi, aut militum, induſtriam ſuam ſufficere. Vtrumque verum erat: itaque, remiſſa muliere, ſublatum eſt impium certamen. At in Friſia, adſitisque regionibus, velut proprium exarſit bellum, Rennebergii inconſtantia. Is fideliter & intrepide diu ſectatus optimatium partes, cum gente omni Friſiorum Trajectino fœderi ſubſcripſerat, & detrectantes Groninganos, odio maxime accolarum, qui prævenerant, obſidio coegerat in eaſdem leges jurare. Sed permotus poſtea cognatorum auctoritate, qui omnes ad Hiſpanum defecerant, quo diſſidii principia ſtrueret, agreſtibus, qui circum colebant, permiſit militum ſuorum injurias propulſare. Hoc dato ſigno, magna ruſticorum manus in ultionem prorupit, diu crudeliter vexata, egitque eo ferocius, quod fortunarum ſuarum ultima

Nienova Lanovius hoſtem exigit.

Egmondus & Silleſius captivi. Ipſe quoque Lanovius capitur.

Machlinia ab Anglis diripitur.

Margarita Parmenſis ad regendos iterum Belgas adveniens remittitur.

Rennebergii inconſtantia Bellum in Friſia exardet.

ultima defenderet. Sed rudem belli, & incompoſitam multitudinem miſſus ab Arauſionenſi Hohenlojus, commiſſis aliquot prœliis, disjecit. Friſii quoque, ſuſpecta præfecti fide, arces, quæ remanſerant, aggreſſi, in tempore ſolo æquavere: & Tranſiſalanorum gentem ad defectionem ſolicitatam, nutantemque diſcordiis, miſſis præſidiis reſtituit Arauſionenſis. Tum ille, omiſſa diſſimulatione, Groningam, cujus potiebatur, regio adjecit imperio. Inde transducta Rhenum arma clades mutuas, & continuam annorum quindecim miſeriam invexere. Primum jubetur urbem copiis modicis circumvenire Bartolus Enteſius, Marckii olim ſodalis; quem, poſt ingentes prædas terra marique partas, nimium magna ſperantem ex turbidis, mors ea in obſidione intercepit. Ad urbem liberandam Parmenſis Scenkium miſit, Batavicarum quondam partium militem; ad quas poſtea reverſus eſt, cum ſperata tranſitionis præmia non conſequeretur. Sed tunc fortem duci ſuo operam navavit: nam illius virtute, quod duces majores jam deſperaverant, ſoluta eſt obſidio, & cæſa Hohenloji manus: quem deinde victarum partium fortunam diviſis copiis retentantem, perculit iterum Rennebergius; &, fuſo hoſte, pleraque itinerum aut amnium munimenta irrupit; ſed cum in Stenovicum, urbem Tranſiſalanorum, vim omnem belli quinque totis menſibus converteret, a Naſſavianis ducibus depulſus, victusque, inter miſerabiles cogitationes, quanta cum famæ jactura, integras opes ad incerta redegiſſet, morbo finiit. Succeſſit ei Verdugo Hiſpanus, & commiſſa adverſus Noriſium pugna ſuperior, cæterum nihil profecit, campis per autumnum madentibus. Hinc fames & morbi militem abegere. Patebat Parmenſi magna ſatis & digna curari poſſeſſio, ſi tot in ea parte victoriis uti libuiſſet: dum alibi arma occupantur, dilati diu, qui tum opprimi potuerant, ambiguam fortunam meliora in tempora traxere. Tumultus interea nonnulli, & non procul ſeditione res fuit, ut in Brabantiæ, ita in Tranſiſalanis urbibus, ſtudio in Regem ejus multitudinis, quæ Latinos ritus ſectabantur; quo factum ut imaginibus, ſicubi permanſerant, ſublatis e publico, ne privata quidem ſacra illis permitterentur, metu coitionis. Circumfuſo undique bello augebatur apud Ordines defenſorum numerus, quantum tributa minuebantur: quodque difficillimum erat, verſo milite ad uberiores ſtipendiis rapinas, nec ager liberari ſine pecuniis, nec agro infeſſo expediri pecuniæ poterant.

1581.

Friſii arces ſolo æquant.

Tranſiſalani nutantes reſtituuntur.

Groninga ad Regem deſciſcit.

Enteſius eam obſidere jubetur.

Scenkii opera ſoluta obſidio.

Rennebergius a Stenovici obſidione depulſus moritur.

Ejus ſucceſſor Verdugo.

Romanenſibus in Brabantia & Tranſiſalana privata quoque ſacra interdicuntur.

1581. terant. Iam & urbes præſidia formidare: nec duces caſtris imperio aut diſciplina præeſſe, ſed vitiorum ſimilitudine, dum luxum & omnem licentiam militaria decora exiſtimant. Has ob difficultates, inviſo civibus plurium imperio, Arauſionenſis cum multa ſuper juredicundo & tributis, & milite, ad præſentem rerum ſtatum neceſſaria, tum illud quoque Ordinum conſilio ſuaſit, ut propter ſubita belli, & tarda conventuum auxilia, ſenatum legerent, qui de re ſumma ſecum conſultaret. Rebus ita conſtitutis, ut cuncta ſibi prona vidit damnatæ Philippo religionis vinculo, & diſſentientium validiſſimos alias in partes iiſſe, aperire incipit uſurpatum hactenus regium nomen, dum ſpes maneret pacis: nunc quando ille implacabilis, tanquam rebellibus, compertumque ſit, ut quis in Belgas acerbus fuiſſet, & crudelis, ita in Hiſpania inclitum & florentem conſpici, quid ultra errare populum ſacramenti veteris inani religione paterentur? unde enim tot turbas & diſſidia, niſi quod fides inter patriam & principem ambigua penderet? At ſapientibus haud ignotum, populi ex conſenſu, populi gratia inſtitutas eſſe poteſtates, ut ſuperiores ſingulis, ita infra univerſos, quæ ſi publici curam privatos ad uſus verterent, populo, hoc eſt Ordinibus rite coactis, judicium & vindictam relinqui. Nec alio jure pleraque regna præſentibus ſub dominis eſſe, niſi quod ea populi, priorum injurias aut ſocordiam pertæſi, ad alios tranſtuliſſent. Quanto hæc magis in Belgis valitura, quibus regium nomen ignotum, taliſque obſequii modus, ut non dicerent ſolenne ſacramentum, niſi ante principem in ſua & legum verba adegiſſent? Gentium jus eſſe, alterius perfidia ſolvi mutuos nexus. Philippo autem repudiato, alium quærendum principem: nec enim eas res eſſe, quæ contra Hiſpaniæ potentiam ſuis opibus facile ſuſtinerentur; & aliena nemini, ut ſua, curæ. Præſenti opus duce, quique Belgas, ubi mala deſæviere, ſalutis ſuæ negligentes, legitimo imperio excitaret. Germanicas ſpes ſe ex animo projeciſſe. Vnum reſtare, ut Franciſco Valeſio principatus deferretur, quem certa jamdudum indicia dediſſe non recuſaturi. Nec parum referre, ſi juvenis ſummæ fortunæ proximus hinc creſcere inceperit. Interim non fraternam illi Galliam, non ſtudia Angliæ defutura: in quam & claſſem nuper paratam habuiſſet Hiſpanus, quam partim tempeſtas, partim Luſitanicum bellum avertiſſet; & Hibernos rebellantes, nunc idem auxiliis concitaret: nec minora belli ſemina

Arauſionenſis Ordinibus novi ſenatus autor.

Vt Philippum repudient, ſuadet,

ac Franciſco Valeſio principatum deferant.

mina

mina tentatus Anglis novus orbis, & in patriam perlatæ, quas eripuerant Hiſpanis, opes. Poſt longam dubitationem, probatum conſilium, metu magis Hiſpani, quam ullo in Franciſcum ſtudio: & ab Ordinibus Belgarum Philippo, ob violatas leges, imperium abrogatum eſt; lataque in illum ſententia, cum quo, ſi verum fatemur, novem jam per annos bellatum erat: ſed tunc primum deſitum nomen ejus & inſignia uſurpari, mutataque verba ſolennis jurisjurandi, ut qui princeps hactenus erat, hoſtis vocaretur. Hoc conſilium vicinas apud gentes neceſſitate, & tot irritis ante precibus excuſatum, haud deſiere Hiſpani ut ſcelus inſectari, parum memores, pulſum a majoribus ſuis regno inviſæ crudelitatis regem, eique prælatam ſtirpem non ex legibus genitam; ut jam taceantur vetera apud Francos, minus vetera apud Anglos, recentiora apud Danos ac Sueonas dejectorum regum exempla. Mathias cum gratia muneribusque dimiſſus. Hiſpanum nec rei magnitudo, nec autor latuit, unde cum judicaret unius hominis vitam obſtare felicitati ſuæ, illum, in quem arma habebat, proſcripſit, invitavitque percuſſorem honoribus, divitiis, impunitate etiam ante peccatorum. Adverſus novi moris edictum Arauſionenſis apud Ordines Belgicos & Chriſtianos principes libello ſe defendit, adjuvante Petro Villerio, homine Gallo, qui ſubactum rebus forenſibus ingenium, ad religionem docendam, & hinc ad intima Arauſionenſis conſilia tranſtulerat. Exſtat ſcriptum utrumque pari acerbitate, qua poſt crimina ad cauſam pertinentia, hinc animum ingratum & perduellem, inde ſævam ac perfidam dominationem, veris falſisque narrationibus permixtis, porro ad alia, rixantium more, prolabebantur. Nam, quia Arauſionenſis, facto diſcidio ab uxore Saxonica, ob cauſas ipſius gentilibus approbatas, Mompenſerii filiam, inter Deo ſacras virgines educatam, in matrimonio habebat, utroque nomine incuſatus; Philippo viciſſim magna adulteria objectavit, reſperſosque uxoris & filii ſanguine penates novæ dominæ avunculi ad amplexus venienti patuiſſe: nam conjunx tunc regia Maximiliani imperatoris erat filia, e regis ſorore, quod fœdus Pontifex ſuis, ut multi judicabant, divinis quoque legibus abrogans, autoritate firmaverat. Sed & ipſum Maximilianum agnatum, & tunc ſocerum, olim miniſtro Granvella veneno petitum non tacebatur. Ordines, contemtis Philippi artibus, qui omnem

1581.

Philippo imperium abrogatur.

Hoſtis vocatur.

Mathias honorifice dimittitur.

Hiſpanus in proſcriptum Arauſionenſem percuſſorem invitat.

Hic libello ſe defendit.

Vtriusque ſcripti ſumma.

1581. defectionis culpam uni aſſignabat, Arauſionenſis innocentiam publico teſtimonio honeſtarunt; addita, ſuper vetus ſatellitium, equitum turma ſaluti ejus cuſtodiendæ. Gratiſſima Franciſcò Belgarum legatio fuit, qua ad imperium vocabatur; amica & matri, cui proviſum filios, ſummæ ſpei nimium imminentes, externis honoribus demulcere. Sed antequam conveniret, opis regiæ aſtipulatio petebatur, quæ voto quidem non reſpondit: tantum enim Rex perſcripſerat, faventem ſe fraternæ magnitudini, & ipſi & Belgis, qui ſub ejus ditione forent, auxilio ac ſubſidio fore; quod quo rectius poſſet, optare regni ſui pacem, & fratri proſpera omnia. Præſens neceſſitas Belgas, verbis contentos, cætera ſperare tantum coegit: ſubitoque Valeſius, ut amplius Belgarum ſtudiis ſe commendaret, intellecto Cameracum, hoſtilibus copiis caſtriſque cinctum, extrema tolerare, profectus eo cum exercitu (ad quem alendum magnam illi pecuniam Eliſabetha ſuppeditaverat) perrupit obſidium, ſtatimque princeps liberatæ urbis ſalutatus eſt. Neque tum ultra pertendit, quia potiſſima pars virium erat in clientium manu, & qui ſpes ejus ſponte, nec diu manſuri ſequebantur. Situm eſt Cameracum in finibus Belgarum, propria antiſtitis ſedes; ſed utrius ſub regni fiducia haberetur, Germaniæ imperatores & Gallorum reges bello ſæpe contenderant. Sed bello Gallico Carolus imperator detinuerat, impoſita arce, cujus præſidiarii, vincto præfecto, fœderi Gandavenſi acceſſerant. At Tornacum Flandriæ oppidum circumſeſſum aliquamdiu, abſente præfecto principe Spinojo, cujus obſeſſa uxor ſingulare edidit conſtantiæ muliebris exemplum, tandem in Parmenſis venit poteſtatem.

Arauſionenſis innocentiam publice teſtantur Ordines.

Franciſcus ad imperium vocatur.

Frater ejus Galliarum rex aſtipulatur, ac ſe ſubſidio futurum promittit.

Cameracum obſidio liberat Franciſcus.

Liberatæ urbis princeps ſalutatur.

Tornacum Parmenſi deditur.

HUGONIS GROTII ANNALIUM BELGICORUM LIBER QUARTUS.

SUMMARIUM.

Franciſcus ambito fruſtra Eliſabetha matrimonio Belgica imperium ſuſcipit. Leges illi præſcripta. Belgarum nobilium indignatio, ejus cauſa. Flagrans Arauſionenſis apud multitudinem gratia latrociniis Hiſpanicis petitur. Parmenſis interim Aldenardam capit, Aloſtum Valeſius, Liram Parmenſis miles, Verdugo Stenovicum. Externus miles Parmenſi remittitur. Ordinum valida quoque copia. Valeſius fruſtra exſpectatis fraternis auxiliis atrox conſilium capit; varias vi occupat Fœderatorum urbes; ejus miles Brugis ejicitur: omnium infeliciſſime tentat Antverpiam, cum ſuis aufugit: offenſis illius incœpto Belgis Regis offertur clementia: Valeſium tamen non eſſe repudiandum cenſet Arauſionenſis; quod & Galliarum regi cordi: Dunkerca cum illo agitur, multa cauſatus in Galliam concedit. Belgarum ad Gallum preces. Valeſii mors. Dunkerca in Parmenſis venit poteſtatem, cujus jactura nondum ſopiuntur diſſenſiones. Arauſionenſis in Zelandiam abit. Parmenſis multas interea expugnat urbes. Hogii mendacio Hollandiam turbantis ſupplicium. Truxii conjugium novi belli cauſa: ab hoſtibus pulſus ad Arauſionenſem profugit. A Taxi Zuphania capitur. Herembergius ad Hiſpanos cum filiis transfugit. Imbiſius & Cimacenſis Flandriam Hiſpanis tradere ſuſcipiunt. Parmenſis oblata occaſione utitur; illi VVaſia variaque deduntur oppida. Brugas Regis obſequio reddit Cimacenſis, quas aliæ urbes ſequuntur. Gandavenſes capitali ſupplicio plectunt Imbiſium. Parmenſis Scaldim obſidet. Antverpienſes duo excitant caſtella. Arauſionenſis Delphis occiditur: illius perturbatus rei privatæ ſtatus; quadruplex matrimonium: funus maximo luctu celebratum. Mauritius filius illi ſuccedit. Hohenlojus vicariam ſub illo accipit poteſtatem. VVilhelmus Naſſavius Friſiæ rector Friſiorum diſcordias prudenter componit. Conſtans Batavorum fortitudo. Scaldis cœptum obſidium urget Parmenſis, Tenerimundam capit & Vilvordam: Gandavenſes ſe ei dedunt. Ricardoti ſolertia. Arx Gandavi reponitur. Antverpienſes ſociorum opem implorant. Vicini auxiliandi tempora prætermittunt. Calamitoſus Fœderatorum ſtatus; Gallus & Angla illos conſolantur: dubitant utri velint accreſcere: a prælato Gallo non recipiuntur.

FRanciſcus in Angliam tranſvectus, ubi futuro principatui amicitiam firmaret, ita Reginæ placuit, aut ipſe, aut ſpes in illa majoris fortunæ, ut certis conditionibus de matrimonio ageretur, utcumque religio diffidebat. Lætus is Belgis rumor,

1581. *Franciſcus in Anglia fruſtra de matrimonio agit.*

1582. mor, ſed fruſtra fuit, ſeu dolo inſtituta ſimulatio, ſeu fraternæ offenſiones impedimento fuerunt: deinde ipſius infelix temeritas, quæ cuncta maluit armis debere. Reverſus in Belgicam, ſolenni ritu & magnifico cum apparatu, in Brabantia ducis, in Flandria comitis vocabulo imperium ſuſcipit. Leges principatui, præter veteres, novæ datæ, ex fœdere inito Burdegalæ: ſemel ut anno fœderatarum gentium convocarentur Ordines, ſine quorum conſenſu fœdus iniri cum Hiſpano, dux bello imponi nequiret: queisque poſtulantibus miles peregrinus ablegaretur. In ordinanda religione, locandis externis præſidiis, gentes ſingulæ auctores fierent: eædem ternos nominarent, unde ſinguli ipſis rectores darentur: tum ſi quid inter ſe diſſiderent, ea de re ducis eſſet arbitrium: Senatus Gallos admitteret duos: cæteri in præſens Ordinibus, in poſterum duci, ſed e nominatis legerentur: etiam aulæ præcipua munera Belgæ obtinerent. Promiſſa, extra patrimonium principale, ad bellum annua quater & vicies centena florenorum millia, ut his quod reſtaret, id privatis ducis ipſius, aut fratris opibus ſarciretur. Spes aliqua erat utriusque religionis homines manſuros in fide; tum qui cum Arauſionenſi ſentirent, tum Romana ſacra ſectantes propter Valeſium: quippe his Antverpiæ permiſſum, nec ultra redire ad ſuos ritus, dum commune Belgarum ſacramentum pro novo imperio dicerent. Omnia publice gaudii ſigna, & ipſe non abſurdus vultu comitatem, ſermone gratiam præferre: ſed nobilium qui ſupererant tacite indignabantur, reſpicere coacti in Burgundionum ſolio principem gentis diu inimicæ; mutatum ſcilicet dominum, ut illi Belgis miſcerentur, cum quibus nunquam tuta pax, infeſtis toties ſignis concurſum, & jam in alterum ſæculum odia durabant. Etiam vulgi animis fas illud jurisjurandi prioris, & qualiſcumque principis reſpectus haud facile evellebatur. At contra erant, qui novam religionem animis objicerent, ne cauſa pietatis auxilio diſſentientium contaminaretur. Sapientiores ex diſcordia periculum, inde & Gallicam inclementiam formidabant. At ubi patuit ſecreto conveniſſe, ut Franciſcus, quamquam accepto Belgicæ principatu, in Hollandos Zelandosque nullum, niſi nominis jus temporarium, uſurparet, jam Arauſionenſis quoque conſilii auctor damnabatur, ut particeps dominationis, & qui ab initio motuum munitiſſimas gentes ſibi ſeponeret. Certe præſcri-

In Belgicam reverſus imperium ſuſcipit.

Leges illi præſcriptæ.

Belgarum nobilium indignatio;

Ejus cauſa.

ptum

ptum ejus nomen legibus & actis publicis : neque tunc præfectura, ſed ſummum imperium penes illum fuit. Quin & comitis nomen per eas regiones a plerisque delatum; quo minus reciperet, pauca ſuffragia reſtabant, cum ad longi laboris præmia properantem inferius narranda mors intercepit. At alii hoc potius indignari, quod Gallicæ potentiæ ſcorſim manciparentur, Arauſionenſisque imperium & ipſi malle, qui cunctis defenſandis impar, haud immerito ſocium adſcjverat. Multitudinis ſane quanta in illum ſtudia fuerint, morbo ejus compertum eſt. Nam cum ex vulnere, quod percuſſor regius inflixerat, graviter Antverpiæ ægrotaret, tota civitas mœſtitiam & fletus ſuos templis affudit, ut Dei pacem expoſceret, veluti in publici parentis periculo. Tunc quidem valetudo reſtituta : ſed reliqua vitæ pars infeſta latrociniis Hiſpanicis fuit ; iterumque & ſæpius deprehenſi, qui ipſius & Franciſci vitæ inſidiarentur. Dum Ducis copiæ paulatim adventant, Parmenſis exercitum in Flandriam duxit, ubi Aldenardam, urbem a veteribus Nerviis appellatam, qui Scaldi adſita olim tenuere, trimeſtri obſidio, & telorum impetu cepit; eo facilius, quia præſidium, quod ſatis eſſet, oppidani recuſarant. Inde, cum Bruxellæ circumſita caſtris inſideret, res arctas urbi facturus, conſumtis per agros frugibus, & mox hyemis aſperitate attritus, receſſit. Multum ſubita quoque valuere : & inter alia oppida improviſo ſuperantur a Valeſio Aloſtum, quam hoſtis tenebat; a Parmenſis milite Lira, proditione aliquot præſidiariorum. Is locus magnam ad bellum opportunitatem habebat, ob propinquam Antverpiam : interim & leves pugnæ æquo certamine; & Anglorum non pauci perfugæ ab Hiſpanis contemtim habiti, aliis ad ſervandam partibus fidem documento fuere. Mox Lochemum, modicum Geldriæ oppidum prope Zutphaniam, Verdugo circumventum, ut fame tentaret, deſerere coactus eſt, ter invecto commeatu. At Stenovicum, de quo graviter ante certatum fuerat, labore nullo, per tenebras & inſcitiam oppidanorum, idem occupavit. Interim Philippus, objecto ſibi Valeſio, majore quam antehac vi & cura agendum ratus, Hiſpanum Italumque militem Parmenſi remiſerat; nec cuiquam tantum in Atrebaticis pactionibus & jure fiduciæ fuit, ut contradicere auderet : ipſe obtendit ſpectatum in ea ſponſione Belgicæ totius obſequium, qua ſpe irrita, cum

1582.

Summa plebis in Arauſionenſem ſtudia.

Ejus vita latrociniis Hiſpanicis infeſta.

Parmenſis interim Aldenardam capit.

Aloſtum Valeſius, Liram Parmenſis miles.

Verdugo, fruſtra tentato Lochemo Stenovicum occupat.

Exterum militem Philippus Parmenſi remittit.

1582. cum cauſa & obligationis vinculum concidiſſe. Summa recenſitu comperta, pedites ſexagies mille, quatuor millia eorum qui equo merebant: manentque numeri, aut augentur ad hæc uſque tempora: quorum menſtrua ſtipendia ſepties centena millia florenorum excedere putantur; atque ejus dimidio non minus cætera belli impendia. Igitur, ſuper tributa domeſtica, miſſum a Philippo quotannis non minus vicies centenis millibus. Tantum Hiſpano in Belgas perit: &, ne plus pecuniæ trajiceretur, obſtitiſſe crediti, qui, rebus in Belgica male geſtis, alienos ſucceſſus formidabant.

Ejus ſumma.

Ordinum validæ quoque copiæ.

Ordines contra, ut egregiis initiis novo imperio famam circumdarent, vicies quater annuum quod fuerat inpræſens, ad quadragies centena millia extulere, qua pecunia Franciſci ſub ſignis præter Belgas Galli, Germani, Angli, Scoti militabant. Validæ utrinque copiæ, ſed quarum pars magna præſidiis attinebatur: quippe indiſcretis finibus, &, ut belli caſus tulerant, inſerti oppidis, alter alteri ex proximo imminebant. Hactenus ſperabat Valeſius fraterna ſubſidia ad eas opes evertendas, cum quibus varia ducentorum annorum fortuna conflictati Gallorum reges, per bellum penuria & ſanguine, iterumque pacis conditionibus hoſtem ſibi æquaverant. Sed quanquam Medicæa mater Luſitanici maris poſſeſſionem attentabat, Rex ipſe nec bellum palam indicere animatus, nec clam quidem ſuſpectas vires accidere. Nam Philippus ultro prævenerat, emercatus diſſidia, quibus tranquillum Galliæ ſtatum turbaret; quod ipſi facile, cui multa largiendi facultas; & Galli vix gratuito quieſcant. Pars igitur validior palam Regem abſterrere, ne alio quam in Romanæ religionis hoſtes arma verteret: pars, ſpecie altioris conſilii, callide fallaces, negabant utile aut æquum eſſe, Regem, cui nec promiſſa ſucceſſio, in alienos uſus ærarium profundere; quin relinquendos Belgas ipſumque ducem ſuæ paupertati, donec exhauſti, & de ſumma rei periclitantes ad accipiendas leges venirent: ſatis enim mature ex affini regno vinci Hiſpanum poſſe, cum non aliis vinceretur. Et erat Rex ſponte etiam ſua fratri iniquior, non quod offenſus, ſed quod offenderat: memor ob ſuſpiciones magis quam crimina duris cuſtodiis nec ſemel ſeptum.

Valeſius fraterna exſpectat ſubſidia:

Cauſa quod non mittantur;

Unde atrox Valeſio conſilium.

Ea res præcipitem egit Ducem in conſilium atrox & plenum deſperationis, ſibique pariter & Belgis exitioſum. Nam cum proſpiceret facile ſe illis contemtui fore, quibus promiſſa

miſſa auxilia non præſtaret, tantum inutili principatu gravis, nec immemor precario ſe imperare: deinde (quod in regno educatos moleſte habet) legibus & aliorum auctoritate retineri, orata aliquoties mutatione, nec obtenta, ſingularem potentiam vi ſtatuit munire; & fidiſſimis ducum Flandriæ oppida præſidiis occupanda delegat: ipſe Antverpiam ſibi ſumit, ut maximam urbium, & ubi Arauſionenſis validior gratia, cui tacito fœdere partem deberi ſciret potentiæ, & Ordinum legati dominationis impedimenta. Credibile eſt, hujus temeritatis concitores fuiſſe non modo quibus occulta cum hoſte conſiliorum ſocietas, & fides pretio corrupta, qui certum duci imperium ex matrimonio Hiſpanico oſtentabant; ſed Gallos, qui urbium direptionem, aut majorem prædam, honores ſibi propoſuerant, unde legibus arcebantur: cujus cupiditatis totidem gentes compertæ ſunt, quot Belgæ ſocias habuere. Adfuit ſucceſſus ubi Gallorum præſidia prævalebant, capiunturque Vilvorda, Tenerimunda, Dicaſmuda, & Dunkerca, maritimum Flandriæ oppidum, commodo ſitu ob Galliæ commeatus. Brugis & qui ante præſidebant, & qui recens advenerant, egregia magiſtratuum arte eluſi ſunt; qui ductos in curiam tribunos, conſultandi ſpecie, coëgere, ut egreſſum militi per literas imperarent: & hic metu armatæ plebis haud gravatim paruit. Antverpiæ majus periculum, cruenti exitus; eruperant quanquam indicia, & occurſum ab Arauſionenſi urbisque rectoribus, quantum poterat diſſimulata ſuſpicione. Exercitus eo Helvetiorum Gallorumque convenerat, ut, capto tum forte munimento, cui Endovia nomen, & fuga hoſtium, Brabantici agri poſſeſſio retineretur. Ad eos, velut agendo cenſui, ſub ipſa mœnia Dux egreſſus, cum familiari comitatu, obtruncari repente vigiles, invadi portas jubet, ut cæteris pateret aditus. Et jam centuriæ ſeptendecim per urbis vias, quaſi victrices, volitabant, Miſſam, Romanæ religionis ſacrum, inclamantes (id conſpirationis ſignum erat,) cum oppidani relictis menſis (prandebant enim) ad ſubitum tumultum corripiunt arma: qui primi proceſſerant Valeſianos, tranſire in ulteriora conantes, objectu corporum prohibuere. Paulatim plures manus coortæ, undique egregia virtute, & concordia, (ſuos nimirum penates, ſuas fortunas tuebantur) cunctos qui urbem ingreſſi erant, in portam qua intra-

1583.

Ejus authores.

Varias occupat urbes.

Ejus miles Brugis ejicitur.

Omnium infeliciſſime tentat Antverpiam.

1583. intratum, repellunt. Ibi alta ſtrages, atque inter anguſtias fugientes adventantibus, mortui vivis impedimento erant. At Franciſcus, ubi inſaniam cœpti eventu didicit, pudore & conſcientia vecors, rerumque omnium egens, quantis potuit cum copiis, inter magna vitæ pericula, & gravem ſuorum jacturam, per humida camporum trans amnem Dilam profugit. Hæc tam inſignis injuria multorum animos, ne ante quidem ſatis æquos Gallico nomini, vehementius offendit. Nec omittebat Parmenſis, & qui Belgarum apud illum erant, infauſtam defectionem, & novi dominatus graviora, quam fugiebantur, ſcelera literis inceſſere. Ferenda ſcilicet ſuperiorum ingenia, nec ulli populo tutum inter tot regna rebellare. Quod ſi vel nunc triſti experimento ad obſequium rediretur, æquas leges, & Regis clementiam offerebat. Senſerat Arauſionenſis nimis oportunum rebus Hiſpanicis tempus pacificationis invadi; & quanquam conſilium ſemel inproſpere ceſſerat, quo maximam potentiæ ſuæ partem amiſerat, vulgi favorem, rogatus ſententiam, multa cum invidiæ deprecatione, expoſuit: Si concorditer regi Reſpublica potuiſſet, & ſuis opibus adminiſtrari, dubitandum non fuiſſe, quin merito unius & externo imperio abſtineretur. Neque nunc illud quæri, an jus ſit eum deſerere, qui prior publica jura violaſſet, quod ſatis cautum pactionibus: ſed vires reſpiciendas; modicum ſibi militem, & urbes validas in Ducis manu: deliberandum Belgis, ſuas has eſſe, an hoſtium mallent. Multum autem referre, ad Hiſpanum, an ad Gallum ab utroque offenſi reverterentur. Nam illam potentiam, imperii vetuſtate coalitam, reperire ſemper inſtrumenta ad opprimendam libertatem: huic, ſi quid moliretur, defore qui libidini ejus obſecundarent. Satius igitur Gallum experiri, cui ſemel deprehenſo non occaſionem poſthac, non animum eadem audendi. Ipſi viciſſim, pro uno recenti delicto, multa Ducis benefacta, & proximos per annos defenſas urbes, oppreſſos hoſtium conatus ipſius opera, benigne cogitarent. Ita redituram belli concordiam, ſi peccaſſe Franciſcus ſe meminiſſet, ipſi obliviſcerentur. Cui orationi acceſſit ab aliis excuſatio imprudentiæ juvenilis, & animi e regio ſanguine, qui nulla obſequii humilitate delinitus, forte & quorundam incenſus contumacia, non tamen ad cædes & rapinas, ſed ad ſecuritatem potentiæ pravis conſultoribus infelix iter legiſſet.

Franciſcus cum ſuis aufugit.

Plurimi Belgarum ejus incepto offenduntur.

Omnibus a Parmenſi Regis offertur clementia.

Arauſionenſis a Valeſio tamen nequaquam deſciſcendum cenſet.

Rex

Rex etiam Galliarum pollicitatione; & latentibus minis fratrem commendabat. Cœptum igitur agi cum Duce, ut, reſtitutis oppidis quæ habebat in ſuam poteſtatem, Dunkercam ſecederet: eodem commeaturos qui cetera componerent. Interea, longa cunctatione, dum & ipſe oppidorum reſtitutioni renititur, & Belgæ militibus, qui cum ipſo erant, alimenta non ſuppeditant, plebis metu, quæ recentis metus tenacior, majora & vetera minus cogitabat, vix tandem placuit, Bironem Gallici exercitus ductorem mitti, ut Parmenſis conatus compeſceret: qui tum, captis oppidis aliquot, Brabantiam infeſtabat. Sed nec huic bellum ſatis proceſſit, & colloquium multis difficultatibus trahebatur; ultro accuſante Franciſco, quod velut in vanum principis nomen accitus, tributorum rationem, & res maximas celaretur, nulla ad benefaciendum cuiquam licentia: neque mirum, ſi, poſt tot aliorum exempla, qui ad res Belgicas invocati gravia ſenſiſſent mutatæ voluntatis experimenta, inventus eſſet ipſe, qui, diu cunctatus, nollet ex alieno nutu pendere. Præcipue autem flagitabat, ne cunctis principibus permiſſum ſibi uni negaretur, ut extra curiam domeſticum haberet conſilium: cujus moris uſum laudabat ante alios Iohannes Bodinus libellorum præpoſitus, notum ſcriptis ingenium: contra, Belgis nihil æque perhorreſcentibus: etiam pro ſacris Romanenſibus aliquid Galli in ſpeciem attulere. Hæc inter certamina prope incluſus Dunkercæ Franciſcus, cum ſuper veterem dolorem novo tædio angeretur, & arctiore oppido multitudinem vaſtarent morbi, in Galliam conceſſit: ſive ut mutata locorum facie animum recrearet, ſive, quod credibile eſt, rediturus in gratiam cum fratre, durantibus hactenus offenſis. Temporaria certe profectio fuit: neque, dum vixit, adire illum Belgæ legationibus deſierunt, ut Flandriæ nutanti ſuppetias veniret: orantes maxime Regem, fraternam ut cauſam aperte amplecteretur: id ſi minus poſſet, ut milite & pecuniis juvaret, omneſque e Gallia commeatus in hoſticum intercluderet: quæ ſi impetrarent, non verebantur Regi ſucceſſionem imperii legibus eisdem addicere, ita ut jure Francico in corpus regni multis poſt ſæculis rediretur. Sed ſequentium temporum malis, & Franciſci morte diremta colloquia. Superſtes is fuit honoris & dedecoris ſui menſes non amplius ſeptendecim, confectuſque aliis per libidines, aliis vene-

1583.

Quod ne fiat Galliarum quoque regi cordi.

Dunkercæ cum Valeſio agitur.

Biron ad reprimendum Parmenſem mittitur.

Multa cauſatur Valeſius,

Dunkerca in Galliam concedit;

Belgarum ad regem ejus fratrem preces.

Valeſii mors.

1583. veneno, pleriſque animi ægrimonia creditur, communi ferme omnium exitu, quibus ante illum, vel poſt, infelicium populorum malis abuti libido fuit. Etiam funus habuit, nullis Belgici imperii inſignibus, & rerum ibi actarum ſilentio, dum rex frater vitat Hiſpanum, quem rebus non audebat, inanibus offendere. Ut primum Franciſcus Dunkerca exceſſerat, Gallorum choros, quæ præſidio relicta erat, acceptis ſtipendiis dilabi & diffidere genti quam læſerant. Ita milite nudatum & navigiis oppidum minoribus ducibus obſidendum Parmenſis delegat: mox ipſe adeſt ad perficiendam oppugnationem juſto cum exercitu. Imperatum Bironi erat inſequi hoſtem, & vires committere: ſed Gandavenſes veteri in Valeſium odio, & reperta ſpecie tumultuandi, tranſitum negarunt: injuſtum enim eſſe ajebant, ejus copiis uti, quem neque principem ultra, neque amicum agnoſcerent. Hac igitur iſtorum hominum pertinacia Dunkerca in Hiſpani venit poteſtatem; unde nnnc perpetuo intutum mare. Nam importuoſo in littore vix modicis myoparonibus ſubſidia habet: hinc, ubi commodum eſt, obſervato exitu, prætervectas Batavorum naves ad piſcandum; aut cum mercimoniis, ubi oppoſita Britannia arctat oceanum, prædones aggredi ſolent, & facile effugium levitati apertum per mare, aut propinqua inter vada, adverſus bellicas moles. Nec hujus quidem oppidi tam inſignis jactura ſanavit diſſenſiones: ſed neceſſe fuit dimitti Bironem cum exercitu, quanquam obteſtante Arauſionenſi, ne hoſti animoſo & felici proderent rempublicam: adeo Gallis nihil credebatur; & ipſe propter illos adverſo rumore erat, ita ut Antverpiæ in arma concurſum ſit, vulgato mendacio Gallos ab Arauſionenſi in arcem inductos, inde urbi imminere. Ille vero, cui nihil æque inſolitum, aut triſte erat, quam civibus ſuis formidoloſum vivere, non tulit mutatos vultus, & pro feſtis acclamationibus ſuſpicax ſilentium; ſed relicta ſex annorum habitatione in Zelandiam, & certiora imperii conceſſit, ingratis animis & imminentibus periculis exemptus. At Parmenſis, vacua nactus vincendi tempora, Neoportum Dunkercæ dextro littore adſitum, & interiora Dicasmudam, Furnas, & Bergas quæ Winoci dicuntur, in deditionem accipit. Inde Flandris major indies belli deteſtatio, & plerique in tantum proxima meminerant, ut contra-

Dunkerca præſidio nudata in Parmenſis venit poteſtatem;

Cujus jactura nondum diſſenſiones ſanatæ.

Arauſionenſis in Zelandiam abit.

Parmenſis interim multas urbes in deditionem accipit.

tra Gallos vel Hiſpanis faverent. Per idem tempus Hollandiam hominis ignobilis audacia turbare ſermonibus ſcriptiſque aggreſſa eſt: Hogius dicebatur: ſed ipſe materno dedecore & forma non diſpari vanam ſanguinis gloriam affectabat; quaſi Carolo Cæſare genitus: inde ab Hiſpanis injecta ſpe, fore ut illum Philippus fratrem agnoſceret, homines novorum cupidos, aut quibus præſentia diſplicebant, in ſpem pacis, & obſequium gentis Auſtriacæ retrahebat. Sed conſpiratio adhuc recens auctoris ſupplicio extincta eſt. Pugnari cœptum & in Agrippinenſi ditione, quæ tunc Erneſto Bojoaro cum pontificatu delata erat, ob Truxii conjugium. Is enim, ejuſdem ante loci antiſtes, intempeſtivo amore illectus illuſtris fœminæ, feſtinarat exuere cœlibatum, quod per Latinas leges ſacerdotibus non licet, cum in promiſcuis libidinibus facile conniveatur. Ille hominum ſcitis fas divinum opponere, & impar tantis ipſe curis, per Caſimirum, & Nienarium Comitem Murſæ, modici utrumque exercitus ducem, inhærere urbibus, donec vi hoſtium & ſuorum perfidia pleriſque præſidiis depulſus, inito cum Belgis fœdere, ad Arauſionenſem profugit, unde populationibus ſe, ut potuit, ultus eſt: factumque eſt hoc bellum majoris acceſſio: nec id Hiſpano ingratum, quo ſpecioſius limitaneas Germaniæ urbes, vetera Belgarum exſulum receptacula, armis involveret. Auxit hoc quoque valeſcentem indies Parmenſis fortunam, quod Zutphaniam, quæ nec juſto præſidio, nec ſatis concordi tenebatur, Taxis tribunus ex inſidiis illi cepit, adjutus gregarii unius opera, quem habuerat apud ſe captivum. Hinc jam cuncta inter Iſalam & Rhenum ſita Hiſpanorum incurſibus infeſta erant: nec occludi ſaltem exitus potuere: urbs quoque fruſtra obſeſſa eſt. Adeo tunc maxime Belgarum vires & tempora diſcordiis peribant. At primores haud pauci, rebus publice deſperatis, privatim remedium ex venia gratiaque Regis quærebant, quæ niſi magno facinore non ſperabatur. Ita Wilhelmus Herembergenſis, qui, accepta in matrimonium Arauſionenſis ſorore, primæ ſpei periculorumque ſocius fuerat, levitate ingenii, Geldriam, quam tum regebat, ſtatuit donare victoribus; ſed præventa fraude, & accepta fide dimiſſus, tamen transfugit, nihil partibus conferens præter egregia filiorum robora, quos ad defectionem impulit, nec ſuis criminibus implicitos, nec honorum expertes.

1583.

Hogius audaci mendacio Hollandiam turbans ſupplicio afficitur.

Truxii conjugium Belli in Agrippinenſi ditione cauſa.

Ab hoſtibus pulſus ad Arauſionenſem profugit.

A Taxi Zutphania capitur.

Belgarum vires diſcordiis pereunt.

Herembergenſis Geldriæ rector ad Hiſpanos cum filiis transfugit.

1583. tes. Geldriæ mox regimen Nienario datur. At Flandriæ miſerabilis ſtatus. Ipra a Parmenſi obſidebatur. Gandavenſes Imbiſium revocaverant, non alia gratia, quam quod cum Arauſionenſi & Gallis veteres inimicitias exerceret: hic ſummum denuo magiſtratum adeptus, per turbulentos aliquot concionatores, plebis animos quatiebat. Brugarum civitas, cum Flandria bello ardeſceret, præfectum ſibi advocaverat Carolum Cimacenſem. Arſcotii is filius, mutatis aliquoties ex fortuna partibus, proxime a patre deſciſcens, voluntario exſilio mutatæ religionis ſtudium profeſſus erat, eo impenſius, quia ſimulabat: hac arte irrepens illorum animis qui ſacras literas populo interpretantur, hominum minime callidorum ſimplicitati illudebat, & per eos vulgi affectibus commendabatur. Non minus autem Cimacenſis quam Imbiſius cum Romanæ ſectæ hominibus ſecreta conſilia agitabant, cum tamen palam illorum nonnullos uterque vinciret, aut relegaret. Interea alteram plebis partem ita ſibi ficta ſuperſtitione devinxerant, ut omnium odia incurreret, ſi quis de illis ſiniſterius ſuſpicaretur. Hi duo fuere, qui Flandriam, nobiliſſimam regionem, munitam adhuc tantis urbibus, hoſti tradere ſuſceperunt. Iam primum ut Gallos revocandi levarent neceſſitatem, Caſimirum, & Truxium & Germanica fœdera loquebantur; non, quod ſpes aliqua appareret, ſed ut elapſo remediorum tempore, præter deditionem nihil reſtaret. Ita pacis laudatores licentiam primum loquendi, mox & auctoritatem habuere. Sed ita rem inſtituerant, edebantque in vulgus, quaſi pax daretur, non cum Parmenſi & Hiſpanis, ſed cum Belgarum civitatibus quæ ad imperium reverterant. Id enim erat aliquanto popularius: addito, reſipuiſſe Regem, contentumque obſequio quod ſibi deberetur, divina Deo permittere. Simul libelli & ſermones jaciebantur, cum gravi Gallorum inſectatione, & eorum qui tam diu inæquali certamine publicas & privatas Belgarum opes attererent: nunc quidem nullas ſibi vires, nec foris ſpem ſocietatis, cum potentiſſimi Regis arma continuis victoriis ipſos pæne incluſos haberent: manifeſte nimirum Deo improbante cruentari ſacra, uſumque religionis per vim & cædes rapi. At veteres certe Chriſtianos profanorum etiam principum, cum maxime ſævirent, imperia toleraſſe, ut impoſitam a Deo neceſſitatem, quam cum demere ipſi viſum, non armaſſe populos,

Illi ſuccedit Nienarius.

A Gandavenſibus Imbiſius revocatur.

Cimacenſis Brugarum præfectus.

Hi duo Flandriam hoſti tradere ſuſcipiunt.

ſed mutaſſe imperantes. Iuris bellique arbitrio ſemel ad principes tranſlato, nihil ſubditis præter patientiam & preces relinqui. Quin ipſam pietatem malle ſæpius oppreſſam ſemet colligere, quam laxitate diduci. Multos ſub Carolo & Philippo ſuppliciis cecidiſſe, nunc armis quanto plures? Et illos quidem felices, qui non ſuo ſcelere perirent: at civium inter furores æque miſerabiles, qui iſta facerent, & qui paterentur. Vere ſpectanti non hæc eſſe belli ſemina, quæ dicerentur, ſed paucorum ambitionem, quos domeſticis periculis excidium patriæ oppoſuiſſe. Harum rerum conſcius Parmenſis inſtitit occaſioni: & Ipra caſtellis circumſeſſa, quo minoribus copiis opus haberet, exercitum ſub ducibus Vicecomite Gandavi & Montiniaco in ſeptentrionalia Flandriæ dimittit, ut ſibi faventium animos Belgarum procerum auctoritate confirmaret, &, qui id ſponte facturi non erant, interclusa ſpe auxiliorum, ad traditionem cogerentur. Eſt in ultima Flandriæ parte, quam continuus adhuc Scaldis a Brabantis, ſciſſus deinde a Bevelandia Auſtrali Zelandorum inſula diſpeſcit, flexuque ſuo amplectitur, terra Waſia nomine: quam tum regebat Stelandius, eodem quo Gimacenſis & Imbiſius in patriam animo. Huc ubi regii duces pervenere, continuo omnem eam regionem traditione præfecti nanciſcuntur, oppidaque Hulſtum & Axelam, cum caſtello cui Rupelmunda nomen, priſcis Flandrorum hiſtoriis non incelebre. Origo vocabuli a Rupella tenui amne, qui Scaldim illabitur, unde non nimium longe in altera ripa Antverpia eſt. Interius aliquanto recedit Aloſtum, cujus præſidiariis (peregrinus erat ex Anglia miles) mediocris ex cauſa ſtipendiorum ſumma debebatur, neglecta ſolvi a Flandris, etiam cum milites hoſtium viribus, penuria ſua, vicinorum exemplo ad deditionem ſollicitarentur, quæ deinde ſecuta eſt. At Brabanti Zelandique non omiſerunt disjicere aggeres, diffundere Scaldim, & ultra eum caſtella diſponere, ut ſuam ripam tuerentur, hoſtilem incurrerent. Parmenſiani interea duces; quo duarum urbium maximarum ſeditio pluribus malis incenderetur, inter Gandavum ac Brugas caſtra locarunt; obſepta etiam amnium navigatione ad arcendos commeatus. Igitur utrobique Romanæ religionis ſectatores, quique alii per dolum, aut, quod ita ſentirent, res Hiſpanicas pacis nomine amplectebantur, non amplius muſſitare,

1583.

Parmenſis occaſione utitur.

Terra VVaſia, aliaque oppida illi deduntur.

Brabanti disjectis aggeribus Scaldim diffundunt.

1584.

Parmenſiani inter Gandavum & Brugas caſtra locant.

1584. re, aut ſecretos quærere conventus, ſed publici & maximæ auctoritatis compotes partim ſuadendo, alios metu, pertrahere in ſuam ſententiam. Hi tandem diſceſſu cæterorum Brugis præpolluere; ſimul Cimacenſis erupit. Quæ poſtquam ad Arauſionenſem per fidos magiſtratus delata ſunt, data eſt opera ut ille comprehenderetur per cohortis

Brugas Regis obſequio reddit Cimacenſis.

præſidiariæ præpoſitum. Sed hunc ipſum Cimacenſis donis prævenerat, & præſenti uſus occaſione, edocta plebe ſeque & urbem inimicorum inſidiis peti, munera publica & honores ereptos aliis in eos contulit, qui cum ipſo conſilia

Quas aliæ urbes ſequuntur.

ſociaverant. Ab his igitur adjutus, urbem Romanæ religioni & Regis obſequio reddidit. In eaſdem leges oppidi Dammæ deditio facta eſt, & liberæ univerſitatis, quæ Brugarum olim imperiis, gravioribusque agri oneribus excepta, Franconatus vocabulo appellatur: & in Flandriæ conventibus par maximis urbibus dicendæ ſententiæ jus habet. Nec Ipra communis ſpem pacificationis, & obſidii mala diutius toleravit, tertia principum Flandriæ urbium a Gandavo Brugisque. Gandavenſes & ipſi venere ad colloquia per legatos, inducias, obſides. Sed urbem ſervavit parum

In Imbiſium proditionis reum capitali ſupplicio animadvertunt Gandavenſes.

diſſimulata Imbiſii perfidia. Nam Tenerimundam oppidum, quod Rihovius Arauſionenſis juſſu ſtrenue tutabatur, Hiſpano tradere voluerat, gratiæ duplicandæ, & apertius quam ut lateret. Cumque ab aliis in tam nefario conſilio præpediretur, curiam & incluſos ſenatores comitatu militum, quos præſidio acceperat, ibat obſeſſum. Vtrumque hoc facinus populi animos ita abalienavit, ut in convictum proditionis capitali ſupplicio animadverterent. Egregium infauſtæ ambitionis documentum, functus ampliſſimis honoribus ſenex, & diu ſecundis uſus vulgi ſtudiis, quem eo deripuit civilis contentio, ut ſceleris magnitudine etiam miſericordiam conſumeret. Proſtrato partium duce, quanquam tumultus retardeſceret, per tempus aliquod res eorum validiores fuere, qui pacificationis inſidias arguebant. Sed incluſam pene urbem, & hoſtilibus copiis cir-

Parmenſis Scaldim obſidet.

cumſeſſam Parmenſis ſatis habuit fami & diſcordiæ relinquere. Major animo ſpes & labor, dum ipſi florentes copiæ, & quod roboris erat Fœderatis gentibus irrito Zutphaniæ obſidio attinetur, ſuperare Scaldim, adſitamque ei fluvio Antverpiam, Belgicarum urbium nobiliſſimam, quæ acceptos e Zelandia commeatus toti Brabantiæ dividit.

dit. Hac ratione urbs una bello, cæteræ penuria & metu 1584.
petebantur. Tranſpoſita igitur parte exercitus depellit præſidiarias Belgarum naves: utramque amnis ripam complet tormentis & milite. Sed Antverpienſes, ubi objecta Flandriæ hoſti ceſſiſſe intellexerant, ad navigationem muniendam, inter alia caſtella ex humo excitarant duo, quorum alterum infra urbem ad vicum Lilloum erat, alterum Flandrica in ora poſitum retro Hulſtum, Waſiæ oppidum, reſpiciebat. Hoc, quia ſemifacto opere erat, oppugnatum captumque eſt: illud multa cum Hiſpanorum clade Teliniacus defendit Lanovii filius, paternarum virtutum imitator. At ingruentia undique pericula mors Arauſionenſis impulit, importuniſſimo tempore, ſi Belgas ſpectamus, quorum res turbidæ & afflictæ ejus poterant unius conſilio regi; ſin ipſum, immature occidiſſe videri non poteſt, qui fortunæ publicæ, cui ſuam arctiſſime devinxerat, creſcentibus malis ereptus eſt. Nam poſt illius obitum inteſtina ſeditione, & continuis hoſtium victoriis oppreſſa jacuit, donec in filio reſpublica & quodammodo ipſe reviviſceret. Delphis in Hollandia a Balthaſare Gerardi, Burgundione, glande trajectus eſt; qui proſcriptionis præmio, ſeu partium fervore concitus, mira animum firmitate, ut ad facinus, ita ad facinoris pœnam duraverat. Nec defuere ipſi laudatores; quanquam Italus Parmenſis, cum publica ob amotum hoſtem gaudii ſigna poſtularentur, famam & jura belli reveritus, erubuit permittere. Vna morientis ad Deum vox fuit, Miſerere populi. Nec dubitant qui ſeneſcentem interius novere, quin varietas caſuum, quos prima ab ætate quinquaginta ultra annos pertulerat, maxime, ex quo ſuſcepta cauſa plena invidiæ, plena difficultatis, armis & ira potentiorum, obtrectatione æqualium, ſæpe & vulgi offenſis afflictabatur, ut tolerantiam rerum humanarum, ita ſeriam pietatem illi firmaverit. Quare, ut corpore nihil fracto laboribus, ita animo ſemper excelſo egit, ſecundis adverſiſque juxta immotus. Reticendum non puto in ſignum abſtinentiæ & infelicitatis, adeo nihil Arauſionenſi, præter gloriam ex bello civili, ceſſiſſe, ut rem privatam, qua ultro publicam adjuverat, reliquerit perturbatiſſimam quadruplicis matrimonii liberis. Prima illi nupſerat Egmondo ex ſanguine Buræ & Lerdami comes, ex qua Philippum ſuſtulit, quem Hiſpani captivum abduxere; & Mariam, Hohen-

Antverpienſes ad tutandam navigationem duo excitant caſtella.

Arauſionenſis Delphis occiditur.

Morientis pia vox.

Rem privatam reliquit perturbatiſſimam.

Quadruplex ejus matrimonium.

1584. Hohenloii comitis poſtea conjugem. Altera ex uxore, Ducis Saxonum, Electoris Germanici, filia, natus una cum ſorore Mauritius. Tertium Arauſionenſis matrimonium habuit Borbonii generis, & inde liberos virilis ſexus nullos, filias complures, quibus per Germaniam Galliamque ampliſſimæ conditiones obtigerunt. Vltima excepit morientem Coliniaci, maris apud Gallos quondam præfecti, & partium ducis, filia, Henrici Frederici mater.

Funus maximo luctu celebratum.

Nullum unquam funus tanto populi luctu, & prope deſperatione, celebratum eſt.

Mauritius filius illi ſuccedit.

Solatio fuit, quod Mauritium, qui tum decimo & octavo ætatis anno Lugduni Batavorum ſapientiæ ſtudiis inhærebat, ob indolem virtutis, & ut parentem libertatis auctorem grata memoria remunerarentur, publicæ curæ licuit imponere.

Ejus a patre relicta hæreditas.

Huic pater, in hæreditatis diviſione, inter ceteras poſſeſſiones, Fliſſingam ſitu inviĉtiſſimam, unaque Veriam, Zelandiæ oppida, aſſignarat, empta ſibi ab his qui Marchionis titulo tenuerant, eoque nomine in Ordinum illic conventu locum principem; præter quod, ipſa quoque illa duo oppida, jus ſuffragii, juxta Middelburgum, Sirixæam, Goeſam, Tolam acceperant, Abbatis, qui olim primo loco ſententiam dicere ſolebat, jure intermortuo. Quia vero ſummum regimen foris petebatur, data adoleſcenti Hollandiæ & Zelandiæ præfectura.

Hohenloius apud Hollandos & Zelandos vicariam accipit poteſtatem.

Vicariam poteſtatem Hohenloius accepit, qui plurimis armorum experimentis inclaruerat.

VVilhelmo Naſſavio Friſia regenda conceditur.

Friſia vero, in honorem illuſtris familiæ, quo externis nobilitatibus Reſpublica eſſet commendatior, Wilhelmo Iohannis Naſſavii filio, quem patruus eas in partes jam ante miſerat, regenda conceditur; quanquam erant qui civium imperia præferebant, intempeſtive avidi libertatis, cui tolerandæ impares, tunc maxime in diſcordias ibant,

Friſiorum diſcordiæ,

dum, ſummam curam ad ſe trahentes, hinc judicum conſeſſus, introductum ſub Burgundico principatu morem in exemplum trahens, inde Friſiorum Ordinum legati, recens inſtitutus Arauſionenſis conſilio & vicinorum exemplo conſeſſus, urbium ille, hi nobilium, agros tenentium, opibus nituntur: quas ad occaſiones intentus Verdugo, cum exercitu præpolleret, terrori adjungebat clementiæ famam.

a Naſſavio componuntur.

Sed Wilhelmus, juſta moderatione medius, primos, qui acerrimi, diſſidentium impetus inhibuit; interim finibus ſe undique objiciens, præter populabundos excurſus nihil hoſti conceſſit. Sic tem-

pus

pus datum orta certamina colloquiis & arbitriis compone- 1584.
re : legatiſque Ordinum, quæ conventui juſſa exſequi & quotidiana reipublicæ ordinare : judices, de litibus poſt omnes juſſi cognoſcere, de capite ſoli, ut ſub Burgundica domo : præterea cum præfecto oppidanorum magiſtratuum electiones regere, ut ſtudiis intactiores, niſi quod Leovardia & Franekera jus legendi ſibi tenuere. Oppida, quæ olim haud aliter quam vici, in tres regiones, Oſtergoam, Weſtergoam, Septemſilvas diſtributi, inter eos ſententiam dixerant, aucto per bellum & uſu & auctoritate, tum in illo novo legatorum conſeſſu tertiam imperii partem accepere, non tanta tamen concordiæ fide, ut non preſſa odia interdum erumperent; præſertim ubi de novis oneribus diſceptabatur, in quibus valere majoris partis decreta vetabat hic, ut apud vicinas nationes, mos ſub principatu haud imprudenter introductus, libertati periculoſus, ni pro jure ſuccedant prudentia & publici amor. Quo magis admirandam ego, per omnem belli hiſtoriam, & iſtis maxime temporibus, arbitror Batavum fortitudinem, quos non ſociorum ab omni latere defectio, non aucta continuas inter clades tributa unquam fregerunt, non illa mors ducis, ut pacem poſcerent, rati ejus nominis illecebra deditionem trahi. At Parmenſis, velut Arauſionenſi bellatum hactenus foret, quem defectionis ruptorumque fœderum auctorem divina nunc ultio mactaſſet, ipſos ad pœnitentiam, & vetus obſequium revocabat : quæ poſtquam conſtanter vidit repudiata, cœptum Scaldis obſidium perficere proximum arbitratus, Brabantiæ aggeres caſtellis inſtruit, aperitque idoneis locis, ut amnem adjacentibus ſuperfunderet. Deinde omiſſo Lilloo, quod aliquamdiu fruſtra obſederat, ſubito Tenerimundam verſus (hæc pars eſt ejus Flandriæ, pro qua comites jam olim neutri regno fidem debuere) rapit exercitum, & aqua mœnibus abacta, militis præſidio relictos deditionem facere cogit, miſſaque trans Scaldim parte copiarum, ut Bruxella Antverpiæ commerciis abſcinderetur, Vilvordam capit, quod oppidum ad Sinnam amnem interjacet. Simul Gandavenſes, quod Hollandorum arma alibi occupabantur, nulla ſpe auxilii, imminentem neceſſitatem feſtina pactione præveniunt, conciliatore Campiniaco, qui, captivus ea in urbe, liberaque in cuſtodia habitus, legati officium tuto fungebatur. Sed & Ri-

Conſtans Batavorum fortitudo.

Scaldis cœptum obſidium urget Parmenſis;

Tenerimundam capit,

Et Vilvordam.

Gandavenſes ſe ei dedunt.

1584. cardoti celebratur ſolertia, quod leges deditioni præſcribens, ſacrorum diverſitatem repudiaturus, non ante præ ſe tulit, quam inclinatis ad pacem omnium animis, recedere tutum non erat; & alterum ejuſdem commentum, quo ſex e civibus, ad explendam ultionem, Parmenſis arbitrio exceperat, magno proventui fuit, dum æquale omnibus periculum ſinguli pro ſe deprecantur. Nec omiſit Parmenſis, priorum gnarus & in poſterum providens, arcem reponere, quæ civitatis immodeſtiam coerceret: totiusque jam Flandriæ potens (præter oppida maritima duo, Cluſam & Oſtendam,) commeatus bellique copias inde adventantes adjuvit, deducta foſſa ad eam ripæ partem, quam caſtris inſederat. Inter hæc, ad quos Antverpiæ cura pertinebat, ſociorum opem implorare, nova inſtituere tributa, per Belgicam & Angliam conſcribere militem; nec certe ullius rei obſeſſis major copia fuit. Nam præter claſſiarios centuriæ fere octoginta, ſedecim turmæ Brabantiam tuebantur. Sed incertum urbis imperium ſenatores, magiſtratus, centuriones plebis, præpoſiti militares diſtrahebant, nimia regentium turba: eoque pernicioſius id vitium, quia inundationes, & alia publice profutura, privati commodi ratione, avertebantur. Vicini, quos altricis omnium urbis periculum ſpectabat, alii alium reſpicientes, auxiliandi tempora, dum nondum hoſti firmatæ ſedes, prætermiſere: ſero, cum ultima urgerent, opes & vitam profundere libuit, nemini profutura. Maxime autem conſilia Belgarum fruſtrata eſt accitæ foris potentiæ exſpectatio: nam eo anguſtiarum deventum erat, ut vellent regnis accreſcere, nec admitterentur. Regis quidem Hiſpaniarum vires brevi immenſum adauctæ, ſi Belgas recuperaret, & labore armorum levaretur, juxta poſitis formidabiles erant: nec ullus jam Arauſionenſis, qui ſub onere fatiſcentes, & tot cladibus afflictos ſua fortitudine in ſpem meliorum erigeret. Nam ille quidem ita comis fuerat & popularis, ut nunquam libertatem aut dignitatem ſuam cuiquam gratificaretur, neque detegendis vitiis parceret, ſupra omnes poſitus avaritiæ ſuſpiciones: quo nomine admirabilem, ſimul ætate, genere, experientia gratum, plerique judicio, alii aſſuetudine venerabantur. Hoc collapſo, etiam obſequium concidit, ut ſine externæ poteſtatis firmamento reſtitui non poſſet: nec enim plebs tantum nullo fulgore eminentem, & tot nuper infortuniis concuſſam procerum auctorita-

Ricardoti ſolertia.

Arx Gandavi reponitur.

Antverpienſes ſociorum opem implorant.

Incertum apud illos imperium.

Vicini auxiliandi tempora prætermittunt.

Calamitoſus Fœderatorum ſtatus.

ctoritatem cœperat contemnere: ſed & miles imparatus obſequio: & contra imperiis vetus prudentia aberat. Inter quæ via patebat Parmenſis artibus, ſervitium amicis nominibus velantis. Quare viſum occurrere deſperationi, ſimulque rex Gallorum & Angliæ regina miſere, qui luctum ducis, & cæterorum caſuum mœſtitiam ſolarentur, notabili argumento, vicinos principes, ut ſuis Batavos opibus & conſtantiæ interdum relinquere, ita periculis non defuturos. Sed dubitatum fuit utrius regimen præoptaretur: nam inviſa Gallorum imperia per Italiam, Anglorum per Galliam Hiberniamque memorabantur: apud hos, populo conſuli, parco uſu tributorum; illic plus leges valere, nec infinitam regni poteſtatem. Apud Gallos, mores pretio corruptos, magnoque emi ut patriæ ſerviatur; Anglis dura delectus, dura in pupillos jura: quæ mala ut primum pactis caveantur, paulatim exemplo ſerpere. Sed religio cum Anglia communis, quam per Gallias atteri aut evelli odiis crudelibus & perfidiis: hinc contra, ſpes Borboniorum, qui eadem ſacra propugnabant; inde, ambigua ſucceſſio, & inter inhiantes Scotorum regina, Romæ & Hiſpanis devincta, proſpiciebantur. Ita certabant res præſentes & ratio venturi. Ingens Gallis & propemodum par hoſtili potentia: minores Britanniæ, ſed maritimæ vires. Prælata eſt Gallia, Anglis ultro ſuadentibus, qui ſe faſſi infirmiores, ſubſidia duntaxat, & acceptis pignoribus, offerebant. Ita veteres & renovatas Franciſci facto inimicitias temporum neceſſitudo evicit: arcanumque ingens patefactum eſt, poſſe Belgas ſub domino eſſe, non poſſe ſub Hiſpano. Nam minora multo poſtulabantur quam quæ Franciſco præſcripta fuerant, & quæ ſecretiora habebant legati mandata, metu offenſæ, ſtatim aperuere: ex his etiam circumciſa quæ inviſæ erant libertatis, puta, ut Ordinibus injuſſu Regis convenire liceret, ſenatus e Belgis eſſet, præfecti & magiſtratus e nominatis legerentur, inque omnibus honoribus, ejus religionis, quæ tum ſola per iſtas partes recepta erat, ratio haberetur: quanquam erant nationes quæ ad iſta remittenda non conſenſerant. Quibus agitatis diu, lentiore colloquio quam præſentes neceſſitates ferebant, invito non minus Rege quam Belga, accidit, ne juncti adverſus Hiſpanum imminentem, alter alterius ope rem ſtatumque firmarent. Lætari ſe honore, & uti voluiſſe, ſed impediri inteſtino tumultu Henricus imputavit. Nam Lotha-

1584.

Ex Gallia & Anglia miſſi qui illos conſolarentur.

Dubitatum utri regno vellent accreſcere.

Gallia præfertur.

A qua tamen propter inteſtinos tumultus non recipiuntur.

1584. Lotharingorum familiam, invidioſæ jam olim per Galliam potentiæ, Philippus eo maxime tempore, imminutionem virium ſuarum metuens, arcanis opibus in ſpes magnas erexerat; qui, facta conjuratione, Romanæ religionis tutelam, diſſentientium pœnas, tributorum levamenta, & alia captandæ plebi jactantes, Regem timoris manifeſtum, quantum ipſis plura largiebatur, tanto inſolentius contempſere: ac poſtquam orbitas ipſius, mortuus frater, e propinquo Carolus Borbonius ſenectute & ſacerdotio invalidus, cæteri a Romano pontifice devoti, ſucceſſionem fecerant incertam, tandem apertius innuebant, venire ſuum a Carolo magno genus, cujus ſtirpe dejecta, occupatam a Capeto regiam ſex per ſecula detineri. Horum libidine Henricus, ſpem pacis ſocordiæ prætendens, agi ſe diu ferrique paſſus eſt; donec, erumpentibus in rebellionem diſſidiis, ſero didicit irritatam cedendo audaciam. Igitur, ea per impedimenta Rege abſterrito, ne id quidem obtentum, ut, matre aut Navarreno nomen præbente, Regis beneficium diſſimularetur, clauſique limitum Gallicanorum tranſitus penuriam hoſtibus facerent.

HUGONIS GROTII ANNALIVM BELGICORVM LIBER QVINTVS.

SVMMARIVM.

Fœderati ad Eliſabetham recurrunt. Parmenſis Antverpiam obſidet, eaque poſt Bruxellam & Machliniam potitur; arcem reſtituit; tentata ab Hohenloio irrito eventu Sylvaducis. Noviomagum & Doſiburgum Hiſpanis deduntur. Belgarum imperium recuſans Eliſabetha, auxilia promittit; illorum imperator Liceſtrius; nimii ipſi a Fœderatis conceſſi honores Reginæ non probantur. Imperium in Belgas affectans Ordines criminatur, & plebem in illos concitare ſtudet: negotiationis libertatem circumſcribit, hoſtiles quoque agros excidio damnat. Gravia Parmenſi ab Hemerta deditur; eam ſequitur Venloa. Axelam Mauritius expugnat. Gravewardam munit Scenkius. A Nienario captum Noviſium cum aliis urbibus iterum in Parmenſis venit poteſtatem. Liceſtrius magnis premitur querelis; Ordines pleraque ad ſuam curam trahere ægre fert; ſacrarum literarum interpretes ſimul & populi ſtudia ſibi concilias, in Anglicano milite & Sonojo multum præſidii ponit. Mauritii prudens diſſimulatio. Liceſtrius in Angliam proficiſcitur. Eliſabetha fruſtra iterum imperium offertur. Belgas querentes diu in Anglia Liceſtrius detinet. Zutphanium & illi oppoſitum munimentum Anglorum perfidia traduntur Hiſpano. Abſente Liceſtrio ſummum Mauritio armorum mandatur imperium. Edictum de evectionibus temperatur. Ex miſeria Brabantorum ac Flandrorum Batavi incrementa ſumunt. Hohenloius cæſa Altipenna Crepicordium occupat. Cluſam expugnat Parmenſis, quod Ordinibus a Liceſtrio, in Belgicam reverſo, imputatur. Eliſabetha in pacem propenſa. Liceſtrii criminationibus Ordines reſpondent; hic urbes vi opprimere parat; ejus conjuratis Lugduni capite plexis in Angliam abit; ubi ejurato in Belgas imperio moritur. Scenkius Bonnam capit. Ingens ad ſubjugandam Angliam in Hiſpania claſſis ſtruitur, quod Philippus oſtentata pace diſſimulat; pari arte cum illo agit Eliſabetha. Claſſis adventans fraudes dirimit. Militum propter inſoluta ſtipendia apud Belgas turba. Brevis inſpectio, quo pacto ſe contra Hiſpanicam potentiam perculſi erexerint Batavi. Finium, reipublicæ ſtatus, virium, ac habitus animorum inter partes comparatio.

POſt longi temporis, & quidem tanta ferentis momenta, factam in Gallia jacturam, ad Eliſabetham recurſum eſt, aſperiorem hoc ipſo, quod ſecunda rogabatur: tractæque & illic fœderis pactiones, donec validæ civitates, auxiliis deſtitutæ, a republica deſciverunt. Adhuc inter arma

Fœderati a Gallia non recepti ad Eliſabethã recurrunt. Validæ interim civitates deſciſcunt.

& ma-

1584. & machinas Hiſpanorum, onuſtæ commeatu ab Hollandia Zelandiaque naves, ubi ventus ferret, Scaldim ſubvehebantur, tanta certe copia, ut intempeſtiva magiſtratuum frugalitate, dum rebus neceſſariis pretium minuunt, relatum ſit frumentum quantovis tempori ſuffecturum. Et Parmenſis, manu multo impar obſeſſis, niſi per famem, præcluſo hoc itinere, victoriam non ſperabat: ſed ingens amnis latitudo infra urbem, qua oſtiis advolvitur, & profundi æſtus, quos hucuſque Oceanus impellit, terrebant vani laboris metu. Quia tamen una hæc ratio obſidendi videbatur, adhibere diligentiam ſtatuit, & aliquid credere fortunæ; quam non alias ſecundiorem expertus eſt. Nam dum natura obſtare operi creditur, neglectæ a Batavis diruendi occaſiones: ita factum eſt facillimum, quia difficillimum putabatur. Ab utraque ripa projectis molibus arctatum flumen, qua minimum patebat, Ordamum Calloumque inter: media ejus completa navigiis, quæ anchoris, & inter ſe vinculis continebantur; ac conſtrata deinde, in uſum pontis & ſpeciem. Addita ripis munimenta, & præſidio operis bellicæ naves, infraque & ſupra in flumine ratium compages tignis prominentibus, ut, ſiquid turbandi operis cauſa eſſet immiſſum, hoc impedimento detineretur. Nemo dubitat, contra imperfectum opus multa utiliter excogitari potuiſſe, ſi Belgarum in evertendo ſtudia ædificatorum diligentiam adæquaſſent: ſed hyems tota Parmenſi condonata eſt: cujus diligentiam excitabat novum Philippi beneficium, arce Placentina ipſi reddita, quæ Hiſpanorum præſidio hactenus tenebatur. Vere primo mirari magis licuit conſummatam molem, quam exſcindere; cum denſiſſimæ per utramque ripam machinæ arcerent.

Antverpienſium intempeſtiva frugalitas.

Parmenſis ad expugnandam fame Antverpiam diligentia;

Ejus opera.

Belgarum in iſtis evertendis negligentia.

Placentina arx Parmenſi redditur.

1585. Naves quin etiam coacto intus tormentario pulvere & ſaxis fulminantes, & alia, ſero uſurpata, incertis tempeſtatum & ſignificationum, quibus ſocios obſeſſi admonebant, partim & pravo miniſtrorum obſequio, eventum perdidere. Nec contabulato Scalde aliud reſtabat, quam per campos, quos amnis inundaverat, inferre commeatus, cui navigationi Caudeſteinius agger intercedebat, quem, humentibus Brabantiæ paſcuis eminentem, quod Belgas feciſſe oportebat, munimentis aliquot hoſtis præceperat. Hunc miſſi Antverpia Zelandiaque pariter oppugnavere: & jam tenebant, ſed fortiſſime dimicantes tormentis eminus diſ-

Omnibus incaſſum ad liberandam Antverpiam tentatis poſt Bruxellam &c. Machliniam in Parmenſis venit poteſtatem.

cerpe-

1585.

cerpebantur, donec loco cederent. Ea clades ſpes ultimas infregit; tandemque interſeptis auxiliis imminentes rei frumentariæ anguſtias ſueta commerciis civitas non toleravit, cum aliquanto ante Bruxellam & Machliniam neceſſitas eadem, & annixi turbatores in Parmenſis poteſtatem redegiſſent: quarum conditio durior, quia, reſciſſis legibus, modus ſervitutis a Rege petebatur. Ideo quod temporis Antverpiæ ad ſuprema reſtabat, hoc victoris clementia redempta eſt; qui & ipſe occupandæ gloriæ properus, utque alias deditiones exemplo incitaret, pleraque indulſit, niſi quod alieni a Romanis ſacris quatuor ultra annos, conſtituta re familiari, excedere jubebantur. In ipſo ponte, memorabili ad omnem poſteritatem opere, Parmenſis, victoriæ decus, conceſſum a Rege vellus aureum induit. Mox & arcem, qua urbem reſpicit, ſtudio libertatis pridem dejectam, firmando imperio reſtituit. Multum famæ, multum & virium urbs tam clara Hiſpanicis partibus attulit; non tamen, ut plerique tunc judicabant, res cæteras in ſe tractura: quod eventu adeo revictum eſt, ut Batavi, maximo ad liberandam urbem ſumptu ac labore, ſuſpiciones tamen non vitaverint proditæ fidei ſocialis, velut aliorum mala ſuas in utilitates verterent. At contra, ipſi Aldegondium (namque is urbem rexerat) culpæ ſubdiderunt, qui ad Zelandos reverſus, cum primos accuſantium impetus & cuſtodiam pertuliſſet, poſt honorate habitus, in nulla tamen reipublicæ parte, ingenium paci quam bello aptius intra artes privatas & tranquilla ſtudiorum tradidit ſenectuti. Fracta tot malis & militum virtus, qui, dum ſpes adhuc erat hoſtem Antverpia avocandi, Silvamducis, Hohenloio præeunte, feliciter ingreſſi, continuo profugere, per metum & imprudentiam, dum porta & hoſtibus omiſſis in prædam ruunt. At Noviomagum, urbem Geldriæ, cum Doſiburgo oppido, Romanæ religionis ſectatores adjuti partium fortuna victori adjecere. Eandemque circa regionem paſſim clades, ducum temeritate, aut gregariorum ignavia. Mœrorem publicum auxit miſerabilis exſulum populus, Brabanti & Flandri, religionis ergo, aut quia pactionibus diffidebant, propter iniquos interpretes, commerciorum denique inopia, in Hollandiam inſulaſque diffuſi, qui exhauſtas bello urbes vireſque in majus extulere, ingens mox fortunæ melioris auſpicium. Vix interim Anglicani fœderis exſpectatio animos ſuſtinebat. Delatum Eliſabethæ imperium diximus.

A Rege aureo donatur vellere. Arcem reſtituit.

Batavi Antverpienſibus proditæ ſocialis fidei ſuſpecti.

Hohenloius Silvamducis feliciter ingreſſus eam continuo deſerere cogitur.

Noviomagum & Doſiburgum Hiſpanis deduntur.

Exules Brabanti & Flandri Hollandiam ſibi ſedem eligunt.

Delatum interea Belgarum imperium Eliſabetha recuſat.

1585. mus. Sed prudens fœmina detrectavit invidiam interverſæ dominationis: neque tam arcta ſocietate, rebus ambiguis, famam fortunaſque ſuas implicuit. Conſultius viſum, ſecreta habere per Belgicam potentiæ munimenta: & modicis ibi viribus, & miſſis iterum qui Americæ oras popularentur, Hiſpanum fatigare, donec flexis in pacem animis amoliretur ſuſpectos exercitus.

Auxilia promittit.

Auxilia autem promiſit, id ſe jure facere ſcripto teſtata, quo morem principum oppreſſos ſublevandi, pactas olim Britanniæ & Belgarum amicitias, cum Hiſpanicorum ſcelerum inſectatione, memorabat. Simul religio prætendebatur, cujus ſecuritatem ſibi nulla alieni cupidine commendatam, Galliæ & Scotiæ rebus probabat. Perſcriptæ fœderis leges, pleræque in eandem formam qua prima ſocietas convenerat, & ut quinque millia peditum, equites mille in Belgis Reginæ ſtipendiis militarent: legatus, qui ejus copiis præficeretur, cum Anglis præterea duobus, receptus in Senatum publicis bellique conſiliis intereſſet: claſſem ſtruenti Reginæ Belgæ parem navium numerum adjicerent.

Quinque millia peditum & mille equites.

Fœderis leges.

Pro reſtituendis impenſis, ubi bellum deſiiſſet, obligatæ pignori maritimæ urbes Brila & Fliſſinga, nihil immutato earum regimine, cum Zeburgo Walachriæ caſtello, Anglorum præſidiis traduntur, non ſine metu in poſterum, quem tunc præſens neceſſitas averterat.

Brila, Fliſſinga cum Zeburgo Anglorum præſidiis in pignus dantur.

Auxilii Anglicani imperium Robertus comes Liceſtrius accepit, egregius virtutum ſimulator, & qui inviſos atque infelices Dudleiæ gentis ſpiritus haud ingrata comitate velaret. Origo illi fortunæ (nam claritudo generis inter adverſa fuerat) a carcere cœpit, quo incluſam ſimul Eliſabetam ſororis Reginæ ſuſpicionibus, non pro rerum præſentium conditione coluerat: unde, per obſequia conſortiumque infortunii, conciliatis affectibus, (quibus illa muliebriter indulgebat, non tamen ut viriles curas omitteret,) ita animum ejus erudito luxu permulſit, ut jam regnantis conjugio electus crederetur; quod æmulantium metu quanquam non obtinuit, ad maxima tamen evectus, &, ambiente invidia, valentes inter inimicos illæſus egit.

Liceſtrius auxilii Anglicani imperator. Illius mores & fortuna.

Adventanti in Batavos obvia populi ſtudia, & procerum aſſentatio. Nam inerat & vultui ſermonique amœna quædam majeſtas, & quaſi collapſæ fortunæ reſtitutor conſpiciebatur: nec liberalitas aberat in literis aut armis eminentes: tantaque feſtinatio fuit, ut homini extero, & apud ſuos morum minime inculpato (nam, ſublato

Obviis populi ſtudiis & procerum aſſentatione in Batavia excipitur.

Eſſexio,

Eſſexio, domum ſibi vacuam nuptiis feciſſe dicebatur) ante ulla ingenii experimenta, præfectura totius Belgicæ, qualis Caroli temporibus fuerat, & omne terra marique regimen permitteretur, cum pecuniæ publicæ adminiſtratione. Senatus ita illi additus, ut adſeſſuros e nominatis ipſe legeret, & quodammodo omnium ſuffragiis unus æquaretur. Præcipue grata pietatis ſpecies a rerum divinarum ordinatione imperium auſpicantis: & recens Valeſii ob contraria odium, illum favorabilem fecerat. Erant & qui Arauſionenſi antehaberent, ſperantes minus gratiæ datum iri, quanto domeſticis opibus & egregiæ Principis amicitia florenti pro recto tendere expeditius foret. Sed decernebant honores immodicos, alii ambitione, ſimpliciores demerendæ Reginæ; quod tamen contra cecidit, ut excuſandum illi haberent, quæ videri voluit timere, ne recuſatum ſibi imperium per Liceſtrii perſonam ingererent; niſi forte gnaram illius ingenii altior ſuſpicio inceſſerat. Statim, imminens omni potentiæ malum, adulatores acceſſere, quibus impellentibus & ipſe delinitus (ut eſt humani ingenii natura) occaſione dominationis, cum jam ab Ordinibus in verba ſolennis ſacramenti & Reipublicæ inſignia adſciſceretur, beneficium eorum in ipſos vertit: &, quaſi in provinciam miſſus, occulta cum Anglis maxime hominibus conſilia init, qua ratione muniret imperium. Plurimum autem differunt harum nationum ingenia & mores. Nam Angli, ut addicte ſerviunt, ita evecti ad dignitates priorem humilitatem inſolentia rependunt: Belgarum eſt parere & imperare cum modo, nec gens ulla fidelius amat eminentes, aut iisdem, ſi contemtus adſit, implacabilius iraſcitur. Quæ non expendens Liceſtrius, ignarus etiam dignitatis ſuæ auctoribus pœnitentiam reſtare, (tantum in Anglo milite, & præſenti faſtigio fiduciæ erat) indulgere pertinaciæ cœpit: idque eo periculoſius, quia rerum Batavicarum intima nec ipſe norat, nec peritioribus auſcultabat. Aſſumti ſunt & Belgæ in partes, ſed quorum alii, rebus domi afflictis per bellum aut luxum, qualicunque ſervitio paupertatem, ut ſummum malorum, fugiebant; alii, patria capta, aſſueti honoribus, & privatæ vitæ impatientes, non alium videbant inſurgendi gradum: cæteri, novorum propter ipſa avidi: quibus deinde, ut fit rebus turbatis, perfidi & hoſtibus venales miſcebantur. Talis Belgarum præſidem cohors obſederat, quæ primo in Ordines obliqua convitia jacere, &, ubi

1586.

Maxima ejus in Senatu auctoritas.

Immodici illi conceſſi honores Reginæ non probantur.

Imperium in Belgas affectat.

Ingenia Anglorum plurimum a Belgis differunt.

Liceſtrii in Ordines criminationes,

1586. ubi hæc pronis auribus excipiebantur, apertas criminationes a paucorum culpa in cunctos intendere, quaſi nihil hoſti arcanum, nihil impervium eſſet apud ſuis commodis diſtentam multitudinem.

Aſſentatores eum ad ſpem dictaturæ hortantur.

Arauſionenſis etiam exemplo ad ſpem dictaturæ præproperam hortabantur, ipſo ad omnia credulo, ut cui longa felicitate corruptum judicium, nec ſatis diſcerneret, quanto aliis artibus muliebris gratia, & in libero populo principatus quærerentur.

Concitandæ plebi ærarii patrocinium uſurpat.

At plebi in Ordines concitandæ, quæ ſponte etiam rectores odit ſub quibus fortunam adverſiorem experta eſt, ærarii patrocinium, res maxime popularis, uſurpatur; cum tamen, in eo tractando, tam verum ſit, miniſtris Liceſtril fidem, quam ipſi perſpicaciam defuiſſe.

Negotiationis libertatem circumſcribendo plurimos offendit, ac ingens reipublicæ detrimentum affert.

Offendit ſtatim plurimos edicto, quo non modo cum ſubactis Belgarum gentibus & Hiſpanis negotiationem reſcindebat, quæ niſi ob certas temporum occaſiones hactenus tolerabatur, ſed ne in Galliam quidem, aut maritima Germaniæ transferri merces volebat, quod obtenderet rerum penuria debellari hoſtem poſſe, ſi nec ex Britannia nec ex Belgica ullis copiis juvaretur: incogitato, merces eſſe multas, nec hoſti neceſſarias, & Batavis ſuperfluentes. Sapientiores judicabant aſſentantium avaritiæ obtemperatum, qui venalem apud ſe exportandi licentiam, aut ex delationibus lucra animo antecepiſſent; auctaque fides, cum Ringaltius, ſub Albano quondam & Requeſenio quæſturis exercitus, mox peculatus crimine aſperſus, tunc vero flagrantiſſima apud Liceſtrium gratia, jus ex edicto inquirendi in tabulas mercatorum & literas accepit, contra vetera inſtituta, quæ maximam partem habent libertatis, amovere a cujusque re privata ſpeculatorem. Ergo cum aliæ gentes, ad quos bellum non pertinebat, arceri Oceano & hoſtium commerciis non poſſent, compendio duntaxat a Batavis averſo, quo uno res hactenus ſteterat, magna mercatorum multitudo patriis urbibus emigrabant. Nam Angli quidem facilius mercaturæ damnum patiebantur, gens prædis lætior, & tunc, egregia belli ſpecie immiſſi Oceano, parentes Hiſpano inſulas navesque infeſtabant. Nec interea Batavis abſtinebatur, ſi qui forte, emiſſi cuſtodum diſſimulatione, per fretum tentabant in occidentem erumpere: unde repertum poſtea, Britanniam inſulam retro vehi, quo vaſto & vix uſurpato mari prædonum inſidiæ effugerentur. Vetitam evectionem viciſſim eorum, quæ peregre ſolita peti,

peti, penuria ſequebatur, ita quidem ut non aliud remedium Ordines invenirent, quam frumentum omne decreto publico coercere: qua lege iidem incognitæ hactenus neceſſitatis auctores, & maligni interpretes, famem Angliæ quæri calumniabantur. 1586.

Inventum ab Ordinibus remedium.

Simile erat, quod hoſtiles agros, qui ſtipendium pendebant, Liceſtrius ſolitudini & excidio damnabat, præter ultionis metum, ſævum in eos, qui vi aut dolis avulſi a patriæ corpore quandoque redituri ſperabantur.

Imprudenter quoque hoſtiles agros excidio damnat.

Commotus & miles, quod aliarum nationum cohortibus Angli duces inſererentur: aditusque Hohenloius, qui cunctantes ante in Liceſtrii verba adegerat, ut impermixtos ordines & armorum præmia tueretur, ſuſcepit cauſam: odioque tam gentis quam ducis interritus, ut pollicitationibus incorruptus, apertiſſime defendit optimatium partes, generoſa ſimplicitate ſimulandi impatiens, & per vinolentiam tegendi quoque ignarus.

Liceſtrium permiſcere militum ordines non patitur Hohenloius.

Sopivit naſcentem diſſenſionem nonnihil cura belli recrudeſcentis. Nam Parmenſis per prælia aliquot, & caſtellorum utrinque ereptiones circa Rhenum hyeme extracta, ad nuncium Anglicani fœderis pecunia a rege auctus & milite, ut reliqua Brabantiæ perficeret, Graviam, oppidum in ſiniſtra Moſæ ripa, obſidio premebat, ſupra infraque clauſo amne, quod ad commeatus arcendos toties ſibi proſperum rurſus experiebatur.

Parmenſis Graviam obſidet.

Sed miſſus a Liceſtrio Hohenloius cum delecto militum comitatu hoſtilia munimenta vincendo perrupit, &, adjutus verno fluminis incremento, liberavit oppidanos famis & reliquæ penuriæ metu.

Miſſus Hohenloius munimenta obſidionis perrumpit.

Nec eo minus perſtitit hoſtis majore cum exercitu oppugnationem moliri; quam imminentem Hemerta vir nobilis Belga (hunc Hohenloius præfectum reliquerat,) cum jam auxilia adventarent, feſtinata nimium deditione prævenit; blandiciis, ut creditur, pellicis emollitus, cujus flagitii crimine a Liceſtrio capite plexus eſt.

Vrbs tamen ab Hemerta præfecto deditur;

Qui capite propterea plectitur.

Diſciplinam vocabant æquiores, alii gentis odium, quia Rolandus Eboracenſis Imbiſianis quondam conſiliis permixtus, Anglique plures nihilo tutioris fidei, aut manifeſti ignaviæ, non modo ſecuri, ſed primarum admiſſionum compotes, agerent. Secuta Graviam Venloa, Geldriæ oppidum ſuperius, & in dextra ripa ſitum, prodente plebe egregia militum ſtudia.

Venloa ſequitur.

Dimiſſæ interea manus agrum hoſtilem prædabantur; poſuitque Mauritius rudimenta Axelæ expugnator, quam Ternuſio egreſſus (id Flandricæ oræ munimentum Fœderati te-

Axelam Mauritius capit.

1586.

Scenkius Truxio militans Gravevvardum munit.

Nienarius Noveſium capit, Quod iterum cum aliis oppidis mox in poteſtatem Parmenſis recipit; Berca detractus infelici eventu cum Liceſtrio pugnat.

Sidneius nobilis Anglus illo in prælio occiſus.

Velaviæ ac Daventriæ, Ordinibus nequicquam renitentibus, perfidi præficiuntur a Liceſtrio Angli.

nuere) nocturno ſcalarum aſcenſu invaſit. At Agrippinenſe bellum, de quo ante retuli, non tam partium viribus quam ducum virtute flagrabat. Scenkius, relicto Parmenſi, transgreſſus ad Truxium, occupatis paſſim præſidiis, cuncta antiſtitis ditioni ſubjecta ferro & igni populabatur: deinde juſſu Liceſtrii inſulam muniit; quæ ad ipſum Rheni divortium lævo Bataviæ lateri præjacet, Gravewardæ nomen: idque nunc maximum imperii iſtius propugnaculum eſt. At Nienarius, earundem partium ductor, Noveſium, veteri celebritate oppidum, furto ceperat: quo contendit Parmenſis, oratus a Bojoaro, & cupiditate cum feliciſſimis ducum gloria certandi. Nam Carolo Burgundo ſecundiſſimam prius fortunam is locus retudit, vertitque. At ipſi proſpera oppugnatio, & ſuperba victoria: collucentem incendiis ingreſſus urbem; mox Alpa, Cracovio, Murſa in ditionem acceptis; ad Bercam hæſit, ſpem præter defenſam a Scenkio: tandemque detrahitur, Liceſtrio poſt captum Doſiburgum Zutphaniæ imminente. Sed huic, dum aditus claudere & caſtra præmunire ignavum putat, invecto commeatu reverſus hoſtis experiendarum virium occaſionem dedit. Ejus pugnæ felicem alioqui Anglis eventum mors Philippi Sidneii funeſtavit, juvenis ad maxima quæque nati, ut qui claris natalibus opibusque rarum decus literas adjunxiſſet; hoc major avunculo Liceſtrio, cui & fortunæ, quantacunque ea futura erat, ſucceſſor deſtinabatur. Mox venit in poteſtatem caſtellum contra Zutphaniam in altera ripa, quæ cisiſalana eſt, cœptum olim Belgis, &, cum incremento fluminis fugarentur, ab hoſte perfectum. Hujus curam cum omni terra Velavia Liceſtrius Rolando Eboracenſi; Daventriam, quam defectionis ſuſpectam præſidio Hiberni militis ab omni humanitate alieniſſimi ultro iritaverat, Wilhelmo Stanleio credidit: utrumque adverſa Ordinum voluntate, qui ſatis gravibus de cauſis, quas exitus comprobavit, illorum hominum perfidiam metuebant. Nec ullum hac in re Liceſtrii dolum arguerim, ſed quod in cæteros contumax, & tantum adulantibus patens, inexploratis amicitiis turpiter fidebat. Nam & aliorum, quos ad conſilia præcipuos habebat, factioſi conatus eruperant: quos inter conſpicuus etiam in reatu Ringaltius cuncta judicum tribunalia ejurabat, donec ad extremum transfuga vitam infamem inter hoſtes inopia finivit. Regreſſum

igitur

1586.

Magnis querelis premitur.

igitur a bello ducem innumeræ ſimul querelæ premebant, quod non ſine civium injuria bellum & præſidia agitarentur, contra quam expediret imperium ſponte populi obtinentibus: addebatur, traditam alienigenis quæſturam malis artibus geri, turbatum nummi pretium, nec milites & cætera reipublicæ onera cum ærario comparari: exhauſtis rei navalis obventionibus prodi maris arbitrium: labare commercia: male meritis mandatos honores: at ſecundæ ab ipſo præfecturæ vim omnem deſtrui, & jus in præſidia eripi multis annis ſervatum. Nec tacebatur, quod conductus eo tempore e Germania miles non adventaſſet (ſuſpicio erat, Anglorum dolo factum, qui ſuum robur & proprias vires mallent inducere) tenuitate copiarum, quando & auxiliares numeros ducum aut quæſtorum avaritia exhauſerat, ceſſum hoſti, neque ejus victoriis obſiſti quiviſſe. Perlata hæc Ordinum verbis tum Fœderatorum, quorum eo primum tempore crebri conventus haberi cœpere, ut agi extra Senatum poſſent ea, quæ Anglorum conſcientiam formidabant; tum Hollandorum, qui pro ſe & Mauritio privatim multa queſti etiam communia pleraque ad ſuam curam retrahebant. Quæ Liceſtrius impatienter tulit: eos ſcilicet ex officinis & tabernis in curiam evadere, quo præter ſordidas artes venalemque animum nihil afferrent: ſe eo genere, ea dignitate, accepturum leges ab rudi plebe, & alieno imperio militaturum. His ille accenſus, a Republica, ſi poſſet, amovere plebem, quæ fere dominantibus infeſtior eſt, & acris depeculatorum obſervatrix, optimum factu judicavit: idque eo facilius proceſſurum, quia exteri & civium multitudo longe maxima regiminis exſors læto animo acceptura videbatur æqualitatem. At mihi ſapientum præcepta & veteres civitatum ſpecies animo repetenti, videntur magnifica dictu verius, quam factu ſequenda excogitaſſe, quotquot partem eam populi, cujus ad communem utilitatem quæſtus maxime redundat, honoribus exuunt. Nam, ut maritimas taceam gentes, apud quas vulgus plurimum pollebat, etiam Spartiatæ dilectos e plebe, tanquam adulandi neſcios, regibus æquavere; Romæque haud ante pax ordinum fuit, quam plebs in imperii partem vocata eſt; quin & hodie florentiſſimis in urbibus, quas optimates regunt, negotiatores patriciorum nomine plebis officia exercent: nedum ab iſta republica, quæ cuncta mari & amnibus debet, is ordo arceatur,

Ordines crebris conventibus pleraque ad ſuam curam trahunt;

Quod eos deſpicatui habens ægre fert Liceſtrius,

A Republica plebem removere ſtudet.

1586. ceatur, majore multo, quam olim fuit, mercaturæ dignitate, ex quo orbem totum navigationes aperuerunt: & nunc divitiæ fere penes illos ſunt; quarum in mandandis honoribus haberi rationem, priſcis quoque ac ſeveris legumlatoribus placitum eſt; minuſque ſuſpectæ eſſe debent ullius opes aut avaritia, ubi potentia nec perpetua eſt, & fere mandatis includitur. Sed hæc atque alia ſemper ſervata mutare Liceſtrius parabat, non tam vano novandi ſtudio, quam ut nobilitatem & clara ingenia a cæteris ſegregando partes proliceret. Interpretes primum ſacrarum literarum (qui ſoli multitudinis aures & affectus hoc ſeculo poſſident) adjungebat ſibi ſpecie pietatis, & aliorum diſſimilitudine. Nam primis in republica religio minus tum cordi quam par erat, hanc unam armorum cauſam vulgantibus: & olim contra ſupplicii metum acrius cupita, per impunitatem neglectui erant: non ſacris ſalva reverentia: non adminiſtris honos. Erant & qui omne jus eccleſiaſticæ cenſuræ eriperent: acerbam ſcilicet ſacerdotum dominationem infeſtis animis meminerant, veterumque odio cuncta novabantur. Quæ contra Liceſtrius, autoritatem atque alia commoda Angliæ exemplo oſtentans, concionantium voces, & per illos populi ſtudia ſibi conciliabat; pleraque reipublicæ non magiſtratibus credens, ſed his, qui in aliqua ſacrorum parte, aut plebejo centuriatu verſabantur, quibus etiam optima volentibus rerum notitia & uſus aberant. Iam vero multi, quorum fortia pro patria conſilia exſtabant, palam demoti honoribus, quia cum Romana Eccleſia aut per omnia, aut ex parte ſentiebant, parum proviſo, quam non pacifici exempli res foret, ſi ſemel evulgaretur, eam induci religionem, quæ conſortes reipublicæ alios non admitteret. Brevi apud Friſios, Trajectique Batavorum, ubi ereptum civibus imperium incolæ occupaverant, aliasque per urbes, quæ turbidæ etiam olim ac nimia vi multitudinis regebantur, Ordinum nomen magna in invidia eſſe cœpit: ille unus religionis vindex, ille & hoſtium & inteſtini ambitus avaritiæque expugnator coli. Præter hæc, munimenta, inſulas ad mare ſitas, & alios limites Anglicano milite tenebat: nec minus in Sonoio præſidii, qui ob egregia facta Weſtfriſiæ regimen ſub Arauſionenſi meritus, intendere vim ſuæ præfecturæ ſperabat, favente Liceſtrio ut proximas ſuo faſtigio poteſtates imminueret, atque avido hanc regionem, alia-

Interpretes ſacrarum literarum ſibi adjungit;

Per quos populi quoque ſtudia ſibi conciliat.

Cum Romana Eccleſia ſentientes honoribus demovet.

Apud Friſios & Vltrajecti ſummo in honore eſſe cœpit.

In Anglicano milite & Sonoio VVeſtfriſiæ præfecto multum quoque ponit præſidii.

que

1586.

Mauritius interim ſuam diſſimulat indolem.

que præſidia ab Hollandiæ imperio & Mauritii cura divellere, qui magnam indolem pertinaci ſilentio diſſimulabat, cum eodem tempore & falſiſſimis criminibus & per amicitiæ ſpeciem tentaretur. His præſtructus Liceſtrius cum ſuorum e numero multos evexiſſet, & vulgus ubique diſcordiis ambiguum, pars major in ipſum vergeret, non multum ſibi ad liberam poteſtatem reſtare credidit, ſi veteri apud Eliſabetham gratia niteretur. Ergo ne longæ abſentiæ tempora largiretur inimicis, peritus ejus regiæ, domum proficiſcitur. Apud Ordines, evocatum ſe ad Angliæ concilium præferebat, ibi quoque res Belgicas acturum; apud plebem, Ordinum contumeliis iritatum excedere, & niſi alio rerum vultu haud rediturum minabatur: quod plurimos incendit, ſparſis & in vulgus literis, quibus aut Ordinum acerbitas, aut Liceſtrii merita & in populum ſtudia differrentur; additoque inſuper rumore, Reginam principatum Belgicæ non detrectaturam, niſi terrerent primæ ſocietatis experimenta, & innumeræ leges, quibus juſtiſſima quamvis imperia eluderentur: per quæ eo deventum eſt, ut Trajecti novi magiſtratus, & in Friſia privati publico nomine legatos ad Reginam mittere auderent, qui principatus conditiones non tam ferrent, quam acciperent. At illa, quanquam Anglorum concilio collationes, ſi vellet, eam ad rem pollicente, pernegavit: nec tamen quorundam effugit ſuſpiciones, quaſi conſenſu publico delatum honorem & recuſatum, plebis ac militum ſeditionibus debere mallet. Diſcedens autem Liceſtrius ſenatui permiſit rempublicam: ſed non multo poſt ſcriptura prolata eſt, qua jus in præſidiarios & præcipua imperii ſibi exceperat. Miſſi hac de cauſa in Angliam, qui mutilum regimen, & ſi ſubita ingruerent, nulla in poteſtate præſens ſubſidium conquererentur. Sed inauditos Britannia diu detinuit, ſuis ipſa motibus involuta: nam regina Scotiæ, a ſuæ gentis Ordinibus exacta, ſupplex ad Eliſabetham profugerat, cui, præter ſimilitudinem ſummi nominis, propinquo ſanguine connectebatur: ibi, magnis ſuffulta clientelis Romanas cæremonias ſectantium, ſpem recepiſſe prioris fortunæ, & Eliſabethæ ſaluti, regnoque imminere credita, cuſtodiis primum, deinde, ne ſic quidem infra metum, morti tradita eſt. Apud Batavos ſævi interim tumultus, &, ut quæque partium prævaluerat, exilia aut vincula decernebantur. Sed ubi Wilhelmus Stan-

Eliſabethæ gratia fretus libera in Fœderatos poteſtatis ſibi ſpem facit Liceſtrius.

Ob quam cauſam domum abit.

Profectionis diſcordantes prætextus.

Novi Trajecti magiſtratus, & privati Friſii Eliſabethæ iterum imperium fruſtra offerunt.

Belgæ de mutilo ſibi relicto regimine in Angliam conqueſtum miſſi diu detinentur.

1587.

Scotiæ regina morti traditur.

1578. leius Daventriam, Rolandus Eboracenſis oppoſitum Zutphaniæ munimentum Taxi Hiſpano, accipienti perfidiam & tamen averſanti, tradiderunt, gratioſus apud Liceſtrium uterque, e plebe multi efferre Ordinum prudentiam, ſua ſtudia damnare: etiam Anglorum nonnulli, eluendæ gentis infamiæ, procerum juſſibus applicabantur. Inventus tamen ex eadem gente Alanus, Cardinalis poſtea factus, qui libello in id edito religionis obtentu defenderet facinus, ut peſſimi exempli, ita autoribus quoque ſuis infelix. Nam poſtquam ipſi inter ſe odiis commiſſi, Eboracenſem, hominem formidandæ in quidvis audaciæ, veneno ſublatum fama eſt: Stanleius Daventria demotus, cohorte, quam ſecum traduxerat, ſubductis ſtipendiis diffluente, in Hiſpaniam profectus, neque præmia ibi ſperata, neque conſilijs fidem reperit. At Fœderati Ordines accepta voluntatum tam vulgi quam militis pro ſe inclinatione, ut quamvis magna Reipublicæ calamitas in bonum verteret, paternum in Mauritio favorem excitarunt, mandato per ſummi ducis abſentiam armorum imperio. Quin & prætermiſſum hactenus ſacramentum a militibus in nomen Ordinum, & cujusque nationis præfectorum poſtulabant, quod proditores & ſeditioſiſſimus quisque hoc colore ſcelera velaret, ſimpliciores etiam Liceſtril honorem, quaſi dictum Reginæ jusjurandum, interpretarentur. Edictum de evectionibus ita temperatum eſt, ut in pacatas gentes cuncta, præter quæ bello idonea ad hoſtiles Belgas locaque his finitima, excepto ſuper hæc frumento, cætera exportarentur: quæ lex pro uſu ſequentium temporum contracta ſæpius, aut laxata eſt. Itaque ea tempeſtate diverſiſſima fortuna per Belgicam agebatur. Nam Brabanti Flandrique, raro commeatu & perpetuis agrorum populationibus exhauſti, extrema penuria conflictabantur; ditesque olim homines ad famem & mendicitatem redactos conſtat: vix populorum defectiones metus, atque obſeſſi dominantium viribus limites, arcebant. Contra prolatis pomœriis creſcere videres oppida Batavorum, & utrumque in latus claſſes Oceano diſpergi: ut unam gentium hanc arbitrer, quæ bello etiam magis quam pace commerciis profecerit; habendamque merito feliciſſimam, ſi non, qui ſeneſcentibus fere imperiis & conſumptæ fortunæ finis eſt, ipſa magnitudinis ſuæ primordia, valido adhuc hoſte, inteſtinis diſcordiis attriviſſet. Tribunus

Daventria atque oppoſitum Zutphaniæ munimentum a perfidis Anglis Hiſpano traduntur.

Proditorum infelix exitus.

Mauritio ſummum armorum mandatur imperium.

Milites Ordinum nomini ſacramentum dicunt.

Edictum de evectionibus temperatur.

Brabanti & Flandri extrema conflictantur penuria.

Incrementa contra ſumunt Batavi.

nus Hiſpanicarum partium Altipenna poſtea quam oppidum 1587.
Geldram, unde Geldriæ regioni nomen eſt, cum præfecto pactus in ſe traduxerat, apud Silvamducis ab Hohenloio cæſus, occupandum illi caſtellum reliquit non longe ab urbe, cui ex ea clade vocabulum Crepicordii factum eſt. At Cluſam, in ultima Flandrici maris ora, quæ Zelandiam ſpectat, a tergo inſulaque adjacente (Catzandia dicitur) circumventam Parmenſis incredibili machinarum violentia labefactabat. Quod ſimul comperit Liceſtrius, nihil tardato reditu, fruſtra de portu irrumpendo cogitationem inſtituit. Sed cum ad alteram verſus rationem, Oſtendam profectus, hoſtem propter caſtra poſuiſſet, incogniti exercitus numerum augente fama, conſtat utrumque alterius vires ſupra verum formidaſſe. Digreſſus tandem prior Liceſtrius jacturam oppidi apud cunctos graviter acceptam, non hoſtium virtuti, non partium ſtudiis ob ſuſpiciones male adhuc coaleſcentibus, imputavit; perſequi jam pene obductas diſſenſiones, & Ordines culpæ ſubdere, libido erat: cupienti ſibi hoſtem depellere, militem, pecuniam, & cætera maligne ſubminiſtrari ait; vix præſidiis ſufficere quæ tribuebantur, ne dum exercitu contra certaretur; aut ſi tanta eſſet paupertas, quid deſperatam Rempublicam infelici bello detinerent? Quippe tunc ſolitas poſt victoriam artes iterante Hiſpano, & ipſa Regina in pacem nutare videbatur: quanquam miſſa nuper ſub Dracone claſſis, vaſtatis Hiſpaniæ littoribus, oſtenderat quam infirmum domi, quod alibi adeo metueretur, imperium; & ſub Cavendiſio alia averſam Americæ oram & Moluccas cum lucro perſpexerat. Sed ingraveſcente ætate fœminam multa terrebant; Hiberni ſæpe rebellando, & per Belgica arma in juſtam militiam exerciti; & præter hoſtem Hiſpanum ſuſpecta Scotia, infeſta Gallia; nec pauci in Anglia motuum avidi. At Ordines, gnari quantum id rebus ſuis alias nocuiſſet, colloquii mentione, ut poterant, diſcuſſa, ſi ex fide adminiſtraretur ærarium, negabant annuum tricies florenorum (id præter Angliæ auxilia & maritimas proprie opes erat virium) quaſi magnam tenuitatem contemni debere, cum Arauſionenſis minori copia res magnas ſæpe geſſiſſet. Attentos & parvo uti noſſe: ubi pecuniæ negligenter habeantur, etiam cum nimium datur, non ſatis dari. Deinde repertis Liceſtrii ad amicos literis, quibus ipſi dedidiciſſe obſequium,

Cæſo apud Sylvamducis Altipenna Hohenloius Crepicordium occupat.

Liceſtrio nequicquam ſuſpectias ferente, Parmenſis Cluſam expugnat: Quod Ordinibus imputatur.

Eliſabetha in pacem propenſa.

Ærarii adminiſtratio Ordinibus cordi:

1587. ſequium, & iniquitate adverſus eminentes rerum ad ſe non pertinentium ſatagere accuſabantur, edicto oſtendunt, olim in ſe populi jus, nuper & principis tranſlatum: utrumque delata præfectura detinuiſſe: aliaque de conventu ſuo magnifica, & quibus ambitionis crimen purgarent.

Liceſtrii criminationibus reſpondent;

Spes Liceſtrii directius jam petebantur, quam ut intellectis tardisque artibus inſiſteret. Indignatus igitur plebis iram adverſus magiſtratus adhuc intra voces ſtare, feſtinata audacia urbes interius ſitas, & unde terror in cætera, factione & præſidiis opprimere parat, haud ſatis proviſo Valeſii exemplo, quem tentata vis pacto jam principatu extruſerat.

Hic urbes vi opprimere parat.

Sed ante periculum Lugduni detecta conjuratio incolarum, qui pravæ in alienam rempublicam curioſitatis pœnas capite luerunt: & quanquam errore nonnulli quam malitia peccaverant, ſalutaris ea ſævitia fuit, ac cœptantes tunc maxime motus compeſcuit.

Lugduni detecti ejus conjurati capite plectuntur:

Et ille infauſtæ jam affectationis manifeſtus in Angliam conceſſit: ibique eum Regina, poſtquam non omnino amicum ipſi Buchorſtium ad res Belgicas explorandas miſerat, quo minus cauſam in conſilio diceret poteſtate regia texit; attamen in Belgas imperium ejurare coegit.

Ipſe in Angliam abit,

Sed cum adhuc veteres partes literis ſuſtentaret, bello quoque per Angliam mox impoſitus, annum non integrum explevit: incertum, uxoris dolo, quæ impari poſt ejus mortem conjugio prius adulterium faſſa ſit, an fatali, aut ſumpta morte: quæ Reginæ luctum ac lachrymas, Batavis gaudium & ſalutem tulit, exemptis periculo, quo par nullum res iſtæ adierant.

Vbi imperium in Belgas ejurare coactus intra annum moritur.

Bonnam interea, Germanici imperii Ciſrhenanam urbem, a Bojoaro ad id tempus poſſeſſam, Scenkius clandeſtino introitu ceperat.

Scenkius interim Bonnam capit,

Cæterum quieta per Belgicam arma: nec Parmenſis, ut ſolebat, intentus diſcordes bello irrumpere; majores animo conatus, omnisque Britannia, glorioſum & minus difficile certamen, obverſabatur. Plerisque ducum, qui regi Hiſpaniæ bellaverant, ea inſula cumulus meriti, aut laboris præmium placuit, utque Galliæ & Germaniæ adſita per occaſionem armorum, ita transmarinum regnum bello complecti conſilium fuerat. Sed illis ſua cujusque fortuna, aut morte præpeditis, hac tempeſtate, velut juſtæ ultioni poſt initum fœdus palamque miſſa rebellibus auxilia, claſſis in proximam æſtatem per Hiſpaniam ſtruebatur. Ei tum præſidia Parmenſis apparabat, dignumque finem decem

Ad ſubjugandam Angliam claſſis in Hiſpania ſtruitur;

cem annorum victoriis, ut ſpes ferebant, vetera imperatorum nomina Britannica expeditione æquaturus. Sed imminentis periculi rumorem Hiſpanus ſopivit oſtentata pace: cui componendæ etiam Danus leges præſcribere aggreſſus eſt, miſſo ad Parmenſem Cajo Ranſovio, quem in hoſtili comitatu proficiſcentem, & inter pugnantes ignoratum, Batavus miles intercepit: ſed Rex violata legationis ſacra, maxime quia literæ recluſæ erant, interpretatus, adeo arripuit ultionem, ut ſeptingentis navibus, quæ frumento Cimbricum fretum pervehebantur, detentis, ſubito ingens periculum famis intulerit populis in diem viventibus, & nullo antehac exemplo talium ſecuris. Sed penuriæ ſubventum conſilio neceſſario, ut Gallicæ Anglicæque naves, mari eodem venientes, ad portus Batavos & mercatum pertraherentur. Ita vitatum diſcrimen ſola pecuniæ a Danis expreſſæ jactura: quod ipſum tamen, & quia rex miſſos ad ſe legatos audire dedignabatur, hæſit altius multorum animis, judicantium minora regna majorum opibus obnoxia teneri. Interim & cum Anglis actum Philippi nomine, quoniam Regina Belgicarum jam rerum arbitram ageret, diſcedi ab armis & metu poſſe, ſi gentes, quæ rebellaverant, veteri obſequio redderentur: quomodo Anglicanos ritus ſibi extra curam, ita per Belgicam ſacra Hiſpani juſſibus permitterentur: nec pernicioſum inſtituerent exemplum; religionis judicium penes alios, quam principes eſſe. Neque vero minori calliditate accipiebat Eliſabetha pacificationem, quam offerebatur, id maxime cupiens, ut per ſpeciem compoſitionis, quando de claſſe jam inaudiverat, periculi tempora extraheret. Sed, diſſimulato metu, pia concordiæ vota, & gentium commeatus prætexebat: miſſique talibus verbis ex Anglia qui Batavos juberent alto ſilentio pacis rationes invenire, & ne ſemet ipſi tanta invidia onerarent, quaſi perpetuas cædes & ſanguinem, crudeli obſtinatione, elegiſſent. At illi repetere infida Hiſpanorum blandimenta: quid enim Requeſenii colloquio captatum aliud, quam ut correptis munitionibus intimæ urbes obſiderentur? an non Agrippinenſi pacificatione ſpem veræ pacis corruptam, ſollicitatis ad defectionem tot gentibus? ita & Flandriam non niſi per ſermones ejuſmodi proditoribus patuiſſe: tandemque hoſtem, pollicendo fallaciter religionis uſum, eo virium veniſſe, ut jam abnuere auderet. Nunc

1587.

Quod oſtentata pace Hiſpanus diſſimulat.

Propter interceptum a Batavis Dani legatum 700 illorum naves detinentur.

Cum Anglis quoque de pace agit Philippus;

Cujus oblatio callide ab Eliſabetha accipitur;

Batavos pacis rationes invenire ſimulate jubet;

Eam iſti detrectant.

1587. tantis civium diſcordiis, ſi mentio pacis incideret, excuti manibus arma: aliis alios legibus, ut cuique commodum, deditionem præfeſtinaturos. Et ſi maxime res æquis conditionibus componeretur, non Gandavenſe fœdus, non Iohannis perfidiam excidiſſe: regibus, quos Romanus Pontifex jurisjurandi religione exſolveret, omnem cum ſubditis pactionem pro victoria eſſe: nec defuturos qui honores ſibi & opes cum patriæ ſervitio pararent. Sed hæc apud ſe quiſque palam: qui ſuadebat pacem quæ cogere poterat, velut dubitando tempus terebatur; aut quoties cunctantes Regina impulerat, illi obſecrare, ne Dei hominumque cauſam; & ſexaginta urbes paratamque gentem, ſi præſentia non ſufficerent, privatis opibus publicas augere, projiceret prædam perfidiæ Hiſpanorum. Conſenſerant civitates (nam ad ſingulas relata erat conſultatio) non eſſe mittendos ad hoſtem legatos. Sola Regina, adulta jam hyeme in Flandriam miſit, alienam ſi poſſet pacem factura. Dum de conventus loco deque mandatis quæritur, & Angli inducias rogant, Parmenſis negat, tres menſes abiere. Eliſabetha Belgis veniam priſcasque leges & civium imperia, ſibi antiqua fœdera, ſumptus ſalvos, & quæ firmandæ ſecuritati, ablegato utrinque milite, poſtulabat: cæterum de ſacris, ritibusque per Belgicam tam remiſſe, ut nonnihil ceſſura videretur; & jam eo deſcenderat, ut ferri ea in biennium tantum poſtularet: oppida vero, quæ Angli ex pacto aut occaſione tenebant, reddere non abnuebat, dum impenſas ſervaret. Hiſpani, dum de religione pernegant, reſque Belgicas Philippi clementiæ permitti jubent, Anglorum impendiis ſua per Anglos aucta objiciunt, alia vero prolatant, jam manifeſti erant colloquium voluiſſe, pacem nolle; donec argumenta in dies clariora hoſtilis conatus erupere, ac tandem in conſpectu formidata diu claſſis ſpem & fraudes diremit. At non cum Liceſtrio diſſidia & nomina partium Batavis exceſſerant: quin paſſim hoc obtentu a præſidiariis urbium caſtellorumque in turbas & raptus ibatur; maxime, quibus ſtipendia ob pravam ærarii adminiſtrationem inſoluta, pacis metu properabant militiæ commoda rapere. Placuit & hic quibusdam color, ut partem ſtipendii tertiam, quæ moribus Belgarum penes ærarium manet, melioribus olim rebus exſolvenda, repræſentari juberent. Quod cum obtineri non poſſet, quia & multorum annorum reli-

Pacis deſiderium præ ſeſe ferens in Flandriam mittit.

1588.

Hiſpanica adventans claſſis fraudes dirimit. Propter inſoluta ſtipendia militum apud Fœderatos turba.

reliqua, & a multis flagitabantur, quem vellent licentiæ modum ſibi quiſque ſtatuebant: defenſi interim a nonnullis quos Regina allegaverat, quaſi Anglorum nomini hæc flagitia gratificarentur. Habitus Gertrudisbergæ miles, accepta ingenti pecuniæ ſumma velut ſedatus; in quam deinde licentiam & perfidiam proruperit, in tempore expediam. Sonoium in urbe Medemelaca, quæ in Friſii ſinus occidentali eſt littore, ubi rebellante in ipſum ſuo milite negati rectoribus obſequii pœnas luebat, Mauritius obſeſſum ſuis & Ordinum imperiis ſubegit. Fliſſingani præſidii moderatorem Ruſſelium, ſperata præfectura Zelandici militis, tractiſque in partes Vera & Arnemuda, oppidis Walachriæ inſulæ, imperium affectantem, tandem Reginæ juſſus, edoctæ meliora, cohibuerunt, & ſero nuntiata Liceſtrii abdicatio. Alibi ſeditiones minore periculo, ſed magna pecuniæ jactura ſanabantur. Hæc in ſequentem annum exeuntia, quia cohærent, annexui. Sed priusquam turbidis digreſſus juſtiori operi me componam, haud injucundum fore legentibus arbitror, maxime ſi quæ nobis ſuper domeſticis rebus laborata in aliarum gentium notitiam pervenient, breviter inſpicere, quale id certamen fuerit, cum littore exiguo incluſæ nationes, multiſque cladibus perculſæ contra tantam ſe magnitudinem rurſus erexere. Igitur qui medio tempore fines, quis Reipublicæ ſtatus, quæ virium copia, qui habitus animorum, inter partes utraſque comparabo. Poſt firmatam Gandavenſi fœdere libertatem, Namurcum, Lucemburgumque ac Limburgum Iohannes Auſtriacus, Atrebates & Hænovios propris pactionibus Parmenſis, Flandriam fraude proditorum, Brabantios & Machliniam fame ſubegerat: niſi quod e Flandriæ oppidis, Oſtenda, Brabantiæ, Bergæ ad Zomam, dictumque ab Arauſionenſi Wilhelmoſtadium, ſimul caſtella aliquot, cuncta in maris aut amnium margine reſederant. Friſia ac Tranſiſalana penes Fœderatos: ſed illi Groninga aberat: hæc amiſſis Stenovico, Daventria, totque aliis munimentis cum hoſte diviſa: & ne Geldriæ quidem præter Arnhemum multa oppida reſtabant, Geldram, Noviomagum, Zutphaniam principes urbes, & minora præſidio tenente Hiſpano. Hollandiam & Zelandiam integras Mauritius regebat: poſt cætera ejus præfecturæ, extra Friſios, acceſſere & maritimum una imperium, quæque hoſtili in ſolo Fœderatos penes manebant; magna exem-

1583.

Brevis inſpectio quo pacto tot cladibus perculſi Batavi ſe rurſus contra magnitudinem Hiſpanicam erexere.

Belgica Hiſpanienſis & Fœderata limites.

1588. exempla proprios urbibus præfectos, niſi in ultimis finibus ſuſtulerant. Nec de vicinis omiſerim trans Amaſium comitem Friſiæ Orientalis, quæ Emdana regio vulgo dicitur; ad Moſam, Rhenumque Agrippinenſium & Leodici præſulem Bojoarum, Philippo propinquum, qui totam Belgicam fere ambiens, nominibus ſacerdotiorum diverſis latiſſimas ditiones poſſidebat; aulamque Cliviæ & Iuliaci principis, quanquam bello abſtinebant, ad Hiſpanos tamen vergere, majori inde formidine, & Burgundicorum fœderum obtentu: tum ſi quas urbes Batavis ſimilitudo religionis conciliabat, his imminere hoſtem, & ſuos non minus implacabiles. At Cameracum, quam poſt affinium civitatum defectionem præſidio ſuo infeſſam, Valeſius ſupremis tabulis regno Galliæ commendaverat, Baligniacus, a Regum matre Catharina impoſitus, poſt utriuſque mortem detinuit; ac Lotharingicæ mox factioni ſe quoque immiſcens, dum gaudet Parmenſis dilatione belli agrorum raptus redimere, nec regi Henrico, ſuis ex urbibus profugo, circa extrema otium eſt, invaſit haud diuturnam dominationem. Ea limitum ſpecies: nunc interna videamus. Fœderati, ex quo Arauſionenſis diu regio, dein ſuo nomine ſummam rerum complexa, mox & Liceſtrii ad principatum utraque accedens poteſtas ceſſaverat, edocti uſu, vim imperii in plures ſparſere; quod ut libertati tutius, ita, ſi paulum remittat hoſtis, concordiæ periculoſum. At præfecturæ, quantum de vi detractum erat, tantum benevolentiæ accreverat: quippe & venia & honores inde, onera atque indictiones aliunde accipiebantur; atque ea præterea vulgi natura eſt, ut caſuum adverſa his imputet vulgus, apud quos plurimum e republica eſt, victorias uni debeat. Vetere inſtituto agros vicoſque nobilium primores, ut cuique hæreditaria ditio eſt, oppida civium delecti regunt: quia plebi negotioſæ non concio, non comitia placuere: illi quadraginta aut pauciores numero (Sapientibus nomen eſt) convocati de republica deliberant: & ſi quem mors aut exſilium demit, adoptant ſibi alios, divitiis & prudentia inſignes, adeoque ejus ordinis decreta pro civitatis totius conſenſu valent, ut vix unquam plebs obſequium defugerit, quin & armis ſæpe tutata ſit regentium auctoritatem. Iidem nominant quotannis complures, ex queis præfectus (id olim principis munus) ſeligat quietis publicæ defenſores,

Fœderatarum provinciarum regimen.

res, quos populi Magiſtros vocant, ſummum quatuor: & alios ſeptem admodum, qui privata ac criminum judicia exerceant Scabinorum appellatione. Hæ functiones nullo aut exiguo præmio, ut debitum patriæ præſtantur. Atque horum omnium poteſtate, & conſilio adſeſſorum, qui jus civile didicerunt, res oppidanæ adminiſtrantur, conceſſo jure, etiam leges & modica vectigalia intra ſuum ſtatuendi. Hinc velut in faſtigium coeunte imperio, qui ſinguli partibus, univerſæ nationi conjunctim præſident. Nam ter, quaterve anno, aut quoties digna incidunt, concilium advocatur, cui Ordinum nomen, ex utraque populi parte. Sed nobilitas, quia diverſis e ſedibus haud facile coeat, curam ſui in paucos contulit, qui genere & poſſeſſionibus præſtantes in commune conſulerent. Iis primum loco, ſed unum omnibus ſuffragium eſt. Vbi ergo cujuſque oppidi conſilium de rebus propoſitis domi deliberavit, mittuntur ad conventum magiſtratus & adſeſſores, qui illi viſa enuntient, permiſſis, quæ repentina obveniunt, ipſorum prudentiæ & fidei. Hoc igitur in cœtu cum alia tractantur omnia, quæ principum fuere, tum tributa quotannis edici neceſſe eſt, quibus belli onera in ſingulas gentes diſpenſata pro viribus ſuſtinentur. Sed quoniam conventus hic rurſum diſſolvitur, delegant nobilitas & qui primariis urbibus præſunt homines ex ſe idoneos, ut apud imperii ſedem rerum quotidianarum diſpoſita Ordinibus placita exſequantur: ſimul mederi ſubitis, & perſcripto, ſi quid curam majorem flagitat, conventum indicere permiſſum: is honor ad tempus fere ſumitur. Sed perpetua eſt dignitas Hollandiæ Advocati. Is principum temporibus vox erat publicæ libertatis, utque tunc periculis, ita mutata republica auctoritate præcipuus, in conventu Ordinum & delegatorum conſeſſu exquirit ſententias, præit ſuadendo, componit diſſidentes. Hoc munus a Paulo Buſio, ab initiis belli, cum laude adminiſtratum, excepit mox Iohannes Oldenbarneveldius, auxitque virtutibus propriis, quarum inſigne documentum dedit adverſus Liceſtrii minas arteſque, ut fidus conſilii, ita animi invictus. Hæc fere Hollandiæ regendæ eſt facies: unde mos aliarum nationum haud longe diſcrepat. Habent & quæque rei fiſcalis curatores, & judices legum peritos, ad quos ab oppidanis tribunalibus provocatio eſt, qui omnes perpetuas obtinent dignitates, 1588.

legen-

1588. legente præfecto eorum ex numero, quos ipſi Ordines nominavere. Iam vero communia fœderis & quæ bello neceſſaria, Senatus providet: in quem qui veniunt, jurant nullo eorum, ex quibus mittuntur, reſpectu (mittunt enim ſingulæ nationes, ſed tres Hollandi, binos Zelandi, item Friſii, ſingulos cæteræ,) quod univerſæ rei optimum ſe conſulturos: acciuntur huc, ubi gravis deliberatio eſt, præfecti nationum. Sed quia res majores antiquitus niſi gentium ſingularum conſenſu non expediebantur, mole negotiorum & periculo cunctationis repertum eſt, legatos mittere cum liberis mandatis, qui ſupremæ curæ imminerent, &, ubi quid gravius obveniret moraque dignum, ſuæ quiſque patriæ Ordines conſulerent. Nationibus, quæ modo e primariis urbibus aliquam apud fœdera habent, jus æquum ſuffragii; vicibus præſident. Hæ tum erant, Geldria, Hollandia, Zelandia, Trajectina, Friſia intra Flevum & Lavicam, & Transiſalana. Hæc legatio ſenſim in perpetui conſeſſus ſpeciem tranſiit, Ordines fœderatos referens, eoque nomine utitur. Et huc, & in Senatum miſſis, præfinito tempore poteſtas incluſa, non niſi voluntate mandantium prorogatur. Similiter inferiores alii maritimas in urbes delegantur, qui res navales judiciis & conſiliis defendant. Talis in ſumma Reipublicæ habetur ſtatus: neque enim congruens ſit exigua perſequi: unde clarum, nec paucas intra familias concluſum, nec rurſus ita populare imperium, ut apud multitudinem ſit. Sed nobilibus ſuam auctoritatem, poteſtatis plurimum penes cives præcipuos clariorum oppidorum relinqui: hinc velut per gradus deſignari qui nationibus ſingulis, quique cunctis imperitent; non ut in vulgi potentia, promiſcua & fortuita dignatione, ſed nomina majorum, partas opes, ingenii decora ſpectando: nec peſſime proviſum libertati, dum præcipua rerum inter plurimos tractantur, ſemperque in alios tranſeunt maximæ poteſtates, ut multi citra ſpem continuandæ licentiæ juſtis regendi artibus aſſueſcant. Sane olim video, & cum in Romanos bellatum eſt, Galliæ, Germaniæ, Britanniæque populis placuiſſe per gentis proceres & civitatum legationes res maximas diſceptari, ac manere ejus moris reliquias ab ultima libertate, etiam ubi nunc regna ſunt. Quod ſi vetera repetimus per Græciam, Amphictyones haud diſcrepant, quorum conſenſus Medorum potentiæ reſtitit; aut

Achaia,

Achaia, cujus res alioqui exiguæ ſola concordia valuere. 1588.
Cæterum ſua cuique urbs regioni caput. Commune nunc imperii domicilium apud Hollandos, qui ut opibus longe ante ſocios, ita auctoritate non parum pollent. Haga eſt vicus, eademque Mauritii ſedes, nemore & vicino littore imprimis amœna. Haud multo diverſus regia in parte reipublicæ ſtatus, niſi quod ejus Belgicæ Ordines, extra tributorum cauſam, vix convocantur. Privatis cujuſque nationis rebus delecti pauci ſuperſunt: regimen omne cum præfecto Senatus obtinet, & qui adſunt Senatui conſeſſus fiſcalis & juridicus. Adſcriptis ſemel is honor manet. Fœderatorum reditus ante qui fuerint, memoravimus; mox liberalius, amoto omni terrore dominatus, pro Republica quaſi ſua tribuere cœperunt, & poſtquam auctis commerciis per Brabantiæ excidium cum opibus animi crevere, aderantque ſucceſſus, majora audendo ſumptus & onera duplicabantur. Agri, ædes, annona, veſtis, capita, nihil immune, nec ſubeundo fœnori temperatum: certiſſimum vectigal, apertum mare, nec, ut alia, bello obnoxium: quanquam mercaturæ præ cæteris parcebatur regentium ſtudiis; tum ne maximum atque inſtabile commodum alio pelleretur. At Belgicæ Hiſpanienſis opes, quanquam tributis difficulter certantibus, regiæ pecuniæ acceſſione immenſo anteibant, niſi multitudine tractantium, & largiendi facilitate, dum partim ſinguli retentant ut ſuas, partim profundunt ut alienas, ante veros uſus interceptæ perirent. Miles Batavis conductus, civis, ſocius; peregrinus, præter Anglicana auxilia, ad decies & octies mille pedites ſub hæc tempora non excreſcebat, modico cum equite: pars major detenta præſidiis: & hoſtium multitudini impares, antequam illorum vires Gallia diſtraheret. Sed Liceſtrii incuria, & tot ſeditiones docuerant parvis potius ſe copiis tueri, quam ſupra ærarii vires militis nomine hoſtem conſcribere. Diſciplinæ indies acrior ratio, ne cives & vicinæ gentes, quique agri ipſos inter & hoſtem ſiti raptus tributo redimunt, per injurias vexarentur: & cum hybernatum ducitur miles, nulla privatim impendia; quicquid præſtitum eſt, Reſpublica perſolvit: ea æqualitate effecta eſt res mira, ut ultro expeterentur armati hoſpites. Peditatus omnis in cohortes diſtributus (ita enim vocabimus) conſtat decem vexillis, raro pluribus. Vexilla centum homines continent: ſunt & majora:

Idem ſere Belgicæ Hiſpanienſis ſtatus.

Fœderatorum reditus.

Belgicæ Hiſpanienſis opes longe antecunt.

Miles Batavus 18000 pedites cum modico equite.

1588. jora : ſed, in univerſum ſi inſpicias, per mortes & fugas & ducum furta ad hunc ferme numerum devenitur : Totidem equites habent turmæ, quarum tres, velut ala, communi imperio reguntur. Quo paratius expedirentur ſtipendia, certas cohortes turmaſque nationes ſingulæ in ſe receperunt, quibus æra de ſuo numerant. Cœptum & hoc uſurpari, ut tribunos ordinumque ductores ipſi deſignarent; minora belli munera mandant ductores ipſi; majora, qui ſummæ reipublicæ præſunt, ex virtute, aut gratia. Hoſtium copiæ plus quam altero ſuperabant, quibus ſuſpecta cuncta lateque diffuſos fines coercerent. Æquale utrinque gregario ſtipendium : ſed penes Hiſpanum majora extra ordinem præmia, & ingens duplarium turba; nec eo minus oppidis agriſque per caſtra aut præſidia graves, bis ærario nocebant. Regimen quoque armorum æmulatu diſſidebat. Contra Mauritius, ex quo primum belli curæ admotus eſt, nihil eorum prætermiſit, quæ vetus ætas, aut recentior uſus invenerant : impiger ſuas accelerare, & res hoſtium attendere : etiam ſupremo imperio inferiora non extra ſuam ſollicitudinem pati. Ergo, admirandum, militiæ doctor, cujus doctorem non viderat, firmare cuncta belli meditamentis, ut intentæ eſſent vigiliæ, munitæ urbes; caſtra docte metari, oppugnandi machinationes in promptu habere : tum milites, ignari operum ac præliorum, equos regere, ſervare ordines, ferre cibum, ferre aggerem jubentur, non in hujus ſæculi morem. Ea diu ludibrio, ob eorum inſcitiam, qui, quæ ignorant, diſcere erubeſcunt; poſt eventus aliquot miraculo fuere : quippe ubi multis cladibus fugaces auſi iterum conſiſtere, & oppida velut impetu rapta : plane ut jam omnes faterentur, quemadmodum affectandis populorum ſtudiis, ac fundandæ reipublicæ, neminem patre priorem, ita ad tuendas res augendaſque cœleſti munere filium obtigiſſe. At, quantum belli ratio ab uſu priori diſceſſerit, in ipſo ſequentis operis contextu intelligetur. Navium haud contemnenda vis ad maritimas hoſtium urbes, aut omnium commeatus excubat : partim piſcationi mercatoribusque præſidio eunt, aut, ad proturbandos prædones, Oceanum pervagantur. Non dubie hoſtis hac parte inferior, cui portus haud multi, nec ſane utiles, & naves paucæ, quæ pro urbibus ſpeculantur. Nobilitas utrinque ſegni otio aut tranquillis honoribus immine-

minebat; frigore in partes, ob invidiam, hic plebis, illic 1588.
Hiſpanorum : an & inveterata inertia, quia callidi quondam principes militarium officiorum gratiam illis fecerant, tranſlata in poſſeſſiones functione : pauci, amore laudis, aut per familiares anguſtias, arma & dignas genere ſuo curas capeſcebant. E vulgo memores pejorum, & juniores, quia pacem non viderant, contenti qualicumque rerum ſtatu, bellum niſi per rumores & tributa non ſentiebant : & multi, quibus religio ſine affectu publice recepta, non ob aliud, ſequebantur. At Romanis cæremoniis innutritos, poſt tot coitionum exempla, leges Batavorum, mulctæ non admodum gravis ſanctione, privatis quoque ſacris prohibebant. Iidem præcipuis honoribus uſu tacito arcebantur. Reliquias ſacerdotum utriuſque ſexus, quia publicatæ poſſeſſiones plerisque in locis erant, dum tranquilli degerent, alimentis Ordines ſolabantur. Aliarum ſectarum conventus placebat diſſimulando transmittere. Miniſtri publicæ religionis nulla in parte conſiliorum : ne eccleſiaſtici quidem cœtus citra inſpectionem magiſtratuum. Omnino, ſi proximi motus conſediſſent, haud facile novi timebantur. Parte quoque alia Belgarum, longa peritia turbarum cauſis occurrerat. Species legum quæ ante bellum : nec gravis cuiquam Parmenſis modeſtia : & aliquot civitates præſidiis, cunctæ vi regentium tenebantur : ac quanquam epiſcopi datas ſub Parmenſis matre, & Albano, ſedes occupabant, & Ieſuitarum in gratiam pleraque inclinaverant, inquiſitionibus & ſuppliciis temperabatur, belli & hoſtium reſpectu; tum quia diſſentientes pars magna profugerant, reliqui metu quam pœnis didicerant parere. Vtriſque in partibus annonæ caritatem, & cæterorum, quibus vita indiget, intenta magnis oneribus pretia agrorum fructus parum commode, negotiatio, & operarum pariter adauctæ mercedes facilius ſuſtinebant. Florebat Batavis mercatura, inferiorum artium nutrix : unumque Amſtelodamum veterum & hujus ſæculi maximis emporiis æquabatur. Per bellum interea pacis ut bona manebant, ita mala non emoriebantur; armorum uſu adeo non efferatis ingeniis, ut in contrarium vergerent : nam cultus victuſque nimia & ſupervacua externorum contactu, qui non inops illic exſilium tolerabant, nullis legum habenis, ſecuti ditiores, mox neutiquam pares pudore paupertatis in eadem traxerant. Itaque tum primum priſca

1588. Batavorum fortiſque ſimplicitas & caſtæ munditiæ in luxum vertebant, ærario quidem vectigalem, at moribus pernicioſum: quippe quo avaritia, malum vetus, in audaciam impellitur, nec ſinit meminiſſe victas eſſe gentes, quæ eum vivendi modum tradiderunt. Sed pro virtute erant hoſtium vitia, quorum intolerabilior luxus ne inopia quidem mutabatur.

ANNALIVM FINIS.

HUGONIS GROTII HISTORIARUM DE REBUS BELGICIS

LIBER PRIMUS.

SUMMARIUM.

Feſtinata ab Hiſpanis in Anglos claſſis nimia ſibi promittit. Anglia a Sixto V. occupanti exponitur. Claſſis Hiſpanica deſcriptio. Parmenſis expeditionis dux eam in Flandria exſpectat. Nimia Anglorum ac Batavorum ſecuritas. Flandriæ portus navibus obſident Batavi. Elizabetha Tameſis ripas milite munit. Seimorum minoribus, Houwardum & Draconem majoribus navibus præficit; rumoribus decipitur. Hiſpanorum peccatum. Parmenſis Dunkercæ incluſus tenetur. Infelicis Hiſpanicæ expeditionis eventus cauſa. Ejus relatio. Gratiarum actiones Deo propter victoriam apud Anglos & Batavos decretæ. Parmenſis Bergas ad Zomam nullo ſucceſſu obſidens obſidionem ſolvit. Bergæ Mauritio ab Ordinibus donantur. Bonna a Cimacenſe, fruſtra auxilia moliente Scenkio, capitur, ut & VVachtendonca. In Scotia Batavorum naves pignerantur. Gertrudisberga a ſeditioſo præſidio Parmenſi traditur. Heuſdam, Bommeliam, Vorenam irrito conatu adoritur Mansfeldius. Hiſpanorum in Parmenſem odium: hic morbum ſibi conſciſcens ſe apud Regem purgat. Mansfeldius Bercam obſidet; illi copias infert Scenkius, qui deinde a Noviomagi expugnatione depulſus Vahali ſubmergitur. Miſſum ad liberandam Bercam Falcoſtenium conſequens Varembonius a Verio caditur. Berca, quamvis auxiliis firmata, tandem Parmenſi deditur: qui poſtea aliis quoque urbibus ſtruit inſidias. Inter Hiſpanos & Fœderatos mari crudeliſſimi congreſſus. Angli Hiſpanis bellum repoſituri irrito eventu Antonium in Luſitaniam reducunt. Gallia interfecto Henrico tertio in partes venit. Ne Benearni princeps regno potiatur Meduanium auxiliis firmat Philippus. Angli Fœderatique Borbonio mittunt auxilia. Gallicorum motuum cum Belgicis comparatio.

CLarior rerum ordo aperitur, ex quo princeps Mauritius, armorum regimen adeptus, in ſe fata vertit. Reipublicæ vultus, ſacra contraria, belli acris ratio, ſpes nulla pacis, ut fuerant, manſere. Tum varia magis caſuum, quam intricata ſeries. Petita Anglia Hiſpanorum armis, petita & Gallia, non irrito tantum conatu, ſed & luctuoſo. Tot bellis impar, quamvis ingens, ærarium: hinc cuncta inopiæ mala. Laxatæ inte-

rim Batavis vires animique : adjuncta regnorum ſocietas , partim iterum diremta. Illic mutati ſæpe præfecti : tandem & dominus : male tuta confidentia , inſidiæ degeneres. Vnius hic ducis ingenio vitatum diſcrimen ; provecta arma : ſimul maritimæ opes vi in hoſtem , in cæteros fide , immenſum adoleverunt ; plane ut credi jam poſſet , æquas partes , & ambiguum facturas Martem,conſtitiſſe. Nam rebus diu exiguis ſpes humanas hoc tempus addidit , & ſero a miraculis diſceſſum. Quæ ſpectata , aut certo auditu comperta, hiſtoriarum in morem vulgaturus ſum. Nec ignoro quam ſit inviſum ferventibus iſta odiis ingerere , ubi adverſariis ſuſpectus aſſentandi , veri pervicacia tuos etiam offendas. Sed judicium fidei , præmiumque penes poſteritatem erit. Et ſi quem Deus finem tam gravi bello deſtinat , erunt forte qui depromta hinc argumenta majori ſecuritate & eloquentia celebrabunt. Fruantur interim , ſi qui, noſtris procul turbis remoti , noſcendis aliorum malis ſuam quietem impendunt : ſumantque belli documenta, quibus exoſi civiles diſcordias , barbarum in hoſtem felicius utantur. Sed res quidem geſtas memorare , arduum ſemper : quia abſentem fugiunt , præſentem trahunt ; utque illud legenti , ita hoc ſcriptori periculoſius eſt. Neque vero parum exactæ notitiæ ſequens ætas deterit per oblivionem , aut victoris potentiam. Quod ſi omnino coram iſta tradi neceſſe eſt, profuerit ſane ea in parte vixiſſe , quam merito pudeat ſi non præſtet ſcriptori promiſſam omnibus libertatem. Accedit, quod plerique eventus hac ceciderunt : & majorem uſum habet initia admirari reipublicæ creſcentis.

1588. ANnus agebatur Chriſtiano nomini poſt mille quingentos octuageſimus & octavus , quem ultimum rebus humanis Mathematici edixerant : ſeu vana ars eſt , & intra noſtram credulitatem , futura invadere: ſive error iſte non recte fatorum magnitudinem interpretantium ; ac pars cœleſtium minarum fuerit, claſſis ingens , quæ pari ſpe atque ira Hiſpanis , dum pax cum Turca & Gallia , in ſemet armata feſtinabatur. Neque enim ſatis , quod tot regnorum novique Orbis victores tam diu exiguam gentem mutuis cladibus ad imperium revocarent, ni probro fœmina accederet. Sed Batavos Britannorum , Britannos maris fiducia bellare : quaſi Saxonum adeo & Danorum & Normannorum nomina ignota ſint , aut non poſſideat inſulam quiſquis intraverit. Nam

Claſſis ab Hiſpanis in Anglos feſtinatur.

Fallaci ſpe elati nimia ſibi promittunt.

& reges,

& reges, dum inteſtina metuunt, dejectis munitionibus, externis aperuiſſe Angliam: tum vero corpora imbecilla, animos gentis longa pace luxuque infractos, ſine ducibus, ſine equite, quid ad Hiſpanorum robur, & illos tot annis Parmenſi duce victores? ita in eos qui defecerant ultionem, in cætera gradum dari. Iam, qui mos eſt humanæ aviditatis, ſpem in ulteriora promittendi, Scotiam, Daniamque, devota regna, ſibi deſtinabant. Uſuros deinde ſe Anglorum viribus atque odiis in Galliam tunc cum maxime ſuo ſanguine undantem. Cætera mox Europæ in tot diſtracta principes, nec unquam bona fide coitura, præcluſo mari, quid aliud quam prædam fore? Iudicii modeſtioris haud tanta ſibi promittere, ſed adverſus maritimas gentes tentare pelagi fortunam, magnum atque incertum circumferre terrorem, includere ad tempus latebris ſuis prædonem, auferre commercia, tanti exiſtimabant. Et Romanus pontifex (erat is Sixtus nomine) per Hiſpanum ſuis quoque legibus acquirere Angliam nitebatur, quam iſti ſacerdotio tributariam regum quondam ſimplicitas effecerat. Veterum igitur Pontificum exempla æmulatus, qui per diſcordias principum, in regna primum, deinde in reges jus uſurpaverant, Angliam expoſuit occupanti, velut quam nullo jure oppreſſam Eliſabetha per illuſtrium cædes, & populi metum detineret, ſuper religionis crimen natalium quoque vitio, quaſi adulterio genita, quod fruſtra conjugii nomine velaretur. Hæc enim pluraque alia edicto objectabat, ſimul juvandam ad expeditionem cunctos homines invitans, ſoluta & jurisjurandi religione, qua Angli Reginæ tenerentur, ut ipſam maxime vivam, ſin minus poſſent, necatam traderent. Præmium addidit ſceleri ſcelerum impunitatem, etiam apud Deum: atque alia id genus ludibria, quæ rudibus ſeculis haud invalida nunc tantum in ſpeciem dantur, in ſpeciem accipiuntur. Conſtat ita creditum, complures in Anglia principes viros præſentem rerum ſtatum gravate ferre, quorum ſtudia in res Hiſpanicas per vaniloquentiam prædicabat Bernardinus Mendoſa, qui legati nomine ſpeculator ea in aula egerat per annos aliquot. Sed verum erat, utcunque religionibus diffidebant, vix quenquam adeo imprudentem eſſe, qui externæ victoriæ confideret. Cunctas per Hiſpaniæ oras, & quicquid Italiæ ſubactum eſt, armantur militum ferme viginti millia, naves centum & quadraginta, pars maxima incredibili mole, quæ quidem ipſa exitio fuit.

1588.

Sixtus V. Angliam exponit occupanti.

Anglos ad necandam Eliſabetham hortatur.

Claſſis Hiſpanica deſcriptio.

1588. fuit. Has inter, complures (Galeones & Galeaſſas vocant) turribus atque tabulatis levatæ in caſtellorum & urbium ſpeciem trecenis remigibus citabantur, tectæ adverſum tela, munitoque utero, quo facilius fluctus tolerarent. Coemti nautæ cunctis e gentibus, commeatus ſemeſtres, pecuniæ ingens copia, tum ſolita terreſtri bello, & tormenta vicies quinquies centena. Omniſque hic multorum annorum apparatus libris in vulgus ferebatur, terrori & oſtentui, ut ſatis appareret Hiſpanicæ opulentiæ illam eſſe profeſſionem. Indici per fecialem bellum, quanquam erant qui ſuaderent, non placuit aliis, ſatis in Pontificis ſententia juris ponentibus. Nec probatum Marchionis Sanctæcrucii & Parmenſis ſalubre conſilium, ut prima cura eſſet aliquem invadendi portum e Batavicis, quando Flandrici receptum claſſi adverſus maris & belli incerta præbere non poterant. Plurimis, ni ſtatim ad Tameſin exponeretur exercitus ad Londinum oppugnandum, mora quæri victoriæ videbatur. Curam navium Alphonſus Pereſius Guſman dux Mediniſidonius obtinebat, generis fulgore quam re ulla alia id honoris promeritus; & ſub illo Hiſpanorum nobiliſſimi, multique ſplendido genere extra numeros ſuo ære militabant; tanta prædæ non modo cupiditate, verum etiam fiducia. Conſtans fama eſt, honores, fundos, tabernas, cuncta belli præmia ante diviſa. Laquei certe & plura necis inſtrumenta, aut ſervitutis, inter ſpolia viſitata ſunt, quæ in victos, ut non dubio eventu, paraverant. Vere adulto Vlyſſipponem convenere, unde in Gallæciæ portum abreptis tres naves deſideratæ ſunt, quas ſæva tempeſtas, partimque remiges occupata libertate, Galliæ littoribus objecerant. Parmenſis interea, quem ſumma expeditionis ſpectabat, cum equite & cohortibus, ſupra triginta hominum millia, incubabat Flandriæ, ductis foſſis, per quas copiæ omnes maritimis oppidis acciperentur. Præſidiarias eo naves conduxerat octo & viginti; planis carinis, ut ſine noxa littori adhæreſcerent, fere quadringentas; quarum pars emta, pars ſine ulla intermiſſione dierum noctiumque fabricata: pontesque tranſponendis equis & militi, continuo ut Hiſpanica claſſis mare intraſſet. At per Angliam & Batavos nequaquam pro ingruentis belli diſcrimine apparatus erant, dum vento repelli creditur, aut tanta navium moles nunquam ventura in maris ſui anguſtias. Denique remeantibus India navibus præſidium duci plerique affir-

Sanctæcrucii & Parmenſis ſalubre Hiſpanis conſilium non auditur.

Claſſis præfectus dux Mediniſidonius.

Vlyſſippone adulto vere claſſis convenit.

Parmenſis expeditionis dux 30000 hominum Flandriæ incubat.

Anglorum & Batavorum nimia ſecuritas.

affirmabant, quanquam rex Gallorum vim claſſis & conſilium explorata denuntiabat. Ita rumoribus & conjecturis ſibi blandiebantur, haud intellecta periculi magnitudine, niſi poſtquam vitaverant. Recenſuere tamen Batavi quantum ſibi navium nautarumque in armis, aut penes privatos foret: dein claſſe modica Flandriæ portus obſederunt, ut Parmenſi exitum præcluderent, de cætero pene ſecuri. Vix ſero Regina, quæ pacis colloquio hactenus demulcebatur, omnes novandi ob religionem ſuſpectos inſulis aut locis paluſtribus claudit. Tameſis utramque ripam, qua exſcenſurum hoſtem credebat, complet equitatu, & tumultuariis cohortibus: luſtratque coram & alloquitur ſpecioſam multitudinem, ſed veteri Parmenſis militi, ſi accederet, armorum uſu haud quaquam parem. Nec interim deerant, qui Tomyrim ipſi & Amazonum reginas, eademque in inſula Voadicam, cuncta fœminarum decora, aut fabulas, compararent. Claſſem, in quam & privatorum naves aſſumſerat, ita diſtribuit, ut minoribus ipſo in freto & Tameſis propter oſtia Seimorus præeſſet; majores centum numero naves, quæ pleræque ad petendos commeatus Hiſpanico mari remeabant, Plimuthæ in ſtatione haberentur; inde, cum opus, hoſti occurrerent: in quas ſummum imperium Carolo Howardo datur, proxima Franciſco Draconi poteſtas. Illuſtris hic maritimis victoriis, quas toto Orbe circumtulerat, & digniſſimus cujus manus iſto in periculo patria reſpiceret. Non procul Anglia erat hoſtium claſſis, cum Regina, quam in hoc diditi ex Hiſpania rumores deceperant, Howardum per litteras admonet, compertum ſibi non venturam, aut multum in temporis detineri, quare ſuarum navium præcipuas exarmari jubet. Vix obtemperatum erat, & ecce illa in conſpectu, multusque labor Howardo revocare militem licentius vagantem, quod exauctorari ſe crederet. Peccatum haud minus ab Hiſpano, quod non protinus irruit, cum poſſet imparatos offendere: nec dubie periclitatura fuerit Anglia. Sed captivi duces, exprobrata hac vecordia, auditi ſunt excuſare deſtricta mandata, & præſcriptiones, ut plurimum, occaſionibus inimicas. Noluiſſe enim Philippum dari in caſum claſſem, antequam Parmenſis Oceanum ingreſſus terrorem duplicaſſet. At illum Dunkercæ incluſum Seimorus & Batavorum naves tenebant: nec ipſe perrumpere auſus minoribus navigiis, aut Hiſpanorum claſſis, etſi maxime clades ſecutas effu-

1588.

Flandriæ portus Batavi claſſe obſident.

Eliſabetha Tameſis ripas milite complet.

Seimorus minorum navium præfectus: majorum Howardus & Draco.

Regina rumoribus decipitur.

Hiſpanorum peccatum; Ejus excuſatio.

Parmenſis Dunkercæ incluſus tenetur.

1588. giſſet, tam prope littus, vadis prætextum, accedere potuit, ut leviora multo hoſtium navigia detruderet. Præcipuum id in res momentum fuit: quod adeo nemo erat ſuſpicatus, tanquam fatali omnium cœcitate, ut multa claſſi neceſſaria Hiſpani conferre neglexerint, velut a Parmenſi accepturi. Quin & Parmenſis naves magna ex parte nautarum inanes erant: cauſa rei, præter notam præfectorum avaritiam, quod apud Belgarum civitates, ejus imperii, nauta infrequens; ne Balticæ quidem civitates ſuppeditare poterant quod numerum expleret, & quos invitos Hiſpani in naves compulerant fuga dilabebantur. Recollecti interea Angli claſſem, difficili ob ventum adverſum molimine, Plimutha produxere, ut hoſtem eminus laceſſerent. Quo genere prælii facile apparuit, quantum intereſſet majoribus an expeditioribus navigiis certaretur. Nam Anglicæ naves Hiſpanicis magnitudine paucæ pares, ſed gubernandi artibus mobiliores ventum hoſti interceperant, ut velis quandoque impellerentur, interim retro cederent. Etiam cum mutans ventus in ipſas tulerat, ambitu eludebant. Silente cælo, quod hoſtem facilius remigio vectabat, non ſimplices jam globos, ſed catenas jaculabantur, queis explicitis vincula navium remoſque defringerent. At Hiſpanis non inſequi promtum, nec, ſi daretur, pugnandi mens erat. Velut majores in uſus ſervabantur. Longa navium ſeries, extenta cornua, tardi inceſſus, & vulnera hoc certiora. Tum ſi quando tormenta gravius inſtabant, contracti lunatam in claſſem, & ne alius alium præcurreret minoribus velis ferebantur: ne id quidem ſatis tuto, quoties urgerentur colliſis navibus. Quod Baldeſio evenit Vandaliæ in Hiſpania præfecto, & illius Gentili, quem Lugduni obſidio famæ tradidit. Nam Hiſpalenſis navis homines ferens octingentos, quam iſte curabat, alteri ea vi impacta eſt, ut arbore mutilam claſſis relinqueret, ne curſum omnium una moraretur. Ita circumventam Draco in deditionem accepit, interque eos in victum clementia, in victorem adulatione certatum eſt. Eodemque tempore Cantabricarum navium prima flagravit, quæ ad Michaëlis Oquendi præfecturam pertinebat. Sunt qui tradant, hominem Belgam aut patriæ memorem, aut quod ſuſpectum ſe videret iraſcentem, his quæ incendium caperent admota flamma in altum deſiliiſſe. Pauci hominum ſervati; infima navis intacta flammis in prædam ceſſere.

Infelicis Hiſpanicæ expeditionis eventus cauſa.

Anglorum claſſis Hiſpanos eminus laceſſit.

Hiſpani pugnam detrectant.

Baldeſiorum navis a Dracone capitur.

Cantabricarum navium prima flagrat.

Mox

Mox & Venetam & minores alias Hiſpani deſiderarunt. Claſſis Britannica ſubſidiis interim aucta, & nobilitatis accurſu, quæ ſtudia ſua Reginæ certatim prabatum ibat, plures in manus ſpargebatur: atque ita hoſte circumvento naves continunis ictibus lacerabat. Sed jam tum apud illos pulveris tormentarii inopia fuit; qua poſt continuo laboratum. Usque Hollandia petitum eſt, ſine qua defendi tunc Anglia non potuit. Dierum octo jugi eminus certamine (nam conſerere manus Angli milite minores anxii vitabant) ad freti Gallici anguſtias octavo Idus Sextiles perventum eſt. Anglorum hic claſſes, quas initio ſeparatas memoravi, coierunt; ad nautarum militumque undecim millia, relictis ad Flandriæ oram Batavis. Hiſpani Parmenſem & cum eo mobiliores navium exſpectabant, jactis anchoris Caletum prope urbem: cum ille interea templa circumcurſare, vota facere, quomodo ſolent inſani ſpe, & conſilii expertes. Hac inquietudine Britanniæ præfecturam, an nomen altius, concupiverit, quando alia evenere, nec eadem traduntur, in medio relinquam. Miſſi in Flandriam ex claſſe nobiliſſimus quisque, & inter eos Aſcolitanus princeps, cui mater in Rege infamis ambiguum genus effecerat, ſuper communi negotio conſiliaturi, præcluſo reditu multorum exitium evaſerunt. Nam Reginæ juſſu, quæ hoſtem non dubitabat, ubi luna primum remitteret electa nocte minus illuſtri, copias ſi poſſet juncturum, claſſis Hiſpanorum, altera nocte quam freto conſederat, hunc in modum proturbata eſt. Machinis ſaxa & pulverem continentibus, quæque alia ignem alunt funduntque oppletas naves octo Angli in hoſtem prono ſalo ventisque immiſerant. At Hiſpani terrore flammæ micantis (in ſe enim citatam, & late pelagus collucere aſpexerant) præciſis anchoris in Oceanum pertendunt. Hac trepidatione navim maximam, cui præerat Hugo Moncadius, alterius navigii funibus innexam, inde excuſſo regimine æſtus eodem quo ventus ferens Gallici littoris vado impulit: ibique claſſiarii (inerant præter remiges quadringenti) Anglos ſcalis adortos, dum auxilia ex continente ſperant, prælio detinuere; donec interemto Moncadio aliiſque compluribus, capta navis, & per tres totas horas ſpoliata eſt. Sed ipſam incendi Caleti præfectus vetuit, ut Regi Hiſpaniæ nondum hoſtem profeſſo in Galliam, quamquam huic ipſi oppido imminere credebatur, amicitiæ ſpeciem ſervaret. Quinquagies mille ducati Regis pecunia direpta eſt, tre-

1588.

Anglica claſſis Hiſpanicam continuis ictibus lacerat.

Pulveris tormentarii inopia Angli laborant.

Illorum claſſes coeunt.

Hiſpani prope Caletum Parmenſem exſpectant.

Ex claſſe mittuntur qui cum illo conſilium capiant.

Navibus ignem fundentibus Hiſpanorum proturbatur claſſis.

Moncadii navis ab Anglis expugnatur.

Magna Regis pecunia diripitur ſumma.

1588. trecenti remiges donati libertate. Pauci vectorum enatave-runt, rei infeliciter geſtæ primi in Hiſpaniam nuntii. Disjecta hoc terrore claſſis contra Gravelingam, proximum Flandriæ oppidum, relocatur: ac vi tuborum militarium & machinis Anglorum plurimum vulnerata, adduci tamen non potuit ut ordines confunderet. Hoc maxime prælio res Hiſpanorum fractæ atque comminutæ ſunt: nam naves aliquot laceræ globis, quia nec pertuſa expleri, nec exhauriri irrumpentes aquæ poterant, fluctibus ſuperurgentibus ceſſere. Cantabricam unam, dum oppugnatur, & intus duces inter fortia ac neceſſaria conſiliorum ad cædes usque diſſentiunt, repente ſalum abſorbuit. Luſitanicas duas, Wilingium in oſtium delatas (nam fruſtra fretum repetere anniſas vehemens ventus huc impulerat) Zelandica littora excepere, quaſi inter quos commune periculum fuerat & naufragia dividerentur. Alteri Philippo, alteri Mathæo nomen: huic Didacus Pedimontellus, illi Franciſcus Toletanus moderabantur, Tribuni militum uterque. Sed illam, ſcapha dilapſis primoribus, Fliſſingani occupaverunt. Pedimontellus fugam, miſſumque in hoc navigium aſpernatus, poſtquam multis ſuorum amiſſis diu tormenta pertulerat, fidei ſe poteſtatique Petri Douſæ permiſit. Parti hic Batavicarum navium præpoſitus raptum inſigne Lugdunenſi templo ſuſpendit, inuſitatæ magnitudinis oſtentui. Navem utramque, exemtis quæ uſui videbantur, neglectam Oceanus ſubruit. Iam Batavi Friſiique totam hoſtium claſſem ſua prætervehi littora intellexerant. Nec alio ſuper metu, quàm ne Amaſii oſtia ſubirent; occurſum, abreptis e mari ſignis, quorum conſpectu navigantes eorum locorum brevia evitant. Tot coacti cladibus Hiſpani duces, & omnes de cætero culpam in Parmenſem rejecturi, diſceſſus conſilium ceperunt; quanquam apparebat ſic quoque periculum non ſine periculo vinci: nam retro obſeſſæ anguſtiæ. Quod unum reſtabat, Septentrionalia Britanniæ obeunda erant, qua indomitus terris Oceanus, & vix impune tentatur. Quod ſi tum inſtitum foret, tanta Hiſpanos maris hoſtiumque formido invaſerat, ut traditum ſit, agitaſſe Mediniſidonium, num dedita claſſe vitam paciſceretur. Sed Angli, obſervato tantum curſu; ne Scotia forte, aut Cimbricum fretum adirentur, ubi omnem hanc oram omitti conſtitit, & vaſto mari fugam tantum quæri, noluerunt

Claſſis contra Gravelingam relocatur.

Naves aliquot Hiſpanorum fluctibus abſorbentur.

Luſitanicæ duæ a Batavis capiuntur.

Raptum inſigne Lugdunenſi templo ſuſpenditur.

Multis acceptis cladibus diſceſſus conſilium Hiſpani capiunt.

Ingens illorum formido.

alios

alios inſequendo ipſi idem diſcrimen incurrere: depulſæ claſſis, & ſervatæ patriæ decore contenti. Quin ut maxime ſequi voluiſſent, vetabat ea, quam dixi, tormentarii pulveris penuria. Sed Seimorum mature remiſerant, ut una cum Batavorum claſſe Parmenſis conatibus obſiſteret: cæteri oborta cum tempeſtate aliquamdiu conflictati non ſine periculo in Angliam redierunt. Grajorum, Romanorumque gloriæ, qui res olim ſuas navales per acies aſſeruerunt, non dubie tunc Anglorum & fortuna & virtus reſpondit: etſi lente ac tuto vicere, nuſquam tota belli mole cominus immixti. Hoc memorabilior eventus fuit: omni tempore quo cum Hiſpanis pugnatum eſt, navis alicujus pretii nulla, homines bello marique non ultra centum deſiderati ſunt. Hiſpanos interea genus omne miſeriarum exercuit, amiſſis ſuorum quinque fere millibus, & navium potiſſimis, ægri plerique aut vulnerati, rerumque omnium egentes ſæviſſimo pelago volvebantur. Equi, jumenta, ſarcinæ præcipitata, quo levarentur alvei adverſum fluctus ingruentes. Orcadas inter, atque alias ejus maris inſulas evectis imperat Mediniſidonius in Cantabriæ portus dirigere vela. Ipſe aliquot cum navibus, quæ minus quam cæteræ inanes atque inopes erant, in altum ſe dat: cæteræ non longe Hibernia abeunt. Fuere quas variæ undique procellæ in mare interius rejectas Angliæ aut Galliæ in oram afferrent. Plures Norvegiæ abrupta, & ſaxis incerti fluctus eliſere: pars ad ultima Septentrionis & ignotum adhuc Orbem turbine auſertur. Rex Scotiæ in ſua littora ejectis pacis jura ſervavit. Triginta & duæ naves Hiberniæ vadis impactæ, aut proximo mari hauſtæ ſunt: eniſique homines ab accolis trucidabantur, quia plures erant, quam quorum tuto miſereſceret. Cæteras ira fati in patriam proſecuta eſt: nam in ipſo portu duas fortuitum incendium conſumſit; alias alii caſus perdiderunt. Triginta omnino ſuperfuere, quæ commeatus vexerant: e bellicis una, tantæ modo claſſis ducem ferens. Primores multi, vulgique pars magna non multo poſt reditum vita exceſſere, ſive contractus tam moleſta jactatione morbus, ſive aliquos animi ægritudo confecit; dum more dominantium rei ſubduntur his, quæ fortuna peccaverat. Summa cladis ex eo apparuit, quod Rex edicto luctus tempora contraxit, ut magnitudinem damni, quod late nobiles domos funeſtaverat, publicis oculis ſubtraheret. Apud Anglos,

1588.

Anglorum encomium.

Vix centum illorum deſiderati.

Hiſpanorum fere quinque millia.

Fugientis Hiſpanicæ claſſis miſerabilis exitus.

Summus in Hiſpania luctus.

1588. Anglos Batavosque captivis ſoluto pretio, quibuſdam & dono, data libertas. Dum in dubio eventus pependit, & metus pietatem docet, crebro ſupplicatum. Pro victoria gratiarum actiones Deo decretæ ſunt: ipſaque Regina triumpho vecta priſcum in morem oratione ad populum expoſuit, majore nunquam æternæ providentiæ beneficio approbatum, quam infirma adverſus vim ſuperam præſidia humana ſint. At Batavis communis periculi etiam in hoc fructus fuit, quod æquiore poſthac uſuri erant Anglorum ſocietate, qui jactare hactenus ſolebant, quod ſocios ſuſtentarent, id ſoli ſe humanitati præſtare. Dum naufragæ claſſis reliquiæ in Hiſpaniam rapiuntur, Parmenſis ex diuturna felicitate in miſeriam, ex fiducia in deſperationem verſus, alieno magis impulſu quam conſilio ſuo, quod odiſſe jam cœperat, in Bergarum ad Zomam obſidionem trahitur. Inſtigabant Brabanti, ne unum oppidum, unde hoſtili equitatu infeſta itinera, & agri vaſtabantur, ipſis deeſſe & ſuis victoriis pateretur. Nec duci admodum diſplicebat gravem exhauſtæ jam Flandriæ exercitum alio transducere, pudore quoque & metu, ne, ſi detrectaret, nihil in ipſo opis videretur. Quod ſi rediret fortuna, via in Zelandorum inſulas, mox bellum intra Hollandiam parabatur, proxima nimiæ ſpei, quam præſumſerat perdideratque. Namque id oppidum præclaro ſitu Brabantiæ in finibus Zelandiam parvo diſcrimine aſpectat; Flandria & Hollandia lateribus adjacent. Haud longe pars eſt Scaldis, in quam Zoma, qui oppido nomen dedit, illabitur: hinc portus oppido longus & nonnihil flexuoſus. Floruit multum commerciis ſub ditione familiæ cognominis, donec Antverpiæ vicinitate & belli malis attereretur, hoſtes & illos experta, quos præſidio acceperat. Sed ex quo adjecta fœderibus fuit, proditione aliquoties periclitata, vi & obſidione tum primum tentabatur. A Bergarum territorio Tola, Zelandorum oppidum & inſula, Scaldis æſtuario diſpeſcitur; quod idoneum ſubvectionibus copiarum, & ne apud Batavos relictum obſidionem recluderet, præmiſſi occupare Montiniacus, & Octavius e Mansfeldiis comitibus. Qui ſimul disjectis in Heuſdam belli rumoribus improviſi adfuere, per vada octingentos milites ducunt oram Zelandicam ſuggreſſuros. Sed male obſervato æſtus tempore, qui jam increſcebat, nutantibus cœno veſtigiis graviter annixos pauci propugnatores detruſerunt. Interim contra jacula-

Apud Anglos & Batavos gratiarum actiones Deo decreta.

Bergas ad Zomam Parmenſis obſidet.

Bergarum ſitus.

Ad occupandam Tolam præmiſſi a Comite Solmenſi fugantur.

culatores, quos Brabantico in agro hoſtis reliquerat, lorica 1588.
ripæ (ita locus erat) ſe tuebantur. Statimque cura Comitis Georgii Eberardi Solmenſis, qui inſulam præſidebat, & vulgato periculo adaucta defenſantium multitudo, regreſſum hoſtem in fugam & voragines egit. Vix duces emerſere: quadringentos, ut quidam tradidere, profunda uligo, aut, ſi qua pars corporis eminebat, deſtinatior telorum jactus interemit. Adverſa ex parte unum modo cecidiſſe, haud procul miraculo abit. Exinde inſula caſtellis, excubiis, machinis firmatur. Tum vero ſpem alteram amplexus Parmenſis, ut portu interclusō oppidanos commeatu arceret, ingenti illo exercitu, circumjecta collium & aggeres inſedit, junxitque pontibus quæ interſciſſa erant. Quibus interriti Bergenſes, nec velut obſiderentur, quia miles, & victus aut defenſioni neceſſaria a Zelando & proximis Hollandorum urbibus affluebant, quaſi poſitis contra caſtris, pedes aut equo dimicabant, levibus quidem præliis, ſed non ſine hoſtili ſanguine. Nec tantum militis egregia virtus, ſed oppidanis muniendi labor & tributa extra ordinem imperabantur, laudabili ducum & magiſtratuum concordia. At inter Anglorum rectores (id in præſidio roboris erat) de ſumma præfecturæ ortum certamen, & ſi quid ultra turbidum, Princeps Mauritius cum Ordinum legatis tuto pervectus coram compoſuit. Oppidum inter Scaldimque caſtella erant duo, hinc machinis, inde æſtu ſatis defenſa, quorum quod in ſeptentriones abit, tormentis ab aditu oppidi divellere fruſtra Parmenſis parabat, ut navigationi intercederet: eique curæ defixus in ſpem proditionis adducitur, qua Itala calliditas eluſa eſt. Hiſpani e captivis duo cauponem, apud quem cuſtodiebantur, & Anglum militem eodem ſolitum divertere (Grimſtoni nomen erat) ſollicitant ad traditionem caſtelli, de quo memorabam. Illi, quorum ingenium a quæſtu turpi ita non abhorrebat, ut tamen, ſi pretium eſſet, mallent hoſtem quam ſuos fallere, præfecti conſilio inſtruunt dolum. Aditus ab utroque Parmenſis, ne operam ſperneret, aut, quod accidit, obſequii ſimulatione circumveniretur, magnis pro illorum fortuna muneribus & promiſſis oneratos obſtringit jurisjurandi religione: & cum ne ſic quidem niſi ipſorum periculo ſatis crederet, convenit, ut vincti inter armatos duos comitarentur ituros in munimentum, ſi fallerent, ſtrictis pugionibus. Satis ita cautum videbatur, nec enim fore queis odio ſalutis alienæ ſua eviléſceret. Qua fide ter mille, & inter

Hac ſpe dejectus Parmenſis portum intercludere aggreditur.

Eximia obſeſſorum virtus.

Ortas in præſidio turbas Mauritius coram componit.

Parmenſis in ſpem proditionis adductus decipitur.

eos

1588. eos inſigni ſtirpe plerique accinguntur, ut caſtellum invadant. Patuit porta, dum quinquaginta tranſeunt; & hactenus promiſſis exitus reſpondebat. Tum ſubito porta penſilis altera præciſis funibus dejicitur, cæduntur que admiſſi aut capiuntur: nec cuſtodibus Hiſpanis in vinctos proditores ferri uſus placuit, territis pavore, & præſenti ultione. Sed excluſum agmen, cum continuo alter alterum urgentes receſſus non facerent locum, verſa in virtutem deſperatione, per foſſam æſtu deſtitutam ſcandunt aggerem: jamque ſepimento e palis priore convulſo ad interius ſiſtebantur: unde pulſi machinis, quæque ignifera alia præſcii fraudis paraverant, in abditas, qua fugiendum erat, inſidias ruunt. Cæſi pars magna, & qui evaſerant, recreſcentibus aquis, perque inſcitiam locorum cœno hauriebantur. Hac fraude Parmenſis, & quod cœlum ingraveſcens morbis & mortibus graſſaretur, cum flexu autumni crebros per imbres plana ſtagnarent, neque præ luto aggeres tenerent veſtigia, hos primum, dehinc caſtra deſeruit, diuque caritate ac tandem rerum omnium, & aquæ dulcis maxime inopia coactus

Obſidio ſolvitur.

obſidionem ſenſim ſolvit, quam ſpe vana in ſeſquimenſem produxerat. Paucos tamen locos, ne nihil egiſſet, adverſus excurſionem munit. Nec eo minus poſt iſta tempora ditantur Bergæ frequenti ex hoſtibus raptu, & ſub peculiari principis Mauritii imperio revireſcunt. Namque ei & hæc, & alia, quæ hoſti-

Bergæ Mauritio ab Ordinibus donantur.

les partes ſequentium fuerant, Ordines dedere ſolatium eorum, quæ ipſi paterna ab Hiſpano tenebantur. At Brabantus ager, hibernante per vicos Parmenſis exercitu, poſt Flandriam atterebatur. Bonnam interim dilecto cum milite miſſu Par-

Cimacenſis Bonnam obſidet.

menſis a primo jam vere Cimacenſis obſederat: nec Scenkio contra certandi copia, ſed principum Germaniæ concilium

In quem a Germaniæ principibus auxilia petenti Scenkio inexſpectatum redditur reſponſum.

ingreſſus expoſuit periculum egregiæ urbis, quando non ſibi, non Truxio vires in hoſtilem exercitum. Ipſorum potius intereſſe, ne Hiſpanica dominatio, armorum per Belgicam ſpecie, proxima quæque & ſemper ulteriora invaderet. Valida namque imperia, attendendo ſingulos, cunctis ſupercreſcere: nec aliud remedium, quam feſtinos occurſus, & ex communi metu virtutis ſocietatem. Ad extremum ita finivit, ut ſi tutela affirmaretur, Bonnam ipſis permitteret. Sed hæc militari facundia elocuto, non quale expectarat Germanorum nomine reſponſum redditur. At nos, inquiunt, alienis diſcordiis veſtra cauſa non immiſcebimur, quibus improſpera toties in Galliam auxilia documento ſunt, motus gentium ipſis ambiguos,

guos,

guos, foris accedentibus nunquam innoxios eſſe. Plerique noſtrum nec Belgis abſtinuere: quam feliciter, ipſi ſciunt. Eadem ſcilicet mercede, quâ Rex Galliæ fratrem ſubmiſerat, & Catharinæ Mediceæ auſpiciis pro Antonio navigatum eſt. Nunc cum iidem illi gratiam Hiſpani & fœdera ambiant, nos Philippum poſtremi irritabimus? qui non ſpernendis in Germania poſſeſſionibus pars ipſe noſtri, reſtituit ſedibus Germanum antiſtitem. Imo affinem potentiam colamus potius pace, quam bello experiamur. Ita eluſus, dum Angli Batavique diſtenti majoribus auxilium & ipſi negant, milites præſidio relictos, queis Podalitha Sileſius præerat, hortatur morari hoſtem, dum tuto liceret, ac fortiter tolerare obſidium. Nec ſecus fecere, occiſoque Baptiſta Taxi, egregio Hiſpanorum duce, & multis eruptionibus victores, poſtquam ſemeſtri labore munitiones circumjectas hoſtis extorſerat, penuria quoque afflicti, non indecora pactione urbem tradiderunt in Bojoari antiſtitis poteſtatem: id nomen uſurpabatur; quanquam iniit urbem miles Hiſpanus tenuitque. Hinc jubetur Mansfeldius, qui autumno jam inclinante Cimacenſis vires auxerat, obſidione peracta cum parte copiarum Wachtendoncam degredi, quod oppidum ſuperna Geldrum regione Nerſæ amniculo adjacet. Præſidium erat ex Scenkii cohortibus: nec facilem adpugnationem ſitus loci uliginoſus, & vis hyemis ingruens effecerat. Sed ab obſeſſoribus aggeſta humo in altitudinem tumuli, quæ ædificia deſpectaret, cadentes inde globos, modo injectos etiam ignes, oppidani non pertulerant; accedente & metu, ne quæ tum humebant gelaſcente mox cœlo hoſti pervia fierent, auctores militi ne citra ſpem ullam ſecundi eventus (quia exiguæ ſociorum vires, & procul aberant) ipſorum fortunas corrumpi pateretur. Tracta in ultima anni obſidio, etſi ſucceſſum habuit, multa ipſorum millia confecit per cœli ſævitiam, & neceſſariorum egeſtatem. Sumptus enim & damna Hiſpanicæ claſſis regias opes ita exhauſerant, ut diu exercitus ſtipendiis fraudaretur. Hinc crebræ ſeditiones, & ſpes prædæ uberioris multos in transfugium illexit, quod Batavi tuti ſuos inter amnes paulum promotis finibus hoſtilem agrum impune incurrerent. Sed harum partium Ordines, cum nova evitarent, antiquis oneribus premebantur: nam exorti per Scotiam qui Mathiæ aut Valeſio militaverant, atque alieni nominis redemptores advectas naves auctoritate publica pignerabantur. Miſſa ad prin-

1588.

Bonna deditur.

Wachtendonca capitur.

Scoti Batavorum naves pignerantur.

1588. principes legatio docuit erratum ignorantia moris Belgarum: nam Batavos, etſi copiis ſuis cæteras civitates adjuverint, nunquam illarum æris alieni participes factos, nec alterius quam Arauſionenſis imperio paruiſſe. Neque nunc recte a Fœderatis peti, quod gentes deberent quæ a fœdere deſciverant. Hoc ideo tradendum putavi, quia talibus verbis repertum eſt exactiones damnoſas refellere; dataque occaſio, cum ducibus, qui ſub ſacramento remanſerant, de veteri ære in certas portiones paciſcendi magno in Rempublicam levamento.

Quod injuſte fieri illorum docet ad principes legatio.

1589. Communi inter hæc metu, & Trajecti Batavorum vinctis qui imprudentiæ remedium ex pertinacia quærebant, diſſidia ab Liceſtrio orta deflagraverunt. Sed Gertrudisbergæ præſidium (pedites habebat mille quingentos, equites trecentos) quia plus licentiæ ex occaſione diſcordiarum uſurpaverat, quam ut veniæ fidem, aut non infame commilitium ſperaret, impacatum, & ultro ferox manebat hoſtium vicinitate. Initio tumultus exactis qui fuerant, & impoſitis quos vellent ducibus, adhuc Parmenſis literas & nuntios averſabantur. Immixti deinde ignorantibus hoſtium miniſtri, & qui legati in Batavos erant, auditas minas in pejus referentes, pœnarum metu ſeque & alios ſtimulabant. Accenderat iram contemtus, poſtquam Willugbæus Anglicani auxilii rector velut pacando militi Wincfeldium affinem ſuum, ut conſilium fuit, oppido, reipſa ſeditioni præfecerat, dataque ab Ordinibus ſtipendia, quibus ſuſpectos illiceret, non certa pactione, ſed in ſpem occaſionis, numeraverat; unde quaſi deceptis illudebant, & velut rapto abutebantur. Vbi hanc pecuniam duces, & ducum exemplo miles per luxum ſaginamque perdiderant, miſſo equitatu prædas undique traxere: quin & naves retentabant, nullo hoſtium aut ſociorum diſcrimine; nec magis pacatis gentibus abſtinebatur. Sic hyemem agentes ſollicitabat ad proditionem, quo facile ab his flagitiis tranſitur, Odoardus Lanzavechia Bredam in proximo Brabantiæ regens: quippe intutum in peccando modum, & Parmenſi imputari poſſe, quod apud Anglos Batavosque nunquam ſatis excuſaretur. Vera dicebat; nec ab hujuſmodi conſilio abhorrebant in omne vitium corrupti, &, qui mos eſt ſeditionis, infenſi mitiora ſuadentibus. Pari mox omnium rabie, aut paucorum tot inter turbidos formidine & ſilentio, eripiuntur arma oppidanis; prætendunt Anglicum nomen duces plerique ejus gentis, miles etiam Belga. Ac quo plus turbant, hoc liberalius offer-

Gertrudisbergenſis præſidii ſeditio.

Ad proditionem ſollicitatum ab ea non abhorret.

offertur impunitas, Ordinum graviora metuentium literis. Redirent ad ſigna, obliti diſcordiarum, quibus publicus error & ira fati cuncta miſcuiſſent: præſtarentque Reipublicæ, ut non a ſe ortis diſſidiis ipſi finem imponerent. Sed huic defenſioni ſuorum facinorum conſcientia non credebant. Dubitatum eſt, an in rebelles, & Ordinum Mauritiique imperia pertinaciter reſpuentes, vis pararetur. Nam aliis diſplicebat irritari periculo militem: diem melius & tempus ſanaturum impetus vix unquam durabiles. Contra afferebatur, patientiam & lenitatem in ludibrium vertiſſe: an vero exſpectandum, ut hoſtem, quicum ſecreta jam tunc colloquia, palam mœnibus admitterent? Si addito metu venia oſtentaretur, bonis audaciam dari, cæteris reſipiſcendi neceſſitatem. Ita nuper Medemelacam pœnitentia militum redditam, quam ſedentes fruſtra opperirentur. Vtrum fieret non interfuit: nam certi perfidiæ, ſeu deſtinationi permitteres, ſive ultro impelleres, eadem meditabantur. Vere primo terra & flumine copias, quantæ tunc haberi poterant, Mauritius admovit, minores quam ut obſidium contexeret. At illi tormentis petiti paria reddidere, ut præter cæteros Iuſtus Villerſius caderet, inſigni militia Trajecti quondam regimen, & nunc caſtrorum præfecturam meritus; utque Principis juventam belli conſiliis inſtrueret. Sed imminens oppugnatio, cum properata jam aggeris ruina oppidum nudaſſet, extracta eſt colloquii ſimulatione: & qui ſequebatur dies exundatione amnium & pluviis fœdus inhibuit acceſſum. Simul Lanzavechia accitu Wincfeldii adventare lecta cum manu audiebatur. Nec Anglo ſuadendum ad ſcelus verba defuerunt. Verum advocata concione: Cernitis illos, ait, quorum globi & ignes hoſtilia nunquam mœnia pari impetu circumſonuere; tanto nobis infeſtiores, & nunc ferrum cominus intentant, omneſque inimicis vocibus ad ſupplicium expoſcimur. At inde veniunt qui ſervatos nos volunt, apud quos gratiam ac præmia mereri licet. In veſtra nunc manu eſt, commilitones, periclitari deditionem, an dare beneficium & accipere malitis. Promtiſſimi cujusque vocibus, cæterorum admurmuratione, probata oratio. Neque Mauritius ſubſtitit imparatus longiori obſidio, & ne tranſitionem, quam prohibere non poterat, cogere videretur. Literas tamen miſit, ſi quos adhuc moveret reſpectus honeſti aut timor infamiæ, quæ per ludibrium accepta vænali turba, quando ſupra elapſas ſti-

1589.

Ordinibus impunitatem offerentibus non creditur.

De vi in rebelles paranda deliberatur.

Mauritius copias admovet.

Rebelles ſe defendunt.

Villerſius occiditur.

VVincfeldius proditionem ſuadet.

Mauritii diſcedentis ad rebelles literæ cum ludibrio exceptæ.

1589. pendiorum penſiones donativum Parmenſis adjecerat. Illum tum primum ajunt preſſum longo mœrore vultum levaſſe, cum traditæ urbis e ſpecula Dordrechtum, & illa crudi olim belli loca ſpei atque oculis admoveret. Inſpicere juvabat & calcare primam duodecim ab annis Hollandicarum urbium redactam in poteſtatem. Eaque gaudii feſtinatio fuit, ut nullis adhuc præſidiis ingreſſus oppidum crederet ſe illis, quos admiſſus hoc ipſo debuit habere ſuſpectos. Et fuere qui dubitarent, an ex magna occaſione verterent perfidiam. Sed ad conſenſum tempus defuit, aliis intutum putantibus. Sibi, non partibus, tribuerunt, ne ambas fallerent. Pauci in Angliam, aut vetus ad ſacramentum refugere. Cæterorum ſuos cujuſque apud numeros, ut eos Parmenſis diſtinxerat, egregia bello opera fuit, ſpe nulla ſalutis niſi per victoriam: quia proſcripti proditionis & transfugii crimine belli jura amiſerant. Improbantibus tamen ſcelus etiam queis proderat, irriſi diu mercatorum vocabulo, ne mortem quidem honeſtam, niſi pauci, habuere. Pleroſque captis in urbibus pœna vindicavit. Datus a Parmenſi miles poſſeſſioni urbis, & excurſibus, ſæpe fortiter, & proximis diebus feliciter pugnavit, interceptis turmis tribus Mauritianorum equitum, qui Sylvamducis juxta incurioſius palabantur. Hoc magis ex uſu viſum proxima annectere: mandataque cura præfectis minoribus. Præter Gertrudisbergam, alia quoque oppida duo Moſam ultra nunc jacent Hollandici juris: ſed Heuſda olim Moſa continebatur, antequam novo facto alveo vetus exaruit: pars credita vetuſtiſſimi Teiſterbantiæ comitatus, in fide ac clientela Clivicorum principum, qui in Hollandos deinde jus ſuum tranſcripſere. At Septembergæ oppidum Strideni quondam agri portio, flumine ſane dividitur; ideoque ſacra illic non a Trajectino, ut reliquam per Hollandiam, ſed Leodienſi ab antiſtite curabantur. Proprios vero dynaſtas habuit, ſed ut Hollandiæ principibus obſequium deberetur: quorum imperio & ſupra Gertrudisbergam vici aliquot ab antiquiſſimis temporibus parent, quippe cum mos validis gentibus tranſcendere amnes, ut proximæ ripæ munimenta interioribus circumjicerent. Nihilominus & Heuſdam & Gertrudisbergam Brabanti ſibi vindicare jam pridem fruſtra laborant. At nunc Septembergas invalidam opere, & prædam ſemper armis, facile Arembergius invaſerat: ſed teneri non potuit, quia Nordamum & alia circum loca Batavi tuebantur. Miſſus in Heuſ-

Parmenſis propter traditam urbem ingens gaudium.

Gertrudisbergæ Heuſdam, Septembergas, aliaque oppida Parmenſis annectere parat.

1589.

Heuſdam Carolus Mansfeldius ſimul Bommeliam, caput inſulæ adjacentis, quam geminos inter confluentes revulſi Moſa & Vahalis ambiunt, dolo & oppidanorum aliquot conſcientia petebat. Sed retecta punitaque proditione, cœpto obſidio inſtitit, Hemertam juxta arcem acceptam in deditionem obtinens, cum immodica per augmenta effuſus amnis campos auferret. Nec jam vis ſed fames Heuſdæ timebatur, quam longinquo ambitu circumventam ab hoſtilibus copiis Famarſius defendebat, deſtinationis intrepidæ, nec dubitaturus ultima tolerare. Prævenit Mauritius, coactoque proximis e præſidiis militum comitatu; qua rarior hoſtis, perrupit; illatis quorum inopiæ timebatur. Inter hæc abducta non procul parte exercitus Helium Bommelienſis inſulæ arcem, Crepicordium contra, Mansfeldius machinis navibusque aggreditur. Opera, manus tutamenta abunde erant, ni Sidenborgus præpropera deditione ſpem metumque abrumperet. Ipſi viſum culpam militibus aſſignare, hoc confidentius, quia plerique occubuerant, dum Hiſpanus miles injuſſu ducum in exeuntes ſævit. Hujus loci præſidio, & Crepicordii ex adverſo, quod Hohenloio dirutum regii duces reſtituerant, ad confluentes Diſæ amniculi & Moſæ fluminis, ingreſſi inſulam, patentes agros, quæque arcium aut caſtellorum infirma pervaſtant; haud dum certi quo potiſſimum evaderent. Modo cœptas ubi inſula definit, Gorichemum contra, munitiones aucti imbribus amnes differebant. Deinde aliud conſilium, trans Vahalim ſita, Geldros & mox Trajectum accedere, poſtremo inſulam Vorenam nomine, quæ Bommelienſi ſuperjecta eſt, caſtelloque ante biennium a Naſſavianis inſeſſa, adorti eminus, audiunt Hohenloium dilecto cum pedite & turmis in prælium adventare, majore fama; nec manendi ſpes Mansfeldio, poſtquam veris tempora & æſtatem per irrita aut ſucceſſus exiguos tranſmiſerat. Moſa igitur remeans turbine ſubito & ira Hiſpanicæ cohortis ob non ſolutas penſiones contra ipſe niſus haud procul exitio fuit. Præerat cohorti Saurius Læva, tam militi gratus, quam Mansfeldio ex verborum nuper certamine inimicus. Nec deerant qui principis Aſcolitani & Paſtranæ ducis dolo atque in Parmenſem odio ardeſcere ſeditionem crederent. Haud dubie traxerat jam pridem invidiam Parmenſis, rerum geſtarum magnitudine & gloria Hiſpanos duces ſupergreſſus, & Italis apertius, quam conducebat, fiſus & fa-

In Heuſdam Mansfeldius mittitur: A quo & Bommelia fruſtra tentatur.

Mauritius perruptis hoſtium caſtris Heuſdæ ſubvenit.

Sidenborgus Helium Mansfeldio præpropere dedit.

Mansfeldius inſulam Vorenam adortus Hohenloji adventu ab incepto deſiſtit.

Hiſpanicæ cohortis ſeditio.

Hiſpanorum in Parmenſem odium, invidia atque criminationes.

1589. & favens. Inde exorti, qui virtutes non minus, quam infortunia, criminarentur. Sed proditam claſſem, conatus in Bergas irritos, aliaque hujuſmodi palam. Tot vero nationes partem maximam Belgarum ſubactas, egregia in illum populi ſtudia, occulto apud Regem & ſpecie laudum pernitioſius jactabant. Nec vanus de illo metus, ſi vitam in deteriora Hiſpanici imperii prorogaſſet: ne clarus bello & regendi clementia, hoſti quoque non inviſus, debitam filio Luſitaniam (ut tum plerique ferebant) parata poſſeſſione mutaret. Certe ſeu Philippus, ut ſunt regum ingenia, pronus ad formidinem, dum nimium gloriæ ducem premeret, ſuam ipſe fortunam fruſtrabatur; ſive immenſos ſumtus vera paupertas excepit, proviſis quæ inopia provenere, & præſentium tædio Parmenſis morbum conſciverat; quæ illi cauſa Germanicæ profectionis ad aquas Spadanas fuit. Nec poſt id temporis ſolita illi valetudo, aut fortuna rediit, cum alterum altero corrumperetur. Itali gens læta ſuſpicionibus, & fingens quicquid auderet, datum ab Hiſpanis duci ſuo venenum arguebat: eaque fama immanitate ſui commendata prævaluit, & quia in Hiſpanum quidvis facile creditur. Literas, queis apud Philippum graviter accuſabatur, Mauritius interceptas ad ipſum nuper miſerat; ille diſſimulato hoſtis beneficio, nec actis gratiis, ſcriptorem literarum Iohannem Moreum, qui res Hiſpanicas magno aſtu & effuſa largitione in Gallia promoverat, ad epulas vocavit: nec is diu ſupervixit, nova rumorum materia; præſertim cum is, qui miniſter vindictæ fuiſſe credebatur, nullo cæteroqui merito tolleretur honoribus. Inde Ricardotus à Parmenſi in Hiſpaniam mittitur, purgandis, quæ de non adjuta claſſe ipſi objectabantur. Rex & hunc, & qui viciſſim arguebatur Mediniſidonium coram audiit, ac videri voluit utrumque ducem abſolvere. Repreſſa ſeditione militum paucorum ſupplicio, & diſſoluta cohorte, quanquam bellandi vetere, integras ab eo motu centurias ſeptuaginta jubetur Mansfeldius Bercam rapere. Vrbs ea epiſcopi Agrippinenſis tertium jam annum, ex quo Parmenſis inde abſceſſerat, caſtellis ſepta tenebatur. Nacti eam jam pridem Truxius & Nienarius, quia cauſam ille, hic arma contulerat, diſceptatam poſſeſſionem fœderatis Ordinibus, ut ſequeſtris, permiſerant. Sed ejus anni initio Batavi juncto ponte (quo Rhenus tranſiretur) & equitatu ſuperiores, commeatum intule-

Morbum ſibi conſciſcit.

Ab Hiſpanis venenum illi datum aſſerunt Itali.

Obtrectatorem ſui nominis punit.

In Hiſpaniam miſſo Ricardoto ſe apud Regem purgat.

Mansfeldius ad obſidendam Bercam mittitur.

intulerant. Exinde miſſus rogatu Epiſcopi (ad Parmenſem is ipſe venerat) cum parte copiarum Varembonius regius Geldriæ moderator, qui vim & famem propius admoveret, in tranſitu Blidobecam (hanc olim arcem Scenkius, juri parum fidens, ut propriam ſibi armis vindicaverat) haud incruentus invaſerat. Nam præſidiarii, vetus & exercitus miles, toto menſe tormenta paſſi, auſique paria, miſcuerant cladem, donec graviore inter paucos jactura, perque mortem centurionum diſcordes (& quoſdam ſuorum exegerant) lapſabundis jam munitionibus hoſtem admiſere. Inſignivit victoriam reperta inter ſtrages mulier, quæ virili habitu animoque prædam & vulnera concupiverat. Quod primis diſcordiis palam ſæpe viſitatum: neque ejuſmodi exemplorum feracior ulla ætas fuit. Nam ut magna belli nomina Deus, & Patria, aut Princeps, in partibus attonuerant animos, libidine odii fas etiam ſexus exuebatur. At Scenkii ferox ſemper ingenium propria jactura & pudor irritabat. Hinc erepti penates in ultionem incenderant: inde, quod non ſatis ſibi militis, quo Bercæ incluſos eximeret, acrius animum fatigabat. Contractis tamen quas habebat turmis vexillisque, locum communivit in Rheni ripa, haud procul Reſa oppido, obnitente fruſtra Varembonio; unde acceptas amni copias terreſtri itinere Bercam ductabat. Dein comperto auxilia Verdugoni advenire, citis itineribus deprehenſos Luppiam ad amnem Weſtfaliæ in campis cæde impulit, ut ſtipendium quod in Friſiam ferebant, fuga dimitterent. Eo ſucceſſu audentior, Noviomago, cui jampridem infenſus, nocturno impetu excidium minabatur. Præmiſſo equitatu dilectas per tenebras paucis cum pontonibus, quas milite oneraverat, delatus Vahali, urbem attigit, ea parte munitam hoc uno, quod amnis prælabitur. Iubetque expeditiſſimos ſuorum dirutis cancellis ædium unam, quæ retro in ripam exeunt, irrumpere, ut deinde catervatim effuſi per urbem turmis jam aſſultantibus portas remolirentur. Sed forte domus, in quam fiebat impetus (nec eadem erat, quam Scenkius ante deſtinaverat, oblato per noctem errore) nuptiis tum celebrabatur. Hinc ingens ſtatim ſtrepitus, excitique oppidani, ipſam ædem, & aliquos in publicum progreſſos armis, deinde tormentis obſident. Addidit multitudini fiduciam dies, pauci contra per anguſtias & trepidationem atrocius cædebantur. Nec inhi-

1589.

Varembonius ad Bercam quoque miſſus Blidobecam capit.

Scenkius copias Bercæ infert:

Hoſtes ſtipendium in Friſiam ferendum cæde dimittere cogit;

Ad capiendum Noviomagum animum appellit.

1589. bere ſugam Scenkius potuit ſtans in ripa, & modo omnes, modo ſingulos nomine inclamans, ut perficerent pulcherrimum facinus, ac forti eruptione viam panderent ſecuturis. Accedebat grave perculſis incommodum, quod aſſumptas præſidio naves noctis adhuc obſcuro infra urbem vis fluvii detulerat, ut fugientes excipere non poſſent. Cum hoſtium telis premerentur, rara ad ripam navigia ruentium oneri ac conſternationi ceſſere, interque plurimos ipſum ducem, ut erat, armis gravem hauſit amnis. Eum vivendi finem Scenkius habuit; vir ſuo ſæculo præter cæteros nobilitatæ audaciæ: nonnulla domus claritudo; ſed ipſi aucta ſub Parmenſi gloria: mox equeſtrem dignitatem, & alia militiæ ornamenta Liceſtrius adjecerat. Multum animi: prudentiam ſæpe deſideraret: jura & leges pati neſciebat, unde ipſi apud milites favor, apud vulgum rectoresque odium: quanquam durum & intractabile ingenium flecti cœperat ætate. Repertum corpus victores ob transfugii memoriam ludibrio expoſuerunt. Sed demovere coëgit ultio militis, qui ducis ignominiam in Noviomagenſes captivos acriter vindicabat. Biennio tamen inhumatum capta demum urbe Mauritius compoſuit.

Cum ſuis ab oppidanis depulſus amni mergitur.

Ejus ingenium, ac elogia.

Nienarius caſu interit.

Truxius bellum dimittit.

Et Nienarius ea tempeſtate, dum machinamenta quædam indiligentius luſtrat, caſu interiit: belli ſerus, morum inculpatus. Orbatus utroque duce Truxius, quorum manu fortuna partium ſteterat, tandem dimiſit bellum, maxime poſtquam & Berca hoſti ceſſit: ubi longa & in ſequentem annum tracta obſidio cladem prius Hiſpano, dein victoriam dedit. Nam poſt ſoluta ſtipendia adſcito in commilitium Scenkii milite, qui luctu ducis efferatus ſeditionem minabatur, quia inſula ejus in manu, clauſtra Rheni, facile emtorem inventura erat; mox ultima Batavos cura ſubierat Bercam juvandi, ſpe haud alia, quam ut hoſti, cui urbem non poterant, tempora eriperent.

Ad Bercam liberandam mittitur Falcoſtenius.

Conſequitur Varembonius:

a Verio cæditur.

Miſſum hoc conſilio comitem Falcoſtenium duobus cum millibus præter additos equites, ſimul occupato in tranſitu caſtello amnem ſuperaverat, conſequitur Varembonius, nullo in prælium animo, quanquam major advenerat, ſed ut euntium tergis cum cæde inſiſteret. Duas Anglorum centurias, noviſſimum agmen, regens Franciſcus Verius in hoſtem vertit: ſuſtinuitque impetum, donec circumfuſus eques, & univerſæ mox cohortes ſigna intulere. Fit pro numero magna ſtrages: & cæſis hoſtium promptiſſimis rapta vexilla peditum decem, turmale

turmale unum, & equitorum magna vis. Pauci cum duce 1589. effugiunt. Verius illuſtre hoc virtutis ſpecimen aditum ad dignitates famamque habuit. Varembonius partem magnam cladis Carolo Mansfeldio imputabat: nam is quoque adfuerat, ſub ipſum pugnæ tempus adductis e Bommelienſi inſula cohortibus: poſthabitusque nuper, eundem cum honorem ambo peterent, deſeruiſſe nunc æmulum ferebatur. Tuto poſt hæc itinere victores vehicula cum copiis ad obſeſſos perduxere: qui & ipſi ſtationes proximas feliciter irruperant. Regreſſi per ignara hoſtibus periculum fallebant. Nec tamen incluſos adauctæ hoſtium vires terruere, antequam caſtellum propter Reſam, ſubſidium commeatus, vadoſo flumine Hiſpanos irrupit. Tertio poſt hæc menſe in annum alterum hyems egrediebatur, cum haud diſſimulantibus Batavis, nullam ſibi militiæ copiam, qua tantis ſpatiis divulſos juvarent, ad ultima ſe conſilia applicuere, pacti haud indecentia. Retinuitque Bercam Parmenſis, quomodo Bonnam & Noveſium, Cliviæ etiam urbibus inſidians, inter Principis ſenectutem, & empta potentium ſtudia. Ita præſidiis, aut per addictas poteſtates Arnhemo tenus Rheni potiebatur. Neque vero Aquægrani libera imperii Germanici civitas ſalvam habuit pacem inter arma, cum Philippus veterem apud Brabantos principes ejus urbis tutelam ut dominationis nomen interpretaretur, edicto proturbans incolas, qui Romana ſacra profugerant. Sed redemta ab regiis ducibus mora, contentique agrorum raptu, urbem diſtulere, donec multos poſt annos vis partium in Germaniam verſa & hoc in ſpeciem juris obtendit. Dum ad Moſam Rhenumque exercitus, inter congreſſa paſſim præſidia pugnatum, multa Mauritianorum præda. Nam & in hoſtilis regionis intima eques ignibus graſſabatur, & obvios commeatus trahebat fuſis defenſoribus. At mari crudeliores occurſus, quia Batavi hac parte virium potiores ſolita inter pares belli commercia, & jura captivitatis diremerant. Futuri hoſtes ſi tantundem pollerent, per furta navigantibus infeſti, prædones vocabantur. Hinc irritati crebris ſuorum ſuppliciis Flandri, & qui Batavis e claſſibus (ut ferox eſt genus) ſceleris alicujus conſcientia transfugerant inermes navium, cupiditate ultionis & prædæ, validiores etiam deſperatione terrebant. Sæpius accidit, ſemel memorandum, quia priſca facinora adæquat, pars ut altera alterius navigiis circum-

Victores Bercæ auxilia inferunt.

Berca Parmenſi dedıtur. Cliviæ quoque urbibus inſidiatur.

Inter præſidia interim utrimque alibi pugnatum.

At mari crudeliores occurſus.

1589. venta pulvere tormentario ſeque & hoſtem incenderit. Tanta eſt cura vitam deſperantibus non inultos mori. Hoc primum tempore, quæ hactenus alienis tumultibus quieverat, bellum ſibi reponi ſenſit Hiſpania. Nam Angli aſſumtis Batavorum navibus & milite, Gallæciæ maritima temere adorti, deinde Antonium in regnum reducebant, fixis ad Vlyſſipponem caſtris.

Angli Hiſpanis bellum repoſituri Antonium in Luſitaniam reducunt,

Naves Regina de ſuis attribuerat ſex: cæteræ erant centum & viginti, queis Draco imperabat, pediti Noriſius, ſpem prædæ inter ſe partiti. Tanta ſucceſſuum initia, ut jam Albertus Auſtriacus Philippi nomine urbi præſidens fugæ ſe pararet. Sed privatorum conatus erat, inde per incerta obſequii, & rerum neceſſariarum exiguo proviſu, & potus quoque intemperantia morbis graſſantibus, incertum reliquere, Luſitanorum ſtudia & opem a Mauris vane promiſiſſet Antonius, an ipſi feſtinato abitu corruperint. Nec auditi Batavi, qui arces ſe maritimas regnique aditum ſervare paratos oſtenderant. Ut ſoluta obſidio, ſtatim qui res novas ſperaſſe convincebantur ab Hiſpano ad ſupplicia rapti.

irrito eventu.

Ab Anglis nihil actum ultra, niſi quod receptu non laceſſito, & irruptis impune caſtellis, apparuere invalida Hiſpanici imperii: & direpta mox obvia claſſe Germanorum Balticis e civitatibus, occaſio gentibus data eſt per legatos inter ſe & ſcriptis certandi, an copiæ quibus pacati populi hoſtem juvant, rite in prædam venirent.

Gallia interfecto Henrico tertio in partes venit.

Sed & Gallia in partes adſcita miſcuit cauſam, poſtquam Guiſium aperte defectionis autorem Rex interfecerat, ipſumque mox Regem percuſſor monachus, ultimum Valeſiorum ſanguinem; & in utriuſque ultionem arma capiebantur. Francicis non dubie moribus ad Borbonios pertinebat ſucceſſio: ſed caput gentis Henricus Benearni princeps e regno Navarræ vix quicquam præter nomen uſurpans, ut quod jam olim Hiſpani interceperant, profeſſus Reformatam, quam vocant, religionem, etſi utrique ſectæ jus æquum pollicebatur, traxerat nobilitatem, excluſus oppidis.

Ejus ſucceſſor Benearni princeps,

Verſaque rerum facie apud Romanenſes culpa defectionis, penes alteros regium nomen conſpiciebatur. Nec ſuo Philippus exemplo territus eſt, quo minus Meduanium (Guiſii is frater duplici pietatis obtentu utebatur) non occultis jam opibus, ſed palam auxiliis firmaret, ut interjectum ſibi & Belgicæ regnum, atque olim utrinque metuendum, occuparet diſcordiis, ſi adeſſent ſucceſſus, ſuorum alicui fiduciariam potentiam traditurus. Iſabellam quippe filiam oſtentabat Henrici ſecundi

Ne regno potiatur Meduanium Philippus auxiliis firmat.

ſecundi Galliarum regis e filia neptem, digniſſimam quæ regno imponeretur, vel ob paterna merita, vel ob maternum ſanguinem, eoque juſtius, quod Britannia Armorica, ut alia quædam Galliæ, fœminarum imperia etiam antehac noviſſent. Parte alia Sabaudus gener prolatis finibus aperiebat Alpes. Accepto nuntio, Lamotam miſſu Parmenſis cum equite & cohortibus in Galliam proficiſci, pecuniam Borbonio & quatuor Anglorum millia Regina transmiſit: nec Fœderatarum gentium Ordines auxilia ſegnius decrevere. Miſſisque navibus cum alimentis & quæ bello idonea, pecuniam addidere, liberalius quam pro rerum præſentium anguſtiis, ob ſpem futuri. Id vero magnificum & leniendæ libertatis invidiæ fuit, Reipublicæ opibus Regnum juvari: nec minus utile eventu, & hoſti exitioſum, dum Walonicæ gentes expoſitæ armis, quibus olim cauſam dedere, pari malo affliguntur; ſuus ſive Gallicus miles aſſultaret. Deinde vires Hiſpanorum Gallia retentante vincendi tempora Batavis patuerunt; auctique limites, ærarium, copiæ octo per annos, donec Borbonius, ſua virtute, perduellium turbidis rebus, & ipſe tandem Romanam in religionem mutatus, cuncta partium ſub imperium accepit, poſuitque magis arma, quam priſtini fœderis memoriam. Conſequens videtur, quando rerum Gallicarum mentio incidit, ſcrutari, quantum humanis rationibus fas eſt, quomodo paribus cum Belgico initiis in tam diverſa proceſſerint. Nam olim conſtituta pace Philippum inter & Gallias eadem dominantibus ſententia, & mutuum fœdus, exſcindere religiones, quæ per bellum & impunitatem auxerant. Galli dein proceres inviſa Guiſiorum potentia, & ne deſpecti agerent, ut Belgæ contra Hiſpanos, uſi occaſione, multitudinem pro ſacris periclitantem in tumultus & arma civere. Sed diſſimillimi exitus: illic integrum obſequium, atque ita victrix Romana religio, ut alteram premat, non opprimat: hic abdicatum vetus imperium, ritus inſociabiles, & inter libertatem ſervitiumque diviſi. Cauſam putem, quod Lotharingi per ſe invalidi occulte, dein palam, modicas foris opes accepere, & quæ fortunam non facerent, ſed ſequerentur. Ita vis præcipua in præſcriptione regii nominis, aut vulgi ſtudiis erat, quæ munimenta non diu valent, ubi utilitatis experimentum contra eſt. At Galli unius populi reges totas intra ſe vires habent: ita ſæviendo minuitur imperium, & quicquid ultioni impenditur ipſis perit. Ne plebs quidem, quan-

1589.

Lamota a Parmenſi cum milite in Galliam mittitur.

Angli Batavique Borbonio auxilia mittunt.

Qui cuncta tandem ſub imperium accipit.

Gallicorum motuum cum Belgicis comparatio.

1589. quantumvis infenſa ſacrorum diſſenſu, poſtquam belli mala ſenſit, vindictæ quam quietis cupidior. Hinc properata toties pacis edicta, toties turbata, fractis jam populi ſtudiis, ut bellum ponerent magis, quam pacem ſervarent. Longa arma pertæſi in vim & perfidiam impulſu quam obſtinatione ferebantur. Et ſueti regno prius componi potuerant, ſi rex unus, egregius pacis bellique artibus, ſeſe & jura ad vires partium temperaſſet. Novi dominationibus, ætate rudes, diverſa per vitia diſcordias aluere, dum fervidi ingenio, aut per luxum ſegnes; rapiunt cuncta aut remittunt; ea tantum quietis mora. Contra Hiſpani regem nacti eadem volentem odio Belgicæ libertatis, & qui rerum uſu inſeneſceret, tantis extra viribus, ſolitudinem Belgicæ non metuebant, proviſis non Italiæ modo, ſed Americæ exemplis, ut colonias facerent, ubi provincias non poſſent. Superbia, avaritia, crudelitate gentis peregrinæ offenſi, etiam qui in Romanas cæremonias nihil peccaverant, donec nonnulli circumventi ſimulatione rerum meliorum, cæteris documentum fuere, ut contumaciter odia exercerent, diffidentia pacis, quaſi quæ tegeret ultionem. Ita bellum non inclemens minus quam ſunt civilia, durat tamen ut externum. At per Friſiam Wilhelmus Groningam urbem, impar majoribus conatuum, frangebat inopia, munitionibus per agrum irruptis, Rheidaque opportuni ſitus peninſula ad Amaſium flumen, & ſinum maris, a fluctuum rabie Dullartus qui dicitur. Verdugonem urgebat ſuper hoc malum ſuſpecta civitas, quia præſidium recuſaverat. Inde aucti, hic novo peditum delectu, Naſſavius equite, mutuo metu vel audendi occaſionibus annum ſequentem continuavere.

HUGO-

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS

LIBER SECVNDVS.

SVMMARIVM.

Dolo navis ceſpites vehentis Mauritius Bredam capit: Parmenſis fruſtra eam recuperare conatur; ejus juſſu Nordamum nullo oppugnatur ſucceſſu. Mauritius Vorenam munit, Cnodſenburgum molitur. Parmenſis Regis juſſu in Galliam ducit: illo abſente varia Mauritius oppida expugnat. Germanis propter temeratos fines apud Parmenſem anxie differentibus ferociter reſpondetur: eorundem apud Ordines expoſtulatio; horum reſponſio. Fœderatorum repoſita expoſtulatio. Parmenſis ex Gallia redux multis angitur; militis ejus ſeditio. Aſcolitano cum copiis in Galliam miſſo Fœderati animos attollunt; Zutfaniæ objacens caſtellum capiunt. Mauritius Zutfaniam & Daventriam expugnat; Friſiorum rogatu in Friſiam ducit exercitum. Relicta Groninga captum Delphizylium munit. Parmenſis accepta a Mauritio clade Cnodſenburgi obſidium omittit; recrudeſcente morbo aquas Spadanas petit, ſeditioſos milites pacat. Mauritius Hulſtum capit, Noviomagum obſidet. Capta urbe ſummis populi gaudiis in Hollandia excipitur. Imperatoris Legatio Ordinibus ſuſpecta. Exitii Terraconenſium ex occaſione narratio. Parmenſis iterum in Galliam ducit. Fœderati Borbonio ſubveniunt. Groningenſium apud Parmenſem querela. Mauritius Vltrajecti & in Zelandia turbas componit; Stenovicum obſidet, vulneratur, oppidum capit; ejus in victos moderatio. Eliſabetha militem ſuum revocat. Depulſis Othmarſo Hiſpanis Covordium Mauritius obſidet, atque oppidum fruſtra obnitente Verdugone expugnat. Parmenſis tertium in Galliam proficiſcens moritur: de morte illius ſuſpiciones: ejus mores & elogia.

INcubitura in Friſios belli moles videbatur, ni capta Breda traxiſſet exercitus. Brabantiæ id oppidum jam olim accenſetur, fertili circum agro ad confinium Hollandiæ, & ſeptendecim vicis imperitans. Ab amne nomen; is Aa hactenus, in latumque editus mœnia perlabitur, mutato in Mercam vocabulo: & mox ad Septembergas oppidum in maris ſinum ſe immergit. Polana domus Baronum titulo ex emto tenuit; inde Naſſavia Engelberti matrimonio, cujus Henricus pronepos munimenta foſſasque addidit, & nobiliſſimam arcem, præſi-

1590. *Vrbis Bredæ deſcriptio.*

1590. præſidio ſimul & oſtentui. Belli uſus noviſſimis temporibus propugnacula, cæteraque arcendis hoſtibus, & a difficili expugnatione gloriam adjecerat. Dolum, quo capi poſſet, nauta monſtravit. Philippi Naſſavii impulſu (Iohannis hic filius, miſſus gentile in bellum, partem militis & pauca ad Moſam oppida regebat) Heraugerius Cameracenſis centurio, re æſtimata cum principe Mauritio, cepit audendi conſilium, Lambertumque Charlium, ſtrenuum militem, adoptavit in facinoris ſocietatem. Navis aſſumta fraudi, quæ ſolita partes inter commeare fide publica, ut alimenta ignium Bredam conveheret. Limus Hollandiæ paludibus editur, qui poſtquam ſolibus inaruit, ſciſſus in ceſpitem, ligni præſtat uſum. Nam bitumini ſulphurique par ingenium efficit incluſus terræ calor, quem ut alibi montium incendia, ita hic prorumpentes interdum flammæ prodiderunt; niſi proſtratæ olim ſilvæ, impulſu maris ac turbinum, poſtquam ſuperinducta humo putruere, mutata facie naturam retinent. Imponitur carinæ oblongæ lecta e cohortibus & promta in periculum juventus, numero ſeptuaginta, quos tenui interjectu tegerent ceſpites, diſſimularentque. Diu parum favit fortuna audaciæ, ut ſolent ejuſmodi conatus malis onerari, etiam quæ non metuantur. Adverſa vis venti, &, quanquam exitu hyemis, aſperum frigus; mox defectus ciborum, quos mora conſumſerant, prima tempora abſtulere. Nec ſilendum reor, has inter moras, rei quæ agitabatur, velut jam patratæ, perſcriptos ex Anglia rumores. Vbi refoverant corpora, & animos Heraugerius ſermone firmavit, miſſo ad Mauritium nuntio, qui proximam apud inſulam militem occultabat, haud procul Breda repetitum iter. Intra aquæ ſeptum, quod arcem propter eſt, pervectos, unde regreſſus non erat, nova calamitas terruit. Nam fluminis receſſu afflictus vado alveus, ſive glacies pertudit, oppleri undis cœperat. Ibi incluſi trepidare, ac deteſtari infelices latebras, madentes genuum tenus, donec æſtu levata navis nulla humana ope perfluere ultro deſiit. Explorandi curam, quaſi ex uſu magis diſciplinæ, quam quod neceſſe arbitrarentur, præſidii rectores ad minora quiſque officia relegaverant. Multorum per ſocordiam ad manipularem rejectum munus, qui, ſecurus exemplo jubentium, puppe leniter pertentata nihil ultra ſcrutatus eſt. Et forte evenerat, quod vix alias, ut tuſſim frigus nemini excuteret.

Navis ceſpites vehentis fraude Mauritius Bredam capit.

Rei geſtæ hiſtoria.

Servari

Servari meretur vox militis, qui præmetuens ne ſpiritu prorumpente ſecum cæteros proderet: Occidite me, inquit, commilitones; ne occidamur. Ipſi navem præſidiarii in arcem traxere, quod non ſatis ſoluta glacies aquas attineret. Inde alia rurſus incommoda, quippe admotum propius periculum formidinem expreſſerat, & in Heraugerium querelas, ut alieni pariter ſanguinis ac ſui prodigum. Pars omni projecta ſpe ſalutis tenebras non morari, ſed, quando moriendum eſſet, apertum cœlum, & hoſtem in quem caderent, poſcere; ne in illo ſuo carcere oppreſſi ad ſupplicia traherentur: torpere plures, nec tam ducis hortamenta ad virtutem & gloriam, quam deſperatio compulit cœptum exſequi. Ejecta pars oneris, nec ultra levata navis, ne inſidias nudaret, ſolertia nautæ laſſitudinem ſimulantis; cui & vox & vultus miram animi præſentiam præferebant. Media fere nox erat, nec illunis, cum educere viſum milites admonitos prius ad decus & præmia victoriæ; deſertoribus vero animoſi facinoris non vitam, ne mortem quidem honeſtam dari. Hauſtu ſentinæ averſæ hoſtium aures; ita exiere, quod mirum eſt, inobſervati excubitoribus. Pars militum prætergreſſi armamentarium obvios vigilum, dehinc cuſtodes portæ, qua in oppidum itur, intra ſtationem obtruncant: niſi quod auſus prorumpere ſignifer, & infeſto mucrone vulnus in Heraugerium ferens morte haud ignava procubuit. At Charlius, cui attributa erat manus altera, præſidium hoſtile in arcis intima compulit. Aquæ ædes ambiunt; has in ſpem noviſſimam retinebat Paulus Antonius Lanzavechia vice patris Bredam regens, juvenis, & belli artium rudis. Ipſum Odoardum Gertrudisbergæ, tres leucas diſtantis, munitio, & creditus illuc copias trahere Mauritius detinebat: quippe ſubmiſſi ſpecie exploratorum, qui falſo metu vulgato verum averterent. Nec levis error Parmenſis, qui uni duo oppida ſervanda commiſerat, cum vix ſingulis ſinguli ſufficiant; & bene meritis alia ſint ſine periculo præmia. Sed Paulus, ſi forte exiguam adhuc manum prælio exturbaret, denſo militum cuneo (ſex & triginta adſumſerat) egreſſus ponte hoſtem irruit. Vicere quibus vinci non licebat: multaque cæde ſaucius ipſe, qua venerat, refugit. Exaudiri interea per urbem pugnantium tumultus cœperat, & oppidani portas arcis irrumpere, ni Heraugerii miles proxima e porticu glandibus arceret. Tandem accepto rei bene geſtæ ſigno adeſt Hohen-

1590. Hohenloius cum parte Mauritiani exercitus, qui ſpeculabundi non procul ſubſtiterant. Cum portam glacies moraretur, ſeptum e palis tranſiere: nec diſtulit Lanzavechia, dedito quod arcis retinebat, incolumitatem paciſci. Secutus confeſtim Princeps & major altera exercitus portio, pedes turmæque, per arcis portas impreſſionem minabantur. Sed pavida civitas, & præſidio nudata, bimeſtri ſtipendio direptionem redemit: namque Itali, queis commiſſa oppidi tutela, (erant hi centuriæ peditum ſex, turma una) quorum officium fuerat aut pontem arci oppidoque medium abrumpere, aut averſas ab hoſte tenere portas, ad armorum ex arce ſonum exterriti, atque inter ſe jam pridem diſcordes, hoc facilius in fugam conſenſerant. Quod fere ejuſdem animi eſt, pavidi hoſtium, hoſpitibus inſenſi, nullo, dum oppidi potiebantur, abſtinuerant contumeliæ aut libidinis genere. Itaque deſertorum ſupplicio affecti, cum Parmenſis populare flagitium in ſuum quoque pudorem vindicaret, ſero ſceleribus pœnas ſolverunt; excepto Intemelio, quem adoleſcentia & nobilitas ſua ſupplicio exemit. Et Odoardus Lanzavechia, quaſi pœnam ſibimet irrogans, Gertrudisbergæ præfecturam a ſe abdicavit. Victor ingreſſus paternos penates Mauritius populum accepit in fidem & ditionem: preſſam ſtipendii ſolutione civitatem (& multo plures quam affuerant milites nomina profitebantur) dolens magis quam accuſans, modeſtia juventæ, & ne privata curare crederetur, quanquam ad centena florenorum millia creſcente ſumma, cum Parmenſi Antverpia quater centenis haud amplius pependiſſet. Tum Heraugerium præfectura oppidi, cæteros deinceps honoribus & præmiis attollit. Decreta & ab Ordinibus ſupplicatio, ac publica gaudii ſigna, utque nummi inſcripti primam ducis ac ſine ſuorum ſanguine victoriam teſtarentur, quæ poſtea mos ſecutus uſurpavit, quoties proſpera evenerant. Nec ingenia defuere, auſpicia Principis & non degenerem dolum celebrando: ita Trojam equo ingreſſos Græcorum proceres; ſeu vere talis effigies, ſeu navis inſigne fuit. Ipſius urbis fortunam comparabant, quam novem ante annis Altipenna abſentia præſidii, proditione vigilum, deinde oppidanorum ſtrage inceſſerat. Relictis centuriis quæ tuerentur, & turmis ad incurſandos Brabantorum pagos, diſceſſit exercitus. Simul convectæ copiæ illorum providentia, quos Princeps conſcios habuerat expeditio-

ditionis, longum in tempus ſufficiebant. Sed ubi in Germaniam Parmenſi nuntius advenit, feſſus ipſe tædio, an per conſilium armis abſtinens donec ex Hiſpania literas acciperet, ne agros impune raptari pateretur, Carolum Mansfeldium Berca reducem ire cum parte altera copiarum & claudere exitus jubet. Spes falſa acceſſerat, ineſſe paucorum dierum alimenta, & recenti obſequio fluxam oppidanorum fidem. Premebat latus Gertrudisberga; cætera Mansfeldius præſidiis ambit. Sed ventura Bredanis à tergo auxilia metuebantur: nam Merca Moſam influit, modicas ubi inſulas Mauritius milite compleverat. Ipſum igitur amnem, qua Bredam elabitur, ponte & caſtello clauſit; Terheidæ loco nomen. Dehinc milites Septembergas in ultimo ejus continentis, & invalidam arcem pleni irarum rapiunt. Nordamum reſtabat, ſupremus labor. Caſtellum id vacuis quondam temporibus ex humo ſitum cingunt foſſæ æſtu madentes, præſertim ubi aquilo impulit, & retro ductus agger; ripa ſcilicet abſciſſum, inſulæ in modum, Moſæ æſtuario alluitur. Mathias Hellius tuebatur, inclytus jam Bredani periculi ſocietate, & militum quantum ſatis e proximis inſularum. Poſtquam aliquot per dies tormentis nequicquam territaverant, pontes cæteraque ad incurſum parabantur. Simul immiſſa navis, & ſumma mali in corona armati qui propugnatores telis depellerent. Obſeſſi ubi adventantem conſpexere, ardentes ſcaphas contra deſtinabant, quod periculum ventus avertit, & applicuit ripæ. Vt propinquatum eſt, fluminis vortex circumactam navem in foſſam tulit; hærentem vadis retentant alii, pars faces ingerunt: ac miles telis dejicitur, pateſcens ad ictus, ac non quo voluerat latere objectus hoſti; ideo nihil hac munimenti obtenderat. Mansfeldius, ut multam ſuorum cladem & obſtinatam præſidii fidem conſpexit, nec minus adjacentibus inſulis arcebatur, non tam obſidium Bredæ quam proditionem ſperare: ibi fruſtra hærentem emiſſus oppido eques quotidianis præliis laceſſebat. Mauritius interea recollecto milite tenuis exercitus ductor (quatuor peditum millia erant, & rarus eques) in Geldriam conceſſit, velut Noviomago imminens. Sed machinamentum ſubitæ oppugnationi paratum, quo muri appenſo vi diſſilirent, ſucceſſus defecerat. Gallorum id repertum ex ære, pilei forma, cui incluſi cum pulvere nitrato globi & e ferro quadrantalia. Exin virium conſcius, atque impar

obſidio

1590.

Parmenſis Mansfeldium ad Bredam recuperandam mittit.

Mercam ponte & caſtello claudit; Septembergas diripit:

Nordamum fruſtra oppugnat.

1590. obſidio, quia proximis e locis arma & commeatus in urbem venerant, hæſit tamen atque eminus laceſſivit, ſi eo terrore hoſtem Breda abduceret; quod evenit. Nam poſtquam diu irritus obſidii uterque, Mansfeldius auctis copiis, quia validius præſidium civitas ob notam militis laſciviam aſpernabatur, propinquum laborantibus auxilium, Moſam inter Vahalimque conſedit. At Princeps, Batavorum intra inſulam continuit exercitum, & metu ne hoſtis flumen transgrederetur, diſpoſitis per Vahalim navibus, ripam quoque omnem præſidiis munivit a Rheni divortio adusque Moſam ei influentem, qua parte Vorenam inſulam Solmenſis (is datas a Mauritio centurias regebat) juſtis munitionibus caſtrorum in morem inſtruere jubetur. Perducta & foſſa e Vahali in Rhenum, qua, vitato Noviomago, ſubvectæ copiæ in Germaniam navigarent, additis aggeribus ad coërcendas amnium exundationes, Hollandorum maxime niſu & impenſa, qui ſecuritate ac commerciis juvabantur. Tutam per hæc ripam Mauritius obtinens, manſuram caſtris ſedem molitur exadverſum Noviomago; Cnodſenburgi nomen milites fecere: inde in urbem, quæ ex ripa clementer aſſurgit, & contra inſtruentes, vis immenſa globorum adigebatur. Sed qui caſtellum exſtruebant, noctem plerumque aut velum prætendere, ne ad ictus deſtinarentur. Major oppidanorum pernicies, quos turres, & eminentia operum irruebant. Nuſquam tuta habitatio: clauſum flumen; quæ per mala, inſueti bello, cupidi mercaturæ, ad mutandam fidem paulatim trahebantur. Sic apud Noviomagum exhauſta æſtas, cum Parmenſi interea ſumptæ iterum Spadanæ aquæ, ſimulque res ſecundiores nonnihil valetudinem firmavere. Nam Ricardotus continuus ſemper Ducis & conſiliorum particeps, ex Hiſpania literas retulit honorificas in Parmenſem, quæ, ſtabilita veteri præfectura, belli Gallici mandata continebant. Ita Regi viſum, pronum id putanti, ſive ut difficili certamine curas ejus diſtringeret. Contra Parmenſis ſuaſerat, relinqui ſuis diſcordiis Gallos, dum Belgica perficerentur. Sed gnarus ferenda ubi cœperis dominorum ingenia, neceſſitatem in gloriam vertit, offerri famam ratus & ultro auctam periculis. Nam in Hænoviam digreſſum, unde propius curaret, aſſequuntur nuntii, Evriaca acie ſtratum cum auxiliis Egmundum, & jam premi Parrhiſios victore exercitu. Nec diu, cum Meduanius ad ſocianda conſilia accitus

A Mauritio Noviomago imminere viſo Breda abducitur.

Vorenam Mauritius munit:

Caſtellum exadverſum Noviomago molitur.

Parmenſis belli Gallici mandata a Rege accipit.

tus fortunam partium coram teſtabatur. Poſtquam de ſumma belli ſecretis ducum colloquiis deliberatum eſt, Parmenſis exeunte æſtate regii exercitus ipſa robora in Galliam duxit; novi e Germania delectus ſequebantur, & quæ Hiſpanorum manus Cortraci & Menenii ſeditioſe admodum egerat: ſed ante abitum partem ſtipendii oppidanis expreſſere, reliquum a Rege numeratum eſt; inſtitutumque tunc exemplum quod manſit poſtea, ut ſcutatus militi in decem regales imputaretur. Cohortes univerſæ duodecim millia, tria equites confecerant. Petro Erneſto Mansfeldio ſummæ rei per Belgicam cura: reliquiæ militum Carolo ejus filio permittuntur, & juſſæ in præſidia referri, ne quod amoto ſubſidio diſcrimen adiretur. Hæc ubi percognita, miſit Mauritius usque Germaniam, qui vacuæ agrorum poſſeſſioni inſiſterent. Captæ munitiones, quibus Hiſpanus ripam & aditus itinerum obſidebat: exciſaque opera hoſtibus ſita pacato in ſolo ad Rhenum Moſamque. Aliæ manus, ut cuique proximum, e Brabantia Flandriaque prædas petebant, intima illapſi: nec vici tantum, ſed infirmiora oppida per vim irrupta deſolabantur. Per autumnum ipſe brevi tranſcurſu, quæ anno priore ſecundum Moſam, & circa Bredam nuper Mansfeldio dedita, recuperavit: eruitque minus idonea. His Stenobergam paternum oppidum annexuit, inclytum quondam portu: nam Merovæ diverticulo adjacet; mare & bellum exitio fuere. Certatum & navibus feliciter, quæ adverſus hoſtes regis Galliarum Normanniæ littora præſidebant. Nec omiſſi aſtus. Mauritiani Dunkercam, pelago nocentem, navibus & ſcalis petivere. Lochemum ex inſidiis Hiſpani: utrumque præcognitum. Multus hoc anno rumor parari Germanos in bellum & ultionem finium, quos vicina arma temeraverant. Iam aggregari partibus, deſcendere in cauſam, ut cuique conſcientia & hoſtis odium inerant, per opem aut contemptum interpretabantur. Nam Hiſpanus miles extrema Friſiæ obtinens Transrhenanos agros villasque vaſtabat: nec his modeſtiores, quos Geldrica præſidia Cliviæ & Iuliaco circumfuderant. Quin ſuppoſita prædæ, quamvis ulteriora, captis arcium perfugiis, urbibusque. Tum inſecuti Batavorum equites premebant hoſtem, licentiam imitabantur. Ita circumventi fiducia pacis & belli cladibus concilium indixere. Vbi longa cunctatione, ut mos gentis eſt, conſilia trahendo, interdum & minis, remedia

1590.

Exercitum in Galliam ducit.

Mansfeldio interim ſumma rei per Belgicam commiſſa

Mauritius abſente Parmenſi varia oppida expugnat.

Rumor Germanos in bellum parari propter temeratos fines

Concilium indicunt.

1590. magis quam mala differebant. Decreta ad extremum legatio quæ expoſtulatione fungeretur, deponique aut ſiſti intra certantium terminos bellum juberet. Apud Parmenſem, quo tempore Gallicum iter aggrediebatur, anxii diſſeruere: hoc ille ferocius reſpondit, ſolitus alioquin id genus querelas ambiguo ſermone aut rejiciendo eludere. Pluribus finitimorum cladibus veteres gentium diſcordias ſtetiſſe; nec enim belli modum ducis in manu: ſed quomodo incendia, & aquarum eluviem, cæteraque naturæ aut fati mala, ita præſentes temporum neceſſitates ferrent potius, quam ferendi impatientia irritarent. Cæterum ſi prior hoſtis excederet alienis, & ſe, quæ Germanici eſſent ſoli, redditurum; modo ſalva eſſet Regi pecunia, quam bello Agrippinenſi expenſam ferret. Cogitarent interea, ſi quid tolerandum ſit, mereri hoc priſcam religionem, cujus gratia in Germaniam ultro accitus eſſet. An vero dubium coalita libertate quos ſpectet exemplum? feroces jam dudum populos ſpeculari vicinos exitus, & ſuas vires, ut proximum quemque principem & invalidum faſtigio devolvant, quando tantum in reges liceat. Orandam potius bonam fortunam, ut quos penes armorum culpa ſit, præliis aut pœnitentia victi reſumerent obſequium. Id brevi futurum, ſi interſciſſo undique commeatu ſuis anguſtiis damnentur. His verbis dimiſſi Fœderatas gentes confidentius ingrediuntur, & audacioribus poſtulatis. Nam reddi Gravewartam inſulam, quæque alia ſuis in finibus tenerentur: deinde incuſtoditos tranſitus, exonerari Rhenum Amaſiumque Germaniæ amnes terrore claſſium & vectigalibus imperabant. Ad hæc Ordines, ut æquiorum ſtudia ſibi adjungerent, turbatæque pacis culpam ſibi aſſignatam in hoſtem amolirentur, orſi ab inquiſitionibus & cruciatu, exutos antiſtites, ſtragem nobilium, oppreſſam plebem, cæteraque ſervitii mala enumerant. His, inquiunt, injuriis compulſi ad arma, non aliud tam longo difficilique bello quærimus, quam ut ſanguinem noſtrum ab iſta ſævitia, uxorum virginumque corpora ludibrio arceamus. Ea ſpes, is finis armorum; neque noſtra paupertas cuiquam invidioſa eſt, non magis quam fortis Helvetiorum libertas vicinis metum facit. Illos timere & eruere æquius, raptores Orbis, quos non Americæ ſolitudines, aut Bæticorum Belgarumque cædes, non Luſitaniæ & per Italiam ſervitus ſatiaverit. Quomodo belluæ feræque piſcium & gregum præda paſcuntur,

Apud Parmenſem anxie diſſerentibus ferociter reſpondetur.

Quo audacioribus poſtulatis Fœderatos aggrediuntur.

Ordinum reſponſio.

ſcuntur, ita magna ſemper imperia minori poteſtati exitioſa 1590. ſunt. Adeone igitur obſcurum, quorum nunc cum maxime fraudibus ſollicitentur Angli, deſciſcat Hibernia, armatæ in regem Galliæ ruant? Sedent & inter vos qui emti pretio jubeant quicquid Hiſpano conducit. Etiam qui odere, metu obediunt, quomodo Indorum apud populos pravi Genii coluntur, tantum ne noceant. Ille Cliviæ urbes impune proditionibus petit: traduntur ultro aliæ in pignus ſocietatis & accepti ſacerdotii præmium: ubi fida ſceleribus receptacula, & tot rapinarum ſinus. Opulentiſſimus dominorum flagitanti ſtipendia militi vos monſtrat, totæque cohortes & alæ Germaniæ tributis ſaginantur. Nos illud nunc contendimus, ne pari in cauſa diſparem fortunam patiamur. Nobis, ſi cui unquam populo, cura eſt ſolutis ad diem ſtipendiis innoxium habere atque inturbidum militem. Teſtantur edicta, & ſupplicia in legibus ſontes, quatenus bellum regi poteſt, parci quieſcentibus. Tantum ignoſcite, ſi quando plus militi, quam rectoribus licet. Priſcam Batavi fidem vel in ſejunctiſſimas nationes etiam inter arma ſervavimus: nedum Romanæ olim potentiæ ſocii & clientes, conſanguinei Germanorum, magnam parentem, quæ duces nobis, quæ virtutes ac verum libertatis exemplum ſuppeditat, perfidia violemus. Gravewartam jam ante bellum & impenſas certati juris, ut cujus inſulæ ſummum imperium Geldrica ripa ſibi vindicet, tuendis finibus, non in cujusquam injuriam retinemus. Cæteris oppidis aut caſtellis, etſi erepta hoſti jus pacis perdiderunt, ea ſponte cedimus, ut quemadmodum vis ab Hiſpano cœpit, ita juris penes nos initium ſit & exemplum. Onera commerciorum quæ noſtros per fines eunt, non gentibus vicinis quam civibus graviora ſunt; extorſit bellum; quod alta quoque pace validi principes uſurpant. Tollere præſidia navium, cum hoſtis undique amni immineat, intutum. Proſint potius commeantibus, & vos pariter nobiſcum tegant. Introducta per eos dies & Coloniæ Agrippinenſis, & Leodiorum legatio. Vtrique populo antiſtes Bojoarus. Igitur Patres, ſegregata a ſe cauſa Truxiani certaminis, multa dequeſti in antiſtitem, cujus inexplebiles cupiditates Hiſpanicis opibus niterentur, Agrippinenſibus tutum ſpondent otium, ſi medii partium æquarent ſtudia miſcerentque. Leodiorum non eadem conditio: prope hoſtilia auſi, & pertulerant. Objecta illis ſupplicia

Agrippinenſium, & Leodiorum ad Ordines legatio. Patrum reſponſio.

1590. plicia inſontium religionis crimine. Deinde Hiſpanis cum cætera Belgica indiſcretos haberi: ita palam ſtatui hyberna, exigi æſtates, quæ, ſi non plane volentibus, certe tolerabantur. Sperare amicitiam ubi ſic mererentur, atque interea juſſi captivos abducere. Hæc longius evolvere haud abſurdum fuit, ut quæ ad vicinas civitates belli ratio, quis pacis modus, noſcantur. Neque enim poſt hæc abſtitum rapinis & injuriis, ut quæque gens pavore periculi, inderdum & ſponte, huc aut illuc inclinaverat. Vix unquam libera armis itinera, dum hoſtem utrique velut fugaturi hoc ipſo trahunt. Ita repetitis ſæpe legationibus eadem, dicta, auditaque Iam Batavi tradiderant munitiones, ſane longius ſitas quam ut facile defenſarentur: ſimul ut Hiſpano invidiam, &, ſi poſſent, bellum concitarent. Nam ille nihil horum præſtare, quæ nuper convenerant: & erant in concilio Germanorum, qui in obſequium abnuentes vim & arma poſtularent. Sed principes alii & antiſtites, ſocietate Latinæ religionis, aut propius devincti, prolatandis conſultationibus & ſpe Belgicæ pacificationis, impetum fregere. Miſſi a Fœderatis gentibus, qui prodi ſe perfidia hoſtium, amicorum ignavia, quererentur. Omiſſis a ſe belli præmiis, Truxio in privatum recondito, impune adhuc Philippi ſignis Rheni urbes poſſideri. Nec obtinuerunt tamen quo minus Imperator, pro armis in Hiſpanum, adverſantes ipſos ſuſpecta pace quotannis obtunderet. Fine anni regreſſum Parmenſem, quanquam liberatæ fœdam poſt famem Lutetiæ, & infeſta inter agmina reducti exercitus gloriam deportabat, angebant multa, inviſus, ipſe & miles Gallorum vulgo, nec acceptantes præſidia civitates externi ſervitii metu: hinc ſummæ ſpes Philippi irritæ, & parum certa ſocietas. Hoſtiles per Belgicam excurſus, capta munimenta; Verdugoni in Friſia capto Ementillo, caſtello modico, cætera infelix bellum, & ibi quoque miles ſeditione haud longe. Terrebant & Venloæ oppidani (Geldriæ ad Moſam locus eſt) qui tædio malorum cum duplici præſidio affligerentur, Italum Germani militis opera, dein validiores hunc quoque exegerant. Quin & novata ſeditio crudeſcebat, ex quo Mansfeldius feſtinato per Germaniam delectu, ut Mauritii progreſſus coërceret, auctoramentum recenti militiæ comparaverat, exinanitis aliorum ſtipendiis. Vetus belli erat is miles, atque hoc pertina-

Fœderatorum expoſtulatio.

Parmenſem ex Gallia reducem multa angunt.

Militis Parmenſis ſeditio.

tinacius furebant. Inſeſſoque Herentalio & vicinis Brabantorum oppidis, hoſtilem in morem regio, Campana nomine, vaſtabatur: tum ſi quis reſiſteret, ſtupra, cædes, nihil illiciti. Ita vexatis agris minus in dies ſtipendii, & plures qui poſcerent. Sed ſpargi debuiſſe munitas in urbes ſuſpectum militem, permixtum tyrociniis, Parmenſis aſſerebat; ſerum poſt rem conſilium, & quaſi transmoto crimine inane ſolatium publicæ infelicitatis. Nam & plures aggregabantur, qui feſſi duro atque inopi itinere felix otium & negata præmia manu rapiebant. Sed cohortes nonnullas Parmenſis apud Meduanium reliquerat: rurſusque alias ejus precibus conceſſas jubetur princeps Aſcolitanus in Galliam ducere. Hunc in modum diſtractis hoſtium viribus, dumque inobſequens domi miles, aut bello novus, etiam anni prioris ſucceſſibus animos ſuſtulerunt Fœderatæ gentes, ut, quæ vix trepide hactenus fines ſuos tuebantur, arma ultro inferrent. Quidam exſpectari ſuaſerant, donec in Galliam abiiſſet Parmenſis; potius aliis viſum rapere occaſiones: ſi nihil aliud, Parmenſis in Galliam impediri conatus, ſatis magnum operæ pretium fore. Nec longa dubitatio, unde placeret inchoare fortunam; quanquam enim Friſiis ad ſe vocantibus, plurimum intererat liberari Iſalam præſidiis Hiſpanorum, quibus ager Geldriæ Velavus, & Trajectinus, quique proximi Hollandorum, incurſionis metu vectigales erant; quod ab Arauſionenſis temporibus perpetuo agitatum, vi hoſtium aut ſua infirmitate omiſerant. Vt primum pabulandi tempus advenit, & deſcriptis inter ſe ſtipendiis numeros expleverunt, Franciſcus Verius (hunc Anglis omnibus Regina præfecerat) Duſoburgum præmittitur. Ejus e manu pauci agreſtium fœminarum habitu & mercimoniis, velut hoſtem adventantem fugerent, ingreſſi munimentum, quod amne diſcretum Zutphaniæ objacet, arma veſtibus occultata in cuſtodes expediunt, partim ſuis ipſos telis, incautos primum, tum pavidos ſauciant, capiuntque. Pridie caſtellum Verius occupaverat, quam copias eo Mauritius tulit: octies mille pedites, alæ duo millia effecerant. Aderantque cuncta oppugnationibus idonea, & lecti e Senatu, conſilium & ſocii curarum. Sed apud hoſtem prævenerat fama, Brabantiæ urbes, aut Gertudisbergam peti, quia paucis ante diebus capta ejus regionis caſtella aggereſque miles inſederat. Iuvit errorem Princeps, dubio primum itinere, velut Moſam

1590.

Parmenſis Aſcolitanum cum cohortibus aliquot in Galliam mittit.

1591.

Fœderati occaſioni intenti animos attollunt.

Verius aſtu Zutphaniæ objacens capit caſtellum.

Mauritius cum exercitu accedit.

1591. ſam intraturus. Sed ſubito in Rhenum flexu ad Iſalam vertens, obvium illic habuit Wilhelmum, & duo millia Friſiorum deducta præſidiis. Simul e Verio & captivis cognoſcitur, teneri ripam: hoſtem hac ſecurum, alibi pavere: ideo non urbi firmatum præſidium, non alimenta niſi paucos in

Zutſaniam obſidet. dies. Priuſquam commeatus & ſubſidia adventent, opprimi incluſos poſſe, haud plures ſexcentis armatos, nec multum paganæ manus. Nam oppidanos jam olim pleroſque profu-

Falcoſteinius occiditur. giſſe militares injurias. Primos inter paratus, comes Falconſteinius, Truxianorum ducum ſupremus, occubuit; dum quoſdam hoſtium refugos, in urbem avidius ſectatur. Sed vindicatum corpus, ereptumque ludibrio. Imponuntur flumini naves anchoris deligatæ, pontis in morem, quæ diſpoſitas per utramque ripam ſtationes inter ſe connecterent: dehinc juſſi alii immunire viarum præſidia, obliquatas alii in artem foſſas producere, quo terræ objectu tuti adverſus tela defenſorum mœnibus ſuccederent; nox operi aſſumta. Triginta numero tormenta nautæ, quorum exercita maritimis miniſteriis alacritas magnos ad bellum uſus habet, equis citius, in continua urbis & modicam fluminis inſulam rapuere, ut munimenta, qua amni ſiditur, neglectiora, diverſis ictibus quaterent, traherentque. At in urbe, quanquam perculſi improviſo metu, circumcurſare ad omnes hoſtium conatus, obſeptaque porta adaugere aggeres, & novos interius ordiri. Ter excuſſa quot erant tormenta, (ita mos habet militaris) cum miſſi a Principe caduceatores extrema

Zutfania Mauritio deditur. minantur, ni veniam accipiant. Negatum orantibus ſpatium conſultandi. Tum conſcii multarum rerum penuriæ, & quam pauci iſtam mœnium amplitudinem tuerentur, incolumem ad ſuos exitum pepigere; oppidanis facta manendi poteſtas: leges ritusque in morem Fœderatarum civitatum. Quo fine & in poſterum transactæ obſidiones, nec toties iterabimus. Feſtinatam deditionem Hiſpani incuſavere, atque ideo qui præfectus fuerat, Loukemannus nomine, dum Parmenſis vixit, aula amotus eſt. Quinta die quam obſideri cœperat Zutſania in poteſtatem venit,

Ejus ſitus. egregio ſitu. Nam Bercola amnis ſecat, Iſala prælabitur, Weſtfaliæ e fontibus, ſed Rhenum acceptans, Druſi, ut creditur, opere. Ipſa affinibus cum oppidis agroque ſuis olim principibus paruit, qui Comites vocabantur; manetque diſcretum ditionis nomen, etſi in corpus Geldriæ coaluit, non

tam

tam loco, quippe trans Rheni alveos ſita, quam principum connubiis. Eſt in eadem ripa Daventria, libera jam olim Anſeatici fœderis civitas, & ſub jure pontificum Tranſiſalanæ regionis caput. Huc poſtquam rapido itinere deſcendit exercitus, ipſo aſpectu dubitatio circumſtitit. Terrebant egregia urbis munimenta, auditumque præſidium, centum equites & peditum vexilla quatuordecim. Aderat Hermannus comes Herenbergenſis hortator, monſtratorque virtutis, Mauritio ipſi propinquus ſanguine, quippe amita natus, & hoc magis invidens devincti ſui gloriam. Super cuncta Parmenſis excire jam copias, & inhærentes obſidio turbaturus timebatur: unde ancipitis prælii aut turpis fugæ neceſſitatem fore. Captaque jam Zutfania ut ſperantibus incitamentum erat, ita aliis monendi cauſſa, ne partam famam periclitari mallent, quam ſervare in uſus certiores. Contra afferebant ex urbe profugi, diſcordem militem, non incluſæ turbæ victum in longam obſidionem ſufficere, ne pulverem quidem, quo tormenta incitarent. Quo comperto, media placuit ſententia, ut, caſtris propere munitis, flumen & viarum aditus clauderentur, ne quis adventantis auxilii nuntius penetraret. Quod ſi durarent hoſtes, ſatis fore ut inſeſſi præſidio ripis trajectu in poſterum arcerentur, quæ & ante ſumptam expeditionem conſilii ratio fuerat. Continuatis machinarum ictibus, ubi nonus dies illuxit, Mauritius, tentandis obſeſſorum animis, ante mœnia oſtentat aciem. Tum naves in alveum, quo amnis urbem allapſus excipitur, prono amne rapi jubet. Has, quia remis adigi propter anguſtias non poterant, ſub ipſis mœnibus teliſque hoſtium tractas manu nautæ deligant, egregium auſi facinus, & pleriſque exitioſum. Locatis ipſo incili navibus, impoſitoque ponte, impetum & oppugnationem ſibi quiſque depoſcere, deſuetæ prope virtutis opera, & pulcrum in ore Principis certamen. Inſultantium properatio turbavit rectores operis, atque ipſe pons, juſto brevior, aggerem uſque non pertigit. Murus hac in parte juncta cum turre partim ictibus ceſſerat; pars fornicibus adhuc, (ea vetus ſtructura eſt) & ingeſto aggere ſuſtinebatur. Lecti qui præcurrerent, &, ſi daretur, in loco ſe communirent, pars merſi, pauci ſaltu oram tenuere. Signiferi memorantur duo æmulatione gloriæ, quorum alter ſupra mœnia confoſſus eſt, alter ſui & interfecti ſignum deportavit. Sed magis obſeſſos tormenta fatigabant.

1591.

Mauritius ad expugnandam Daventriam cum exercitu deſcendit.

Ejus præfectus Hermannus Herenbergenſis.

Vrbis oppugnatio.

1591. Stabant tamen pro muris vino ad temulentiam ſaturi: imprimis comes Hermannus, plusquam neceſſe fortis, purgandæ fidei famæque. Nam Hiſpanus quidam colluſuros inter ſe cognatos dixerat: nec diſceſſit antequam denſa vis glandium attacto caliginem ob oculos offudit. Nocte, jactis facibus, defenſus ab incendio pons. Ubi illuxit, ſobriis conſpicua hoſtium acies & pons integer, & cominus iterum pugna animo obverſabantur. Intulerantque pavorem Zutphania emiſſi, qui vim hoſtium celebrantes ſuum dedecus leniebant. Unus deditionem Hermannus morabatur, qui tamen ipſe vulnere æger permittere jam poterat, vetare non poterat. Igitur relictos ad pontis cuſtodiam inclamant ut colloquendi poteſtas fieret. Convento Principe ſub ſignis, ita pacti, exiere: oppidanis victoris clementia pro pactis fuit; datique magiſtratus, non quot ſolebant ex legibus, ſed quot haberi receptæ apud Fœderatos religionis poterant. Apparebatque ut Zutphaniam, ita & Daventriam adeo non pro ſuis tenuiſſe Hiſpanum, ut ante obſidium ædes ipſas abſumſerit ignibus, non longe quamvis ſuppetente ligno. Stabant ante digreſſum innexi cervicibus cognati duces, ſuasque neceſſitates & civiles diſcordias fruſtra miſerabantur. Hermannus creditum ſibi negabat, tantas potuiſſe copias ab Ordinibus contrahi. Zutphaniæ præfectus ſub imperium Hiſpanicum redire formidavit, metuens acres accuſatores & infeſtos judices. Relicta captis in urbibus præſidia. Orabant Friſii tandem ſibi proſpici, narrantes pacem ſuam unius urbis pertinacia inquietari: paucaque oppida aut caſtella reſtare, ut omnis intra Iſalam & Amaſium ager ereptus hoſtium tributis Fœderi adderetur. Tantum primis ſucceſſibus ſpes increverat, ut, vix modica auſi hactenus, ſubito maxima quæque ſibi ſponderent. Summa celeritate ſuſceptum iter, & ne abductis copiis illac hoſtis irrumperet, conſcriptæ per Hollandiam cohortes jubentur Vahalim præſidere. Copiæ belli, atque impedimenta claſſi impoſita ex Iſala Friſicum ſinum & oceanum, inde usque Amaſium flumen pervehuntur. Miles levis aſſumto commeatu ac faſcibus paluſtri ſolo, in Tarantios ducitur, præmiſſis qui paluſtria camporum virgultis munirent: nam iter alterum, poſſeſſo jam olim Covordio, hoſtis abſtulerat. Nec deerant, qui prius occupandum Covordium dicerent, ne qua a tergo via hoſti pateret: poſſe Verdugonem, qui eam arcem ſervabat, machinis aut

Friſiorum rogatu Princeps in Friſiam ducit exercitum.

aut commeatuum inopia depelli. Sed diſceſſum ab hoc conſilio ob difficilem terreſtri itinere tormentorum travectionem, & quia ad Groningam minor prælii neceſſitas. Illuc euntibus plura inter incommoda occurrit palus ter mille quingentos paſſus in longitudinem patens; ſed innatans uligini ceſpitum cruſta primos currus pertulit, ſequentes hiante ſolo vix extracti, ipſis ducibus manum admoventibus, quo gratior militi labos accideret, paucisque horis inventus tranſitus, quem accolæ omnes deſperaverant. Omni vero itinere graves injuriæ militum in agreſtes nullo imperio prohiberi quivere, ob inveteratam licentiam. Raptaque & perdita, quæ multos in dies ſuffeciſſent, prope famem, atque inde ſeditionem, rem perduxerant, antequam naves commeatibus onuſtæ advenerunt. Quinta ad Groningam caſtra poſita, ibi fluxa vulgi adverſus dominantem fides ac civitatis diſcordiæ ſperabantur: elata ſupra verum illorum ſermonibus, quorum intererat huc verti exercitum. Et erant intus, qui fœderum meminiſſent. Sed premebat adverſæ factionis potentia. Verdugo præterea ad famam venientis exercitus, firmato præſidiis Stenovico & Covordio, reliqua cum manu Mauritium præverterat. Nec tamen admiſſus portis (id unum civitas obſequio exceperat) propriis ſe munimentis in ſuburbio tenebat, auxilio ſimul & terrori. Princeps haud ultra ſex dies cunctatus, metu, ne adacta civitate admittere intra muros præſidium ſpes in poſterum quoque corrumperentur, & quia audiebatur parare exercitum Parmenſis necdum peracto obſidio ſuperventurus, circumjectas munitiones, queis flumina & viarum aditus claudebantur, ſubverſa ſæpe & reſtituta longi per Friſios belli opera, ſubitus invadit. Ingens militum pavor, ut qui populationibus & furtis, quam bello inſueverant. Admotis tantum machinis pauci ulteriora tolerare: & quæ minus firma erant ante obſidium deſerebantur. Maximum caſtellorum (Delphizylio nomen) portu inclytum, ubi Fivela in Amaſium flumen illabitur, Groningano milite tenebatur. Iam olim loci oportunitas ſuaſerat munire ſe illic quicumque agri Groningani dominatum concupivere; cœperat & Albanus, ſed tempora obſtiterant. Hoc hunc Fœderati recepto ex tributis juxta colentium augebant opera, maritimum aggerem a vallo ſeparantes, inſtruebantque ædificiis, & Groningam, ni reſipiſceret, exhauſturi habitatoribus minabantur.

1591.

Itineris magna incommoda.

Militis licentia.

Caſtra ad Groningam ponuntur.

Princeps relicta Groninga circumjectas munitiones invadit.

Fœderati receptum Delphizylium ædificiis & munitionibus ornant.

1591. bantur. Simul interſeptos undique mutandam ad fidem inopia tentabat. Sed poſtquam Princeps abduxit exercitum, Verdugo irrupto quod e munimentis minime firmum erat, aditum urbi e Weſtfalia, Bortaniam patefecit. At Parmenſis in Zutfaniæ Daventriæque auxilium ſero excitus, dum hoſtem non credit eousque auſurum, & Hiſpani non pauci ob male ſoluta æra obſequium negant, mox contractas ad Moſam Rhenumque copias utram in partem verteret dubius, diſtrahere hoſtem magis in rem, an ultro inſequi magnificentius foret, quo minus Groningæ invocanti ſubveniret, vaſtitate itinerum deterrebatur. Nam interjacentes agros certatim ipſius & Friſiorum miles attriverant. Sic Noviomagenſium preces valuere. Quo poſtquam ventum, trajici amnem, & caſtellum quod priore anno Mauritius inchoarat, circumveniri jubet. Ipſe in urbe plurimum agere. Cnodſenburgi latus, quod in ortum obvertitur, Barlæmontius obſedit, alterum obtinebat Octavius comes Mansfeldius, quem jactus ab obſeſſis globus incidit peremitque; egregium animi juvenem, atque avidum periculorum & gloriæ. Tergum aliæ cohortes & eques ambierunt. Machinas Lamota facile admovit, juvante aggere qui ripa eminet. Hic poſtquam tormentis reſiſtere vallum, disjecta quamvis magna ex parte lorica, ne oſtentata quidem acie terreri obſeſſos videt, virgultis & ramalibus, non ſine clade congerentium, foſſam opplet, deinde ſubmittit qui vallum occulti ſuffoderent. Sed defenſores ſexcenti, imperitante Gerardo Iunio, magni animi viro, circumacti ad vim arteſque hoſtium undique inſtabant telis, & proſperis interdum eruptionibus cœpta turbabant. Iam omiſſa Mauritius Groninga Stenovico intenderat, cum, intellecto Cnodſenburgi obſidio, Wilhelmum tutandis Friſiis relinquit. Ipſe, rapido cum agmine apud Arnhemum ingreſſus inſulam Batavorum, obſeſſos ſignis firmat, inde & nuntiis, qui navigio & per tenebras inobſervati penetravere. Sed Naſſavianos apud duces diverſis ſententiis certabatur, periculum in aperto auderent, an tranſmiſſo Vahali amne, munirent ſeſe, commeatuque hoſtem exuerent, & quæ Noviomagenſi ripa machinæ conſtiterant traduci vetarent. Arduum utrumque & intutum: nam equitatu hoſtis non dubie prævalebat, cujus in pugnam aut petendos commeatus plurima vis eſt. Diremit ambiguos fortuna, quæ non minus ſæpe quam prudentia profuit. Nam Prin-

Verdugo Groningæ aditum e VVeſtfalia facit.

Parmenſem ei ſubvenire itinerum non patitur vaſtitas.

Cnodſenburgum obſidet.

Octavius Mansfeldius occiditur.

Iunius caſtellum ſtrenue defendit.

Mauritius obſeſſis ſuppetias fert.

Princeps cum Solmenſi & Verio proxime hoſtium caſtra advectus, flagrantiſſimas cohortium, turmasque occultat inter ſaltus viæ imminentes. Pars equitum longius progredi juſſa elicuit hoſtem. Tum ſponte refugi, tanquam multitudini cederent (nam decem turmis, quas inter ipſa Parmenſis prætoria, Itali plerique, proruperant) ſecutos trans rivulum pontisque impoſiti anguſtias traxerunt. Ita converſis ſubito equis, & exſurgentibus inſidiis, clauſi, fortiſſimus quisque in veſtigio, cæteri palantes occubuere. Paucis, dum ſigna vivosque homines & equos victores prehendunt, in ſua caſtra effugium fuit. Quo dolore Parmenſis, & procerum jactura, & vix ante tutam ratus moram hoſtili in ripa, omiſit irritam oppugnationem, vocari in Galliam præferens, nec ſummam imperii negligendam dum de caſtellis Batavorum certaretur. Perite ſarcinas præmiſit, transduxit exercitum, ſtructis ad amnem munimentis, queis Mauritiani arcerentur, ne coorti poſtremos invaderent: dehinc ut quisque trajecerat, adverſa in ripa juſſi conſiſtere venturis navibus præſidio erant. Sed digredientem civitatis indignatio excepit, pauci in adulationem compoſiti, plures minaci ſilentio; ferociores vulgi nec vocibus abſtinebant, queis velut ad conſpectum hoſtis adoleſcentuli veterem ducem e fuga retraherent. Graviter tulit contumeliam aſſuetus gloriæ animus; unde morbo recrudeſcente, cum filio Rainutio (is ex Italia recens paternum dolorem teſtis onerabat) Spadanas ad aquas iter exegit, præſentes inter cogitationes & memoriam prioris fortunæ. Miſit inde ad Hiſpanos Dieſtæ tunc extra obſequium agentes, quibus pacandis malo exemplo conceſſum, ut Tribunus Emanuel Vega, ſeverior quam quem corrupti milites ferrent, alio mutaretur. Dubium non erat Noviomagenſium multos reſpicere libertatem, poſtquam mala, quæ vix pollicitis & exſpectatione meliorum hactenus tolerabantur, deſperatio accenderat. Nam & ſex ante annos non conſenſu, ſed paucorum factione res Parmenſis proſperas ſecuti, cum jam imperium Fœderatarum gentium dies & cura firmaſſet, quibus invitis ſervitus, aut obſequium ſine affectu erat, tuta & profutura malebant; & commercium aliquod inter ipſos ac Batavos eſſe cœperat, permiſſis Vahali ire horum navibus, quas ſiccior tum forte Rheni alveus haud receptabat. Sed præſidio tres centuriæ; una externa, conſcriptæ intus duæ,

1591.

Decem hominum ſtudes turmas cadit:

Qua clade accepta Parmenſis oppugnationem omittit.

Noviomagenſium in illum indignatio.

Recrudeſcente morbo aquas Spadanas petit.

Seditioſos Dieſtæ Hiſpanos malo exemplo pacat.

Noviomagenſium multi libertatem reſpiciunt.

1591. dux, (plures enim recuſaverant) & ut quis partes optimatium graviſſime offenderat, vi acceptæ poteſtatis minax, auſuros coërcebant. Reſtabat obſidio, ni copiæ hoſtiles circa Moſam adhuc ſpecularentur; ea tantum mora, ſimulque Vahalis auctu immenſo aquarum pontis impatiens. Nec in longum tamen quies militi data in hiberna quanquam abducto, quo ſecuritas hoſtium creſceret. Sed ſubito Mauritius, fortunam ſecutus, partem cohortium e præſidiis revocatam Scaldi flumine terræ Waſiæ infert; eodem eques Brabantiæ campis penetravit. Ereptis circum munimentis, quinto die Hulſtum, ejus regionis oppidum, in deditionem cogitur. Perterruit militem præſidiarium (nam præfectus ipſe caſu ob res privatas ante obſidium exierat) res improviſa, & quod Princeps perfoſſo aggere, qui amnem adjacentibus ſuperfunderet, auxilia hoſtium tardaverat. Terra Waſia conceſſa populantibus, donec tributum pollicita Fœderatis obſides miſit. At proximi Belgarum, ubi quod agri uberrimum, & ſua alimenta ab hoſte poſſideri vident, digreſſo Mauritii exercitu, qui a Parmenſi in hoſtico deprehendi metuebat, Mondragonium arci Antverpiæ præpoſitum impellunt in arma. Is igitur proximo cum milite, & accitis, qui Moſam propter verſabantur, transgreſſus Scaldim, nec adverſus oppidum quiequam auſus (tuebatur enim Solmenſis, & opera ſolidabat) vicinas agri munitiones recuperat, aut novas ſtruit arctandis excurſibus. Ex eo qui agrum colebant tributum promiſſum negavere, plus hoſti clementiæ, quam ut innoxios in obſides ſæviret, haud falſo rati. Cunctis ſuper vota fluentibus, Princeps revocato iterum ex hibernis milite, vacuam hoſte Geldriam petit: ea in feſtinatione naves alliſas vado coactus eſt incendere. Mox Wilhelmi copiis (vexilla erant duodecim) auctus, intrat Vahalim, inſulamque cum ulterioribus ponte connectit. Caſtra utrobique præmunita contra vim externam. Pars oppidi ſuperior, qua muri ab aggere nudiores, oppugnationi placuit: & quia trahi tormenta longum, nec ſatis commodum videbatur, urbem prævecta ſunt obſcura nocte. Ita per tenebras & incitis navibus Noviomagenſium tela in irritum cecidere. Aliæ machinæ ex ripa adverſa trans amnem eodem jaculabantur. Primum animus & fides tuendam ad urbem abunde erat. Et nondum circumſeſſi ad Verdugonem miſerant oraturos, ne pericula ſua deſereret. Namque illi id temporis tutanda Geldria obvenerat, ſine copiis, ut

Mauritius interim Hulſtum capit.

Terra Waſia tributa extorquet.

Mondragonius vicinas Hulſto munitiones recuperat.

Noviomagi obſidium.

non immerito quereretur deſertas partes ſibi mandari. Exin quia defectura munimenta metuebantur, omnis ſexus & ætatis manus interiora vallaverat. Arx ea in regione non tam hujus ſæculi artibus invicta, quam veteris militiæ inclyta monumentis. Oppidani ad Iulium per Gallias militantem operis gloriam trahunt. Conditores urbis Cattos memorant, qui, profugi quondam patria, Rheni inſulam & proxima Belgicæ oræ cultoribus vacua tenuerint. Nobis vetera inquirentibus patet, neque Cæſaris, neque Trajani ævo, quo ſcripſit Tacitus, ullam hic urbem fuiſſe. In itinerum deſcriptionibus Romanis, quæ ad Antoninorum tempora referuntur, apparere primum incipit Noviomagum hoc ad Vahalim; cui palatium a Carolo Magno additum annales Francici nos docent; inſuperque id ipſum in cineres ſediſſe urentibus Normannis. Poſtquam Germani præpotuere, libera civitas, multumque imperatoribus dilecta ſedes. Quo vero tempore pontificum artibus ſciſſum Germaniæ imperium, partemque ejus Wilhelmus Hollandiæ comes obtinuit, & pecuniæ egeſtas ad nova commenta impellebat, Ottoni, Geldriæ tunc comiti, hæc urbs pignori data, ex eo jure annexa Geldris contermino agro & oppidis imperat, dives pace, nec ingeniis infæcunda. Vbi tormenta, & miſſiles ignes, occultaque operum periculum undique æquaverant, vocati ad conditiones in ſtudia diſceſſerunt. Vim regiam potentiores jactabant, & jam adfuturos e Friſiis Flandriaque exercitus, nec eſſe cur transfugæ e transfugis utriusque partis vindictam irritarent. Sed plebs ſubito concurſu irata curiam irrumpit: ibi longum murmur, & tandem vox unius audita eſt, qui prohibitum amnem, vaſtatos agros, dirutos penates, inſtantem famem, facunde miſeratus. Neque nunc, ait, primum obſeſſi fortunæ cedimus. Annus jam, & ultra eſt, ex quo vix turpes inter latebras toleramus inopem vitam. Quin perpetua miſeriarum ſeries hucusque auxit, poſtquam fœdera perfide violavimus. Egregiam vero gratiam cepimus indigni auxilio, & dominis faſtiditi, quibus alia ſemper potiora. Niſi nunc forte, cum extrema ingruunt, ſuppetias, dum prodeſſe potuerunt negatas, opperimur, vel quod propius eſt, noſtræ vires & tres militum manipuli, iſtos aggeres & caſtrorum propugnacula exſcindent. Vt Zutfania & Daventria deſeremur. Certe ultra Hulſtum trahimus trepidos dies, qua tandem ſpe, quo pretio pertinaciæ? Miſeri, niſi vincimur. Tandem fugiamus ingrata regna,

1591.

Vrbis deſcriptio.

1591. regna, dum ille invitat ut hoſtis validus, ita victor miſericors. Inventa gens eſt, quæ ſpe nulla dominationis bellum gerit, ne alii ſerviant. Illis ſemper patent amnes, annavigant commercia, ut alta pace, florent agri: non præfectorum avaritia, non miles atterit. Neque vero minoribus tributis datur alere ſervitutem, quam leges & jura defendere. Liberi inter liberos, primumque in Republica nomen, vincemus pariter, & pariter imperabimus. Iam plures eadem fremebant, & qui initio adverſabantur, quod vera dici ſentirent, aut metu, ceſſere. Nec miles reſiſtere audebat, impar virium & contentus vitam exoraſſe. Sed uſus Romanarum ceremoniarum poſtulanti civitati negatur. Impoſuit præſidium, legitque magiſtratum Mauritius, & jus iſtud excepit ſibi manente bello, abrogata ſodalitatum poteſtate, quod ſeditionibus alimentum fuerat, cum vicina oppida Senatus regant, niſi quod ad graviora negotia delecti e plebe adhibentur. Ita pleræque jam Geldriæ potitus decus avitum recolebat: quia Naſſavii quondam ſanguinis principes Rempublicam illic adminiſtraverant. Stenovicum differri placuit, quia hyems imminebat, frigore & gelu commeatibus nocens, aut ſi imbres funderet, uliginem ſoli auctura. Victor in Hollandiam reverſus, egregia externas quoque apud gentes fama, quantis nemo unquam populi gaudiis excipitur. Principum quondam res proſperas, ut juſſi, nec proprias, ſibi gratulabantur. Arauſionenſis fere adverſa tantum viderant. Etiam Liceſtrii tempora clades inter & diſcordias exacta. Nunc primum fines armis propagatos: fluminibus undique validis munitum & oppidis imperium. Nec aliud Duci quam laborem & gloriam poſci, ſucceſſus ad patriam pertinere. Ipſaque juventa velut rebus tantis & divino miniſterio lecta ſpem & admirationem accenderat. Tum fixi in vultu, illam pro ſe ætatem & inclytum ſanguinem objectum periculis grati celebrabant. Maximum non dubie momentum in celeritate fuit. Aderant oppugnandi muniendique artes, &, in quantum ſæculum patitur, egregia caſtrorum diſciplina. Nec idem hoſtibus curæ: nam fiducia ſocordiam ſæpe, interdum & temeritatem parit. Penes minus valentes plus conſilii, major conſtantia, & induſtria ſuppletur quod viribus deeſt. Iuvit & fama, qua primi eventus immenſum aluntur, & favor libertatis. Sed plurimum in navibus præſidii tot inter amnes, quorum potiri grande ad omnia momentum eſt. Hiber-

Mauritius capta urbi magiſtratus legit.

Summis populi gaudiis in Hollandiam redux excipitur.

bernatum, ut ſolet, in præſidiis: unde egreſſi vario ſucceſſu 1592.
manipulares prædas egere, vel ab hoſtibus circumventi ſunt. Captatæ & furto urbes, hinc Gertrudisberga, Trajectum ad Moſam, & Cluſa, inde Breda. Sed, erumpentibus inſidiis, irrita agmina rediere. Purgatum mare captis prædonibus. Et miſſam ab imperatore legationem quæ pacem laudaret, accinctus in Galliam Parmenſis læto animo accepit. Suſpectum id Fœderatis gentibus, ut ſemper, & quia literas a Rege Hiſpano in hoc ſcriptas interceperant. Ita aures obſtruxere veteribus documentis, & recenti Tarraconenſium exemplo, quos incaute repetita libertas in fraudem & exitium traxerat. Tarraconenſis Hiſpaniæ populus primi olim recepta armis poſſeſſione, quam barbaræ gentes fretum transgreſſæ invaſerant, ſapientum conſilio Rempublicam conſtituere. Initio reges (id nomen, is honos modicæ poteſtati) ſuffragio legebantur; mox cæterarum gentium more accepti imperio hæredes. Sed in legum verba ſucceſſores adigebant. Per quæ majores prævisis regni malis vim populo dederant, publico conſilio auctoritatem, ſummo magiſtratui jus in ipſos reges: firma olim munimenta, dum principibus æqui reverentia fuit, aut nullæ vires, queis peccata tuerentur. Poſtquam regna coiere, & omnis Hiſpania in Philippum ceſſit, per ſacrorum inquiſitores patientia tentata eſt, & per nova judiciorum genera, quæ ad aulæ nutum, quam ad recti normam moremque veterem aptabantur: maxima in Antonium Pereſium populi miſeratione, quem Scouedanæ quondam necis miniſtrum Philippus, ſubtracta auctoritate, communi facinori reum ſubdebat, & Caſtella elapſum in hanc regionem vi regia perſequebatur; acer odio, quod circa amores pro conciliatore æmulum egiſſet. Iræ tantæ inſtrumenta cum in leges audacter inſurgerent, & fruſtra jus pararetur, armis repugnatum eſt: primique motus per vim iritati, mox levi contra conatu, aut diſſimulatione alebantur. Vbi ſidere tumultus cœperat, belli Gallici ſpecie perſuaſa civitas, ut Regis exercitum ſuos per fines, & urbem Cæſarauguſtam, quod genti caput eſt, inde trans Pirenæi juga duci pateretur. Tum primoribus trucidatis, & qui voce aut manu ad libertatem præiverant, expleta ultio, proſpectumque in poſterum dominationi. Hæc etſi ab inſtituto diſcedunt, quo geſta ſunt tempore inſerere haud neglexi, quæ poſteri cum rebus Belgicis compararent. Simul ut principum offenſæ noſcantur, & diſcant populi,

Nullo ſucceſſu utrimque urbes captatæ.

Miſſa ab imperatore legatio Ordinibus ſuſpecta ob vetera & Tarraconenſium exemplum.

Huius narratio.

1592. puli, non cauſam ſæpius reſpicere quam vires. Rex interea Galliarum Germano milite firmatus, & Anglicanis auxiliis Rhotomagum ambiverat, Eliſabetha poſtulante, ut a Sequana flumine & Oceano ſuo hoſtem intercluderet. Quo ſocii infenſius Parmenſis moram tulere, qui tardus belli paratu, ſive altius conſilium ſuberat, ut pericula augeſcerent, ſero demum anni Fara prius in pignus accepta, Normannorum finibus propinquabat. Aderant novi undique delectus, & digreſſæ nuper cohortes, nunc redditæ ſignis, ſatietate prædæ, & perſolutis ſtipendiis, quæ vix Parmenſis, auctu tributorum, & vendito inter hoſtes jure commercii extuderat; querentibus ſane Belgis nudari fines, atque alienos in uſus pecuniam & juventutem abduci. Adjecit Meduanio auxilium Gregorius Pontifex tum Romanus, inſolitum prioribus, qui exſecratione & veteris ſæculi minis hoſtem terrebant, damnorum expertes, & commodis permixti: aut ſi qui veram opem parabant, hos brevis ſenectus incluſerat. Sixtum ſane invidia retentum, & potius quam Hiſpani opes firmaret, Gallicam ad amicitiam reſpexiſſe, adeo conſtat, ut quidam hinc illi necis cauſam ſuſpicati ſint. Adverſus hanc belli concurrentis luem fœderati Ordines auxere claſſem, ſuarumque cohortium ipſa decora, Scotorum decem, totidem Belgarum centurias, præſidio Regi miſerunt, Philippo Naſſavio moderante. Sed cum Parmenſis, (hic namque hoſtilis exercitus ſummam agebat) accedere diu cunctaretur, nobilitatem Henricus ſponte ſibi fidam, & unum columen belli pauperis, quo promptioribus uteretur, hibernatum ſuam quemque domum dimiſerat. Vix abiere, cum audito hoſtium aſſultu cogitur Rex contrahere copias: ita urbs exemta obſidio. Sed ubi ver primum equitem reduxerat, Borbonius hoſtem ultra flumen redactum fame premebat, impatiens moræ & decernere paratus, ni Parmenſis, ſilentio trans amnem remeans, Parrhiſios flexiſſet. Rex omiſſo Rhotomago, alios ejuſdem oræ portus ſuæ poteſtatis faciens, & quæ nuda muniens, effecit, ne ab auxiliis mari adventantibus ſecluderetur. Leves interea pugnæ, ſed hoc inſigniores occurſus, quod in altero Rex, in altero Parmenſis vulneratus eſt. Unde affectum ſupra veterem morbum Spadanum ſecretum excepit. Laceratæ copiæ ſero per æſtatem, qua proximum, Veromanduorum finibus in Belgicam redierunt. Angli per hæc tempora, dum Hiſpanos America aut aliunde revectos navibus conſectantur, varie

Parmenſis Meduanio ſubventurus iterum in Galliam ducit.

Fœderati contra Borbonio ſuppetias ferunt.

Borbonius & Parmenſis vulnerati.

1592.

rie egerunt; utcunque hoſtem ventus & mare in manus dederant. Alteri alteros per vices affli&abant, tempeſtas utrosque. Redibat interea per Belgicam velut anniverſaria partium lues, & hoc acrius quod egentes ſtipendii hyemis mala fatigabant. Reli&i per Agrippinenſium urbes ferocius ſe agebant, ſufficiente in prædas Germania. At quibus Leodium & affines agri obvenerant, poſtquam diu morati cun&a circum ſe vaſta fecerant, pars diffugiis elapſi, egeſtate plures & morbis procubuere: aut ſi quos vires nondum defecerant, in diſcordiam uſi, longius populabantur. Sic plura adſervanda erant, & pauciores qui tutarentur. Sed Fœderatis gentibus ſpatium adſtri&ius, circumje&aque flumina, & mare in partem præſidii veniebant. Nota & civium virtus, ut exciti interioribus extima oppidorum defenderent, fida cohortium ſupplementa. Hinc animus prodire parte cum altera præſentium copiarum, non regreſſo etiamdum Parmenſe, & ſi properaret, haud ambiguo, feſſos viæ ac præliis laceratos, tum a&a peregri hyeme, vix multos integris pares. Gertrudisbergæ obſidium Hollandia commendabat. Sed prælati Friſii, ut peragerentur priore anno cœpta, militem ſuum offerentes, quo carere non poſſent ſi longe illis finibus bellaretur. Atqui præcipuum id robur Fœderatorum, dum cohortes alias bellum Gallicum attinet. Et venerant in manus Groningenſium literæ ad Mansfeldium, quæ res ar&as & gliſcentem inopiam fatebantur. Quin Imperatorem legationibus adiverant, non hac ſpe liberos ſe quondam ad Auſtriacam magnitudinem confugiſſe, ut indefenſi vicario legatorum imperio; & hoſtium injuriis relinquerentur: nunquamne ſe tanti ut ducem viderent & exercitum, in exemplum ſaltem, nequis populus ejus imperii fortunam fruſtra ſecutus videretur; quæ in Hiſpaniam perlata. Nec aliud interim retulerant, quam hortamenta fidei & magnifica promiſſa, adfuturum exercitum, qui ferro viam patefaceret. Addita cohors una tuendis, quæ trans Rhenum tenebantur. Et dum Verdugo ambit copias juſtiores, Hermannus Herenbergenſis nihil ultra auſus, modicas ad Iſalam munitiones bello infeſtabat, unde accolis occaſio data paciſcendi, ut tollerent utrinque ſubitum terrorem, & detra&is caſtellis mediam facerent agrorum poſſeſſionem; donec totis partium viribus judicaretur. Quo minus propere ſigna moverentur, attinuere Mauritium Traje&inæ fa&iones, quas Liceſtriano ſacrorum diſſidio inquies civitas

Hiſpani militiis ſeditioſa licentia.

Groningenſium apud Parmenſem querela.

Mauritius Traje&i & in Zelandia factiones componit.

1589. nondum projecerat. Zelandia quoque, armis a ſui tutela longius translatis, in tributis inferendis refrixerat. His utcunque compoſitis, vere ipſo proditur, nullo novo delectu, ſed ut ſupplerent, augerentque numeros, mandata Centuriones acceperant. Ita ex Batavis, Friſiisque octo ferme peditum millia coiëre, equites mille quingenti; machinarum majores minoreſque quinquaginta. Vbi ultimo Transiſalanorum fine, qui Friſios reſpicit, ad mœnia Stenovici ventum eſt, occurrit ingens operum facies, nec minor oppidi fama: queis territi nuper in Ordinum conſeſſu nonnulli, externi quoque principes hoc conſilium temeritatis damnaverant. Hunc eſſe locum meminerant, unde trimeſtri ab obſidio Rennebergium depuliſſent: nec illi minorem exercitum, aut tunc ea munimenta fuiſſe, quæ uſus metusque invenerant. Nam Hiſpanus poſtquam aſtu ceperat, ratus illis velut clauſtris Friſiam premi, & maris ſinum navigiis infeſtum haberi, adjecerat cuncta hodiernis munitionibus ſolita adverſus vim olim incognitam. Qua pelagus proſpectat humile ſolum & paluſtre ſatis placuit, ægre veſtigia, nedum machinas & oppugnandi molem ferens. Ideo leviter aggeſta humus claudit hac magis quam munit oppidum. Partem alteram ambit agger, limo tenax, quem interjectæ concædes firmo operum nexu devinxerant: propugnaculis majoribus duobus, inter hæc minoribus totidem, per artem eminentibus, ut oppugnantium latera undique ſub ictus darent. Lorica ſuper defenſuris prætexitur: & in imo munimenta adverſum ſubeuntes, mox perpetuus palorum ordo. Dehinc foſſa in centenos pedes, in quam aqua rotarum hauſtu attrahebatur, parvo ex amne, qui ex Tarantiis adfluens, & aliquanto quam foſſa depreſſior, inde Blocſilum portum petens, Friſicum ſinum illabitur. Extra foſſam alius agger excubiis tenebatur, proruptionibus oportunus, & leniter devexus: nam quæ ulterius erant munimenta abjuncta oppido facile ceſſere. Circumſeſſis numerus & obſtinatio. Armati mille pedites, equites ſexaginta, haud ampli oppidi ſpatia tuebantur. Omnes extrema paſſuros potius, quam præſidium amitterent, is qui præerat Antonius Coquellus adegerat ſacramento; quod ex rerum ſequentium neceſſitate poſt interpretarentur. Nec minus paucitate hoſtium quam ſuis munitionibus & ſpe auxilii firmabantur. Ac propria quidam Gertrudisbergani flagitii conſcientia, vitæ deſperatione mortem contemſerant.

Stenovicum obſidet.

Oppidi ſitus & munimenta.

Obſeſſorum numerus & obſtinatio.

tant. Principem ac Wilhelmum ipſa difficultas ſtimulabat, ſpe laudis in præſens, & in poſterum terroris. Caſtra provide munita, in queis victus non affluentia tantum, ſed & vilitas erat. Tum per anfractus iter ſcinditur, quo tectus miles adverſum oppidi tela ſubiret. Obſeſſi interdum erupere, nec infeliciter; dum ebrios & inermes aut ſemiſomnes ſubiti invadunt.: haud nimis crebro tamen, quia inexplebilia obſeſſi militis damna, & metu, ne per captivos rerum ſtatus noſceretur. Per dies & probra audiebantur in ducem & exercitum: quanquam tormenta undique vi diuturna fatigabant, & structus agger imminentem urbi collem altius erexerat in pedes viginti: vertex ipſe in longitudinem ſexaginta, quinquaginta in latitudinem pedes habebat; unde interiora quoque urbis infeſta telis. Necdum movebantur multis ſuorum amiſſis, in queis Ludovicus cecidit comitum Herembergenſium frater: eductamque turrem e lignis, antiqui moris imitamento, ad depellendos propugnatores atque inſpectanda opera, ultro ipſi, cum machinarum jactus eniti in tam ſublime non poſſent, glandibus turbavere. Princeps, poſtquam globorum eſſe inanem ſtrepitum videt, multo ſumtu ac labore, atque addi obſeſſis animos lacerato fruſtra oppido, ni intercedentia tenerentur, alias ad artes verſus, qua terra firmior acceptabat cuniculos, ferri ligones, & occultum iter intendi jubet. Sic penetrato aggere exteriore (nec enim tormentis ceſſerat) ad foſſam ventum; quam virgultorum injectu ſolidabant; palam irridentibus obſeſſis ad ruſticas operas militem trahi. Tum quæ ultra ſuggredi prohibent, invecta per cuniculos tormenta ſtravere. Et jam ipſa oppidi munimenta fodiebantur, cum cœca peſtis infregit defenſorum animos, terruitque incertos quam partem vitarent, quam rurſum tuerentur. Maxime fatigabat pulveris nitrati penuria, de qua pridem literis ad Mansfeldium queſti, dum is copias, & copiæ pecunias, & pecuniæ reditum Parmenſis exſpectant, nihil acceperant. Petito colloquio audiuntur legati. Princeps perfugas in pœnam poſtulabat, & jusjurandum cæteris ut bello Transrhenano ſex menſibus abſiſterent: documento poteſtatis. Cum leges tanquam a victore datas, non ut jam victi acciperent, pleni contumaciæ recedunt, ut ſi pariter vivere non liceret, pariter morituri: nec ſuſpicio abfuit, quæſitam ſine neceſſitate colloquii ſpeciem, quo averteretur obſeſſor a ſenſu adventantis ſubſidii, quod nocte inſequenti miſit

1592.

Ludovicus Herembergenſis occumbit.

1592. miſit Verdugo uſque ad trecentos, cum ducenti paulo ante per paludes penetraſſent. At Mauritius, præſtructis quæ per operta agere parabat, oſtentat aciem, facturus impetum ſimul deſtinata proveniſſent, &, ut ambiguo metu obſeſſos in perniciem traheret, locis duobus abdiderat notiſſimum nunc belli inſtrumentum, quod veterum arma rectius ignorabant, noſtra ſæcula invenere, queis tanto plus ſolertiæ, aut malitiæ fuit. Carbo ſulphuri admixtus & nitro, ubi multum inaruit, ſi flammam admoveris, immenſum tumet, ac claudi impatiens, qua proximum, obſtantia perrumpit. Ea vi concita tormenta & militares tubi objectos ferri globos ac glandes longiſſime pellunt; ac vis eadem, ſi humo premas, disjicit molem. Pulverem tormentarium vocamus. Plena hoc dolia in cuniculo locantur, fune devincta, qui longius procurrit: is, ubi ad ſpecum hoſtis acceſſit, incenſus ſimili pulvere, ignem ſpargit in cætera. Horridus igitur fragor audiri, tollique cælo craſſa nubes igneis intercurrentibus radiis, & verſum ſubito propugnaculum certa ſuperſtantium pernicie: ſed plerique, id metuentes, in tempore abſtiterant. Volitabant eo jactu rapta in ſublime corpora, lacerique artus retinebant impetum, & vice teli vulnera in alios prorogabant. Sed altera ſpecus, disjecta valli parte, ore non ſatis occluſo, aut quia vetus ſub humo maceries impetum repercuſſerat, vim pulveris retro egit. Ibi Naſſavianorum anteſignani ſubtracto ſolo disjecti aut obruti: quoſdam abſumſit flamma. Scandere jam parabat acies, atque aliud agmen portarum obices moliebatur, cum ſpeculantem propius Mauritium glans oppido immiſſa malam transfixit, & ſtatim ore evoluta eſt: nec ipſe quidquam mutatus tenebat regimen, & ſolita ducibus exſequebatur. Sed apud poſteriores vulgata in pejus fama turbaverat exercitum, affingentibus ſingulis, quantum timebant. Proinde inhibita adhuc oppugnatio, ne creditum falſo periculum vero occaſionem aperiret: & quia militum quoque plures vulnerati, nec interiora oppidi, admota quamvis turre, ſatis noſcebantur. Fremebat ſane miles, nec indignari ante deſiit, quam conſpecto poſt oppido difficultas oppugnationis apparuit. Ruinas tamen, qua moles ſederant, obſeſſores tenuere; vexillis quoque impoſitis. Cætera adhuc aggeris defendebantur, quæ perfodere ac deinde impetum facere Mauritius agitabat. Atque interim obſeſſi forum obvallaverant, non in ſpem ullam, ſed

Verdugo ſubſidium obſeſſis mittit.

Pulveris pyrii deſcriptio.

Mauritius glande vulneratur.

ſed moram quærentes & tempora paciſcendi. Videbant inferri machinas, parum in vallo præſidii; quin eadem pro hoſtibus munimenta, &, ſi manus miſcerentur, cadendum paucioribus. Ita cunctis ante rebus quam animis victi leges accepere nec inhoneſtas, nec graves. Samarii, nobilis inter Ieſuitas, ſaluti nominatim cautum. Ita ut fieret, auctores erant qui ex Senatu Mauritio aderant, tempori magis conſulentes, intellecto jam coire ſub Mondragonio hoſtilem exercitum, cum militares animi exemplum ſtatui mallent ex parata victoria. Affecti ſupplicio, qui egredientes injuriis temeraverant. Exiere integri ſexcenti: morbo ægri aut vulnere, ducenti; quingentos ferme variæ mortes abſtulerant. Dies plus viginti inter reparanda Stenovici opera & conſiliorum certamina exacti: dum Hollandi, & qui a bello remotiores, ſatisfactum famæ judicant; nec irritanda ultro pericula fatigato exercitu, clam timentes ne cum metu Friſii & onera abjicerent. Accedebat novum quoque impedimentum, militem ſuum revocante Eliſabetha, ut Hiſpanos ora Aremorica arceret, non ſine exprobratione auxiliorum, quæ ipſa inconſulta, Gallo Ordines miſerant. Attamen & Transrhenani omnes & continuandæ laudis cupido poſcebant Covordium adiri, oppidum arcemque difficili ſitu, ac priſca nobilitate. Majorum bellis, & hoc inter nos ut quisque ultra aut interius poſſidebat detraxit opera, adjecitque: poſtremo Hiſpani firmaverant, Tarantiorum & Groningæ propugnaculum: ſimulque iter in Germanias. Moles quinque vallo prominebant, exciti & tumuli, qui machinas attollerent: foſſa centenum pedum præmunita palis. Nec minus his omnibus firmamentum, loci natura. Geminum namque in latus hinc ad Friſicum, inde Dullardum ad ſinum, quo ſpatio Friſii & Tarantii agerque Groninganus & Tranſiſalanorum pars comprehenditur, unus inter humida & tenuis limes interjacet, boves ruſticorum transmittere in Benthemium Germaniæ agrum ſolitus, unde Covordio nomen. Hoc igitur capto & Groninga claudi, nullo ſuper aditu, niſi quem per Bortaniam humanæ manus fecerant, & Friſii agri ab incurſu hoſtium liberari poterant. Stagnans alte camporum planities, aut limo turbida, ne tum quidem fervida æſtate, & caniculari ſidere ſatis duruerat. Tutandis commeatibus, quia Fœderatorum fines longius aberant, nec ullum, niſi tenuiſſimum, flumen, quod Covordium foſſæ in modum prælabitur, placuit Othmarſo

1592.

Stenovicum illi deditur.

Victoris in victos moderatio.

Eliſabetha militem ſuum revocat.

Covordium obſidere Fœderatis placet.

Ejus munitiones atque ſitus.

marſo

1592. marſo præſidium imponere. Extrema id Tubantum regione oppidum jacet. Quo Princeps profectus cum parte exercitus, dum caſtra ad Covordium muniuntur, tormentis depulit Hiſpanos; quorum eques, antequam clauderetur, per medios hoſtes perruperat. Cecidit hic hoſtium telo Carolus Lævinus Famarſius, qui pars quondam Fœderatæ nobilitatis induerat arma; ſupremam tum machinarum curam agebat, multo uſu rerum ſecundarum ambiguarumque ſciens. Ex Covordio proruptum ſatis proſpere, & qui occubuerant, petiti ad ſepulturam, datique. Fredericus Herenbergenſis ſexcentis militibus, quorum pars per paludes ipſi tranſmiſſa, arcem tuebatur: oppidum, ne, ſi defenderet, oneri, cedentibus ad ictum muris, aut mox hoſtibus uſui foret, incendit. Aream tamen ipſam, ut moram hoſti augeret, tutari auſus; donec fodiendo ingreſſus Princeps mox inhærentes prælio pepulit, factoque tumulo impoſuit machinas. Munimenta quæ extra foſſam circumjecta arci, deſerta præpropere: pontem quoque ultro obſeſſi flammis corrupere. In foſſam ubi perreptum, intelligit Mauritius cæterarum rerum copiam obſeſſis, adverſus ſitim unum duntaxat puteum: ſed noctibus aquatum ad foſſam veniri, quæ mira altitudine arcem circumfunditur. Hanc machinamentis ſiccari poſſe, & ſimul putei venas intercipi. Verum cœpto labore patuit perennibus infra ſolum ſcatebris ſubnaſci humorem, &, qui mos aquarum eſt, trahentem ſequi. Nec diu, cum imbres coorti ſitientibus ſolatium, operi impedimentum tulere. Foſſa tamen, quam ducti e paludibus rivi inundabant, obruta eſt, & quo tutius tranſiretur, vineis adminiſtratum. Struentium latera, & frontem noctis tenebræ muniunt, aut agger projectus ſemper in ulteriora: inter quæ latibula fixæ modico intervallo trabes teguntur tabulis, ac ſuperinjecta humo contra tela & ignes hoſtium. Ita perducti vallum ex imo ſubruunt. Tormenta vero editioribus e locis loricam & propugnatores undique dejecerant. Mondragonius interim Brabantiæ campis modica repetebat caſtella, queis proximos per annos Batavus irruptis prædam ac tributa protulerat. Ea prior cura, dum maximum Transrhenani imperii præſidium oppugnantium ac defendentium manibus exſcinditur. At ubi jam Parmenſis Gallia redierat, inſtitit Verdugo illuc ut exercitus verteretur. Sed itinere feſſus miles, ſtipendia quoque inſoluta poſcebat. Obtinuit tamen, ut collecta diverſis e partibus decem ſibi peditum

Othmarſo Hiſpani a Principe depelluntur. Famarſius occumbit. Obſidii Hiſtoria.

Verdugo a Parmenſi obſeſſis auxilia impetrat.

ditum millia, ſeptem turmæ traderentur, capeſſendo itineri, & ſi fors daret, prælio: ter præterea mille alii, augendis, quæ trans Rhenum, præſidiis. Princeps, acceptis horum paratuum nuntiis, cum major eſſet caſtrorum ambitus, quam ut adverſus obſeſſos, & vim externam defendi tuto ſatis poſſet, nova interius munimenta orditur, relictis & prioribus. Advenit & conſcripta per Clivios Stolbergii cohors, ſupplementum militis, quem Stenovici proſpera, ſed non incruenta obſidio abſumſerat, laſſaveratve. Redibat & Anglica cohors, & quæ Batavorum auxilia Galliæ militaverant: juſſo Philippo Naſſavio diſtribuere in præſidia feſſos, ac recentes viciſſim educere: queis Gravewartam tueretur, ſpeculam belli, obverſus in hoſtem, ſi forte aut inſulam Batavorum, aut alterutrius ripæ proxima ſedem bello legiſſet, & quocunque iret ille, ſecuturus. Fridericus quoque Herenbergenſis ſpem auxiliorum ſibi adventantium nuntiis aut conjecturis præceperat: ideoque ut arcem dederet interpellatus, reſpondit menſes etiamnum aliquot exſpectandos. Paucis horis antequam cohors Anglica & aliæ ſub Philippo Naſſavio copiæ ad caſtra pertingerent, Verdugo, cum ad Bercam longa circuitione Rhenum ſuperaſſet, haud procul Mauritio ad Emmelichemum conſedit, caſtrorum hoſtilium ſitum diligenter explorans, nec oculis tantum, ſed prodente viro nobili, cujus tum hoſpitio Mauritius comiter utebatur; atque ipſe poſtea manifeſto ejus culpæ pœnam tamen condonavit. Spes aderat arcendi commeatus. Sed poſtquam cognitum duo itinera, & paludes intercedere, neque vires ipſi ut divideret copias, impetus & arma probabantur. Viſitati crebro ignes, queis obſeſſos monebat, ne tempori deeſſent, ignarus reſciſſo ponte eruptiones coercitas. Nox præcipitabat, cum Hiſpani, objecta in tranſitu mora a Vidri fluminis ponte (Vectim nunc vocant) exteriora caſtra impetunt. Stolbergianam ibi cohortem & multum equitis Princeps poſuerat, oportuno aquis & arboribus loco. Hoſtis hæc oppugnationi elegerat, quia equitum minus attentæ vigiliæ, & nova cohors belli rudis ſperabatur. Perreptare foſſas, vallum prehendere, per aliorum veſtigia alii ſcandere. At Naſſaviani, quanquam noctem eam ſuſpectam egerant, velut cum luce ſecuritas rediret, in ſomnum lapſi, longe in terrorem redditis hoſtium vocibus, capta caſtra conclamantium, exciuntur: nec feſtinatione aut loco pateſcere acies potuit. Intecti aut ſemiſomnes

1592.

Exteriora obſidentium caſtra impetit.

1592. arreptis telis, ſibi quisque, aut modicis, ut fors tulerat, cuneis conſiſtunt, & equites pedibus præliabantur. Procerum maxime virtute, queis fortiſſimi ſe militum ex caſtris interioribus aggregarant, depulſum periculum. Ante alios *Depellitur.* Wilhelmus Naſſavius, hoc magis ſollicitus, quod diſſuadentibus multis cœptandi obſidii auctor fuerat, eductos, quot poterat, extra caſtra equites in latere oppugnantium ſiſtit. Cæſi, qui penetraverant: & inhibiti qui ſequebantur; clariorque jam dies velorum commentum in ipſos verterat, ut agniti certius telis deſtinarentur. Iterum tunc velut corona caſtra capturi circumſtetere, fiducia nimii, quia ſueti vincere, quindecim per annos hoſtium aut latebras aut terga tantum viderant. Sed omnis jam in armis Fœderatorum exercitus modo hos, modo illos temere aſſultantes facile repreſſit. Pulſi retinuere tamen ordines: nec ingruentibus tormentis in fugam turbabantur; id multam poſt ſtragem ſaluti fuit. Et prudens temperandæ victoriæ Mauritius inſiſti abſcedentibus vetuit. E caſtris, inauditum, duo tantum aut tres cecidere; plures ſauciati ſunt, in quibus Wilhelmus Friſiorum rector. Proximos quoque per dies fruſtra Hiſpanus, aciem ferociter oſtentans, prælium laceſſivit haud avidos periculorum, & conſilii certos. Nam clauſorum ſpes ad metum mutatæ, poſtquam detrudi ſocios, ſua munimenta ſubſidere conſpexerant. Quippe propugnaculi, quod vallo exſtabat, cuſpis ſubruta: & alterum, quod obſeſſi ſuffecerant, a foſſoribus impetebatur. Fridericum cunctantem adhuc impellebant ad deditionem ſeniores; increpabant quinetiam ut pericula haud intel- *Covordii deditio.* ligentem. Ut Verdugonem conſulere liceret, fruſtra oratum. Cætera poſtulata conceſſit hoc promptius Princeps, quod commeatus difficiliores ipſi redderet pluvia cæli tempeſtas. Datur Covordium Friſiis cuſtodiendum, reclamantibus Tranſiſalanis, qui eam arcem omnemque regionem ad ſe pertinere contenderent, ipſis Tarantiis ſui ſe juris eſſe aſſerentibus, nec quicquam antiquitus debere Tranſiſalanis, niſi ne hoſtem ipſorum ſuos per fines transmitterent. Nondum dimiſſi exercitus, ſed mutuo metu otioſi egere. Dabant hoc *Parmenſis novum in Galliam iter ingreſſus moritur.* ordines Galliæ regi, quo ſerius in ipſum vis belli incumberet. Mox ubi fœdo madore autumnus infeſtos diremit, Parmenſis, quanquam afflicta valetudine, novum in Gallias iter ingreditur, ut imperii comitiis, quæ ſocii Hiſpanorum ſub annum ſequentem indixerant, præſens cum exercitu moderaretur.

raretur. Sed imparem fatigationi in Atrebatum finibus vires defecere. Ibi graveſcente morbo, ſeu peracta veneni lue extinguitur. Quibus atrocior fama placuit, hoc etiam arguerunt, quod mortis tempus cum Fontani adventu congruebat, quem Philippus, audita forte Parmenſis valetudine, res Belgicas inſpectare juſſerat, ut, ſiquid morbo ducis neglectum, aut morte turbidum, componeret: duri ingenii hominem & Parmenſi privatim inviſum. Et fuere, qui haud multo ante, mortem Parmenſis aut vincula prædicerent. Multa ſane eruperant indicia ſuſpicacis in ipſum, aut infenſi Regis: nam & gentilem ipſius Farneſium, quo minus Romanus Pontifex fieret, ſolus impediiſſe credebatur. Et nuper vetuerat, ne fœnori pecunias ſumeret, niſi ex conſilio eorum, quos ipſi velut cuſtodes addiderat. Medici lienis duritiem & aquam intercutem accuſabant: ſed nata hæc quoque conſtabat, dum vini abſtinens potandis aquis aſſueſcit; vitandis articulorum doloribus, gentili malo, an inſuper veneni metu, quod aqua minus recipit. Plerique non ſemel illigatum veneno credi cupiunt: auctores varie deſtinant. Sic finivit Alexander Farneſius, viridi adhuc ætate, annorum ſeptem ac quadraginta, cum quatuordecim annos in belli hujus arbitrio egiſſet: poſtremos quinque deterioris fortunæ, neque ſane diligentiæ ejusdem: ſeu poſt Antverpiam gloriæ ſatur voluptatibus ſe dedit, ſeu cognitis Philippi ſuſpicionibus adverſus magnam famam remedium ex ſegnitie concupivit. Domus illi potens quam antiqua; a Paulo quippe tertio Pontifice originem & magnitudinem trahens. Olim adoleſcens maternis ſub imperiis per Belgicam inhonorus egerat, atque adeo contemtus, ut non ſatis animo competere diceretur. Solita mentiri judicia vix quisquam apertius convicit. Primum belli decus peperit expugnato Navarino, cum Hiſpano in Turcam ſub Iohannis avunculi ſignis militaret. Belgicis armis impoſitus quantus eſſet oſtendit; ſtudio laudis indefeſſus, acceſſu comis, clemens in hoſtem, quantumque in magna ſimulatione noſci potuit, fidus Regi; & adverſus ſuam gloriam ac populi ſtudia incorruptus. Parebat conſiliis, niſi quod initæ ſemel ſententiæ contumacior, ac infeſtus diſſidentibus: tum rerum ſucceſſu, nimia concupiſcebat, idque illi initium adverſorum, quæ mollius tulit, cum, quod multo difficilius eſt, ſecunda fortiter toleraret. Sunt qui notant Caſparis Robleſii, viri ſane prudentis, monitis diu obſecutum: eo mortuo,

1592.

De morte illius ſuſpiciones.

Parmenſis mores & elogia.

1592. tuo, nemine prævalente, inter diverſa ſuadentes fluctuaſſe, atque ex eo ceſſim iiſſe & fortunam. Majeſtas illi oris ita venerabilis, ut & amari poſſet: ſtatura & cætera corporis mediocria; acres oculi, pervigilis animi notæ. Cætera non jam ipſius, ſed aulæ vel ſæculi vitia. Famæ ejus detrectatores, quos inter Campiniacus fuit, juſſus ab ipſo nuper in Burgundiam recedere, regias vires, inopiam aut diſcordias hoſtium jactabant, quibus mutatis pariter belli caſus vertiſſe. Contra alii, utrisque prudenter uſum, nec minimum in eo difficultatis, quod diverſas in exercitu nationes, & prope inſociabiles jure æquo rexiſſet, compreſſis odiis, quæ ſtatim poſt mortem & deinceps acrius eruperunt. Etiam rebus arctis multum in illo præſidii: hinc plerasque ſeditiones abſentia ducis cœptas. Perdita ſane oppida, dum alio vocatur; utque multum arma fortuiti habent: ſed quotam partem eorum quæ viciſſet? Eundemque hoſtem non aliis poſtea ingeniis, non vacuis viribus ſiſti quiviſſe. Diſciplina non dubie cum illo concidit. Funus Belgarum quoque luctu celebratum eſt, haud ſane dolentibus qui veterem præfectorum ſævitiam requirebant.

HUGO-

HUGONIS GROTII
HISTORIARUM
DE REBUS
BELGICIS
LIBER TERTIUS.

SUMMARIUM.

Gallis loca aliquot eripiunt Hiſpani. Belgicæ Hiſpanienſis Proceres honoribus evehuntur. Mansfeldio præfectura defertur. Vis conſilii penes Fontanum & Ibarram: qui in Hiſpania ſuſpecti. Fontani atrox ſententia ab Ordinibus vana redditur. Mauritius Gertrudisbergam obſidet. Obſidii relatio. Vrbis deditio. Mansfeldius Crepicordium obſeſſurus a Mauritio fugatur. VVilhelmus Naſſavius hoſtem Friſia expellere annititur. Covordium Verdugo obſidet. Brugæ irritis inſidiis a Mauritio tentantur. Regii militis ſeditio ab Herenbergenſi componitur. Claſſis Batava apud Flavum calamitas. Erneſtus Auſtriacus Belgicæ præficitur; ingens Philippi erga eum amor. Henricus Romana accepta inſtitutione fœdus tamen cum Fœderatis ſervat. Erneſtus Belgis contemtui. Sylvaducis, Trajectum ad Moſam, Delphizylium fruſtra captantur. Covordii obſidium ſolvitur. Groningam Princeps obſidet; obſidii relatio, urbis deditio. Oblatam ab Erneſto pacem Ordines repudiant. Empti in Principem, aliosque Belgicæ Fœderatæ proceres, percuſſores puniuntur. Secta Ieſuitica deſcriptio. Cæſar Ordinibus, ni pacem faciant, minatur. Ordinum in Scotia principem liberalitas Eliſabethæ inviſa. Cameracum obſidetur. Gallum Hiſpanis inimicum armis perſequendum edicit Philippus. Philippus Naſſavius Gallo auxilia adducit. Nova iterum regii militis ſeditio. Ingens per Bataviam gelu. Cum ſeditioſis Fœderati inducias faciunt; machinis & equite illos juvant. Erneſto ſeditioſi non fidunt. Magna Batavis ex eluvionibus damna.

1593.

FOrte ducis abruptum iter, & cohortes in finibus retentæ proxima Gallorum caſtella, mox Noviodunum ceperunt, decimo ſexto obſidionis die, cum jam impleta foſſa & interpoſita ei munimenta ſuffodi cœpiſſent. At Rex Hiſpaniæ bellum pace conficere cupidus, quo ſecundis Belgarum ſtudiis frueretur, procerum plerosque longo obſequio cognitos honoribus evehit. Mandatæ ſingulis nationes quas curarent: & dum deligitur qui rerum ſummæ ſufficeret, nomen in-

Gallorum aliquot caſtella & Noviodunum Hiſpani capiunt.

Belgarum proceres Philippus honoribus evehit.

1593. terim præfecturæ Petrus Mansfeldius obtinuit; ætate atque experientia ante alios, octuageſimum quippe tum annum agens: vis conſiliorum penes Petrum Henriquium comitem Fontanum, & Stephanum Ibarram, Hiſpanos, erat. Atrebaticis ſane pactionibus jam pridem convenerat, ut penes cives eſſet publicum regimen. Sed reperta fraus, inſtituto conſilio militari, quod cætera quoque oblique ſuam ad curam traheret. Eum cœtum Hiſpani plerunque, ac tum Fontanus & Ibarra implebant; juſſi modum facere publicis impenſis, & ærario conſulere, quod non ex fide tractari rumor Hiſpaniam pervaſerat. Cauſa credendi, bellorum, ut accidit, ſumtus inſperati: quo tamen obtentu teguntur prædandi artes, & nunquam ſatis excuſſi ſinus, aucta in immenſum labes, ut jam remedia quoque vicerit. Ajebant, qui iſta introſpexerant, ducentis florenorum millibus menſtruis plus apud Ordines effici, quam noningenis apud regias partes, dum fœnus & ſupervacuæ mercedes, & furta vix partem ſumtuum tertiam veris uſibus relinquunt. Sufficere & Belgicæ perdomandæ & Galliæ Philippi vires, ſi recte curarentur; quippe cum pater Carolus neutiquam tantis opibus, multos ſæpe exercitus diverſiſſimis terrarum partibus aluiſſet. Ergo ut novo imperio auctoritas conciliaretur, aut quia metus a præfecto ceſſerat, adjectæ cohortes, & pecunia abunde miſſa: hoc quidem oportunius, quia ſtipendiorum cauſa claſſiarii, qui pro Antverpia excubabant, ni continuo ſatisfieret, gravia atque hoſtilia minabantur: Bonnam quoque & Bercam cuſtodientibus idem audaciæ; ſed Hiſpanis recens adventantibus, ut multarum rerum imperitia, ita novandi ſtudium fuit, quo decus ac gratiam quærerent. Ac certo die Fontanus Senatum ingreſſus, atrocis ſententiæ auctor, &, quod neceſſitas expreſſerat, ſocordiam vocans, abolere parat belli commercia. Non enim Batavorum virtute aut opibus tam diu certamen trahi, ſed gentem exiguam, & ſi recte ratio ponatur, multo Belgis imparem, nedum Hiſpaniæ theſauris, ipſorum viribus, aut vitiis adoleſcere. Suas ſibi fortunas, ſuam obſtare inertiam, quodque manifeſtum hoſtem trepide offenderent. Immenſa agrorum ſpatia regias inter urbes impune perduellibus vectigalia haberi; quaſi facilius eſſet inferre armis, quam propulſare, injuriam. Quin potius accolæ truderentur in bellum, auſique & paſſi hoſtilia odiis inſueſcerent: nec ſoli omnium tuti inter pericula, & pro

Nomen præfecturæ Mansfeldio defertur.

Vis conſilii penes Fontanum & Ibarram.

Qui in Hiſpania ſuſpecti.

Fontani Senatum ingreſſi atrox ſententia.

cupi-

cupidine ſtudia diſpenſantes, alterno in ſanguine fortunam partium ſpecularentur. Quod ſi non undique reſiſti poſſet, at melius certe vaſtas jacere atque invias ſolitudines, quæ non itinera hoſtium, non tributa, non proditiones transmitterent. Iam vero corrumpi legiones, velut per fœdus ignaviæ, dum abjectis quisque telis vincula & incolumitatem paciſcitur. Hinc in acie fugam, nundinationes in urbibus primos hoſtium impetus ſequi. Melius Romanos prodidiſſe, verum militiæ exemplar, ne quis vitam aliunde quam ab armis ſumeret. Plerumque fortes etiam animos ſpe ſalutis infringi: pavidiſſimis contra deſperationem eſſe loco virtutis. Diſceret miles ſub iſtis ſignis dari tertium nihil inter mortem & victoriam. Quippe mixtam bello pacem, moram eſſe pacis, & belli alimentum. Quæ ille ferociter elocutus, pleroſque traxerat auctoritate & fortis conſilii ſpecie. Contra pauci experientiam adferebant: compreſſam & Albani ſeveritatem. Non cunctis temporibus eadem convenire. Hujus equidem ſæculi mores impares tali diſciplinæ, cum maxime ſacramentum nemo ſubeat, niſi pretio illectus & facilitate militandi. Nec ea aſperitate ad concordiam iri, aut bellum ſibi cum finitimis adeo internecinum, ut niſi ſumma hominum atque agrorum pernicie tranſigi non poſſet. Sed quomodo vicinorum & conſortium crebris diſſidiis ſpem amicitiæ non projici, ita civiles diſcordias moderate exercendas, velut ſub arbitrio fortunæ. Nec duces populique deerant, ſi exemplis certabatur, qui in neminem ultra aciem ſævierant. Quin intactæ fruges, captivi & ſine pretio remiſſi, magna clementiæ fama celebrantur. Quod multis in negotiis ſolet, tunc quoque evenit, ut pars major meliorem vinceret. Lege igitur Mansfeldii ſupplicio damnantur, qui bello capti, aut hoſtem tributo juvarent. Idem, ut neceſſe erat, fœderati Ordines edixere, ni certum intra diem pœniteret, gravi cum inſectatione crudelitatis Hiſpanicæ. Iam trahi vagis incurſibus villæ agrique, jam ſtrangulari milites cœperant, & alieni caſus ire per omnes exempla. Primi ſacerdotes & nobilitas ſuis poſſeſſionibus excidium deprecabantur, quando vis improviſa arceri non poſſet patentibus campis. Minui vero cohortes: & qui manſerant omnem hoſtis occurſum metu averti, auditis per manipulos vocibus; exiguo ære emi ſuum ſanguinem; ne id quidem præſtari ad diem. At vero

1593.

Aliis fruſtra obtinentibus obtinet.

Fœderati pari edicto eam vanam reddunt.

1593. vero non pugnam, non vulnera differri: & victoriam quidem ſine præmio. Si quid fortuna abnuat, inter ludibria & tortorum manus exſpirandum militi, quia non in tempore fugiſſet. Centuriones & tribuni ſilentio trepidare, quanto beatioribus plura timentur. Hæc docuerunt mirari vetera, præſentibus obſequi; reditumque ad morem, ut pro agris tributum penderetur, captivorum commutatio fieret, aut redempti menſtruo ſtipendio exſolverentur. Quæ in poſterum ſervata, & ſi quis violaſſet, eadem hoſtium inclementia vindicatum eſt. Ita pari terrore, atque interim inſontium pœnis, belli jura ſanciebantur. Miſſus per hyemem eques, peditisque haud multum, Philippo Naſſavio ductore, qui Lucemburgiam & extrema Belgarum tributis ſubigerent; parumque abfuit, quin ſancti Viti oppidum irrumperetur. Culpa penes exploratores, qui, qua parte invaſuri erant oppidum, portas duas obſtare nuntiaverant; duabus jam disjectis, inventa eſt tertia. Poſtquam dies totos quatuordecim populabundi abſumſerant, concurrentibus hoſtium præſidiis, correpto ſi quid obvium aut incenſo, tuti rediere & præda graves. Miſerabilis eo tempore finium facies, cum Mauritianis relicta novus Mansfeldii delectus attereret; ſimul circumſtrepente Gallorum bello, quod & Lotharingiam Argentoratumque minoribus diſſidiis in vaſtam malorum colluviem miſcebat. Hinc queſtus innumeri & remediorum inopia. Vt primum licuit invadere annum, Hollandi præcipui fœderis ab externis ad domeſticas curas animum vertere. Gertrudisbergam capi haud dubie intererat: nam unum id oppidum a ſuo corpore avulſum Hollandiam lacerabat. Igitur ipſa hyeme properata quæ futura uſui, ne aut hoſtis præverteret, aut Friſii in ſe copias traherent. Sed experta non ita pridem irrito obſidio loci munimenta validus miles tuebatur; Walonum Germanorumque vexilla quindecim, & propinqua rectorum ſollicitudo. Tum perpetuam camporum uliginem ſupra ſolitum extulerant hyemantes adhuc aquæ, crebrique imbres. Contra quæ ſpes una in celeritate, dum flos hoſtilium copiarum Galliæ finibus detinetur. Equites e Brabantia juſſi ambire oppidum, & quo copia minueretur, arcere commeatus cum præſidio adventantes. Confeſtimque Princeps, paratis quæ bello utilia, pedeſtres copias haud magnas ſane (nam ſuas Friſii attinebant, fruſtraque Mauritius Wilhelmum, hic illum, viciſſim auxilia oraverant) navibus intulit. Præjacet oppido,

Philippus Naſſavius, Belgarum extremis tributis ſubactis, gravis præda redit.

Mauritius Gertrudisbergam obſidet.

pido, partemque ejus majorem alluit, ingens lacus, Moſæ ab oſtiis retro fuſus, ab anno ſupra milleſimum quater centeſimum vigeſimo primo, quo tempore violentiſſimum mare rupit obſtantia, merſitque vicos duos & ſeptuaginta. Hunc (Merovam vocant, communi vocabulo cum Vahalis alveo, qui a Francicis regibus, ut credibile eſt, jam olim id nomen accepit) dextro latere Dunga amnis illabitur, adjacentibus campis late exſudans. Solum aliena in ripa Hollandici juris eſt, quanquam in dubium Brabanti traxere, Naſſaviorum poſſeſſio pignoris jure. Arauſionenſis, poſt pacem Gandavenſem, ut Brabantiæ aditum munierat. Stagna piſcium capturis celebrata, quos nunc ſuccreta undis vada, aut belli circum ipſos ſonus & hominum mala fugaverunt. In aggere, lacum qui continet, (nam cætera tenui humo aquas tantum occultantia opus tale reſpuebant) inſtructi anfractus ac latebræ, quæ ad munimenta oppidi, foſſam extra jacentia, perducerent. Sed verni Aquilonum flatus impulſo lacu debilitatam foſſionibus partem ejus aggeris abſciderunt. Iterumque conniſos eadem via (nam alia reſtabat nulla) tela infeſtabant e caſtello, quod in vicino Dungæ aggere hoſtis adhuc tenebat: acceſſu id difficile, ſed poſitæ crates humo fartæ, quæ valli vice oppugnantes tegerent. Ex inſula quoque, Dungæ quæ adjacet, exploſa tormentis tela: ſimulque Hohenloius, ne ex oppido recentes caſtello ſubvenirent, medium arctumque limitem, felix audaciæ, invadit. Itaque deditum eſt. Hos inter labores & munimenta caſtrorum, menſis fere exactus eſt; antequam Mansfeldius accurrit. Turmarum ſane partem Turnhoutum præmiſerat: ſed coaleſcentem adhuc Mauritiani equites ultro incurſavere, quos Princeps, nullo uſu inter paluſtria, oppidis reddiderat, unde hoſtium itinera infeſtarent. At Carolo filio tuti ab hoſte reditus, a ſuis periculum fuit. Nam properis nuntiis Gallia excitus, ubi Noviodunum, ut dictum eſt, & mox Valeriacum ceperat, cum finibus Atrebatum centurionem Hiſpanicæ cohortis, ſtupri compertum, ad pœnam depoſceret, vix cæterorum iram ac rabiem evaſit; petitus telis, & ſarcinis exutus a militibus, queis imperabat. Licentiæ aſſueverant externo in ſolo, & menſium aliquot mercedes ipſis debebantur: ad hæc Mansfeldius, homo Germanus, ſuo honore & paterni muneris invidia premebatur. Sed his in ſancti Pauli fano, quod invaſerant, relictis, dilapſus ipſe fidis cum cohorti-

1593.

Ejus ſitus.

Obſidii hiſtoria.

1593. hortibus, auxit exercitum, quem ipſa multitudine gravem tarde duces moliebantur. Duodecim peditum millia, equites quaſi ter mille fiduciam fecerant proteri hoſtem poſſe, altera virium parte inferiorem: nam Mauritio quinque millia, haud multo amplius. Hinc novæ præfecturæ manſurum decus terrorque in poſterum & gloria ſperabantur. Nec quiſquam ſuſpicabatur immenſam camporum amplitudinem, cum incerta uligo & tot æſtuaria intercederent, ita circumſeptam, ut non arma prælio, non vada dolis locum aperirent. Proinde congruens arbitror, obſidii faciem, & quo tum more bellum exercitum ſit, paucis exponere; quia non alia caſtra periculo aut eventu parem famam meruere: & vera æſtimatione exemplum tum primum datum eſt, laudatis veterum artibus utendi in rem magis, quam oſtentationem. Bina Princeps caſtra locarat modice aſſurgentibus campis, ut læva amnis & urbi propiora ad occaſum præſens ipſe tueretur; alteris ad ortum Hohenloius conſideret. Ibi metatis cohortium ſedibus, quas inter viæ & fora, urbis in ſpeciem, pateſcebant: ingens utrobique circundatus agger in propugnacula ſinuatur, tormentiſque inſtruitur; nec eminus convelli facilis, & propinquum certamen haud ſine noxa hoſtium laturus. Præductam foſſam, in qua duplex palorum & præpilata ſeries, ne recedentes aquæ nudarent, aut nimio contra auctu traherent munimenta, educendo flumini machinæ & ſepta moderabantur. Dunga ponte gemino inſtratus, qua proxime inter caſtra commeatur; aggeratuſque trames paluſtri ſolo, cum crates infartæ humo prævelarent, tuta euntium latera præſtabat. Tum quicquid circa camporum cœno maduerat, injectis jam virgultis ſtabile, &, ſi qua æſtuaria interpellant, ac vis undarum impoſitam molem disjectura, præferratis ſudibus horret crepido; verſa plane quæ fuerat locorum facies, ſolidatis paludibus, &, qua hoſtis metuebatur, juſſis ſtagnare campis. Cuncta caſtris interjacentia longo ambitu, ac trium ferme horarum itinere, ſuus agger & foſſa complectitur; ſpeculæ paſſim, locisque apertioribus diſpoſita caſtella tormentis & militum telis terrent accedere. Nec eo ſegnius ulteriora muricibus & foveis turbata, quæ, latentibus exitii cauſis, paſſim periculum, equiti, præſertim hoſtili, metum ubique fecerant. Præſepſerat & vada, ſicubi faciliores aditus pollicebantur. Pars navium, protentis in urbem cornibus minax, firmo anchorarum funium-

niumque nexu devinctæ, auxilia ab oppido nuntioſque intercluſerant. Multis in amne atque ipſo in lacu attributæ ſtationes. Quædam & in voragines detruſæ ſidebant pariter æſtu aut levabantur. Atque alias claſſes ferendo victui, & quæ bello neceſſaria, occultabant ad utraque caſtra oportuni ſinus. Ipſique nautæ, in littore juſſi Hohenloium propter tendere, haud contemnendo uſui fuere. Opera pleraque militum manus oſtentabant, novum ea tempeſtate, quorum labores majori pretio ſolari egregium compendium fuit, ne compulſa ex agris, ut apud hoſtem, multitudo invidiam faceret libertati, aut ſegnis ad periculum, & iners foſſorum turba oneraret exercitum. At mores providentia diſciplinæ in tantum a ſæculo receſſerant, ut ruſticæ plebi armentiſque ea caſtra perfugium fuerint. Locabant manus, vendebant alimenta, ab armatis pecunias exigebant, quorum ſi arva Hiſpani duces inſediſſent, nullum ſatis pretium ſuffecturum fuit ad redimendas injurias. Sub ipſa quidem caſtrorum munimenta verſabant agros, & ſemina humo inſerebant, adeo non præſentis modo, ſed futuri temporis ſecuri. Compertumque uſu, recti & gloriæ diligentes ambiri ultro commodis, quæ vix per nefas alii & contraria ſtudia aſſequantur. Nam continentia hæc incredibile quantum laxavit annonam, cum raptores rerum omnium penuria afflictarentur. At Mansfeldius circumſpectis hoſtium munimentis anxius, &, quæ magnæ trepidationis natura eſt, nullis conſiliis inſiſtens, dum e cunctis maxime diſplicet quod ſemel placuit, primum haud procul Mauritio communit ſeſe, tanta vi machinarum, velut urbem non caſtra oppugnaturus accederet. Ibi cum dies hæſiſſent decem, & equitatus Breda egreſſus arctos ipſi commeatus faceret, ſperans e Silvaducis promtius cuncta ſubvehi poſſe, transmovet juxta Hohenloium caſtra, inde modo ſuperſtagnantem lacum diducere in veterem Moſæ alveum parans, modo naves hoſtium abigere, aut quod reliquum equitis propulſare, quo tutiori commeatu frueretur. Tandem virgulta faſceſque congerit, velut per vada paludum in oppidum irrupturus, non tam ſpe certa aliqua, quam ne nullam habere videretur. Quæ dum irritus voluit, & quo minus diverſa in regione fortunam tentaret, conſpectus oppidi ac militis obſeſſi ſpes ultimæ vetant, per otium hoſtis Mauritii opera promovebantur. Sed nihil magis fatigabat quam paucitas militum, laboribus 1593.

1593. ac vigiliis prope exhauſta. Orati iterum Friſii ne adjuti nuper ſociorum copiis ipſos viciſſim laborantes deſererent, cunctati aliquamdiu, quod Verdugo trium cum millium manu ad Slochteram hæreret, vexilla tandem quatuor mittunt. Leviora interim per campos prælia ſerebantur, promptiore quam neceſſe erat Hohenloio: ultra haud proceſſum, cum nec Mauritius, ſupra ætatis ingenium cautus, periculum in aperto, nec caſtrorum oppugnationem Mansfeldius ſperaret. At oppidum tormentis infeſtum, quorum magna penes Mauritium copia perfoderat domos, & quæ intus tormenta, pleraque corruperat, jam & vineæ patebant, propugnaculum uſque promotæ, quod vallo prætendebatur. Et ſeptentrionali ex parte in munimentum, cui minus timebatur, non quidem urbi continuum, ſed quod foſſa ambiretur, nocti pons adactus eſt ſcirpeo contextu. Cuſtodes incurioſos & paſſim jacentes (nam id quoque retulerant, quibus audacia introſpiciendi fuit) emiſi milites invadunt. Pauci fuga dilapſi oppidum formidine implebant. Nulla etiam ante imperii reverentia: nam ad quem propria oppidi præfectura ſpectabat, ante obſidium egreſſus, aberat; nec quiſquam alius par ei muneri: unde opera crebro ſtructa deſtructa conſiliis nutantibus. Ex iis ipſis, queis delata per obſidium præfectura, duo antea obierant. Et jam tertius dum auditæ trepidationi accurrit, illiſu ſaxi exanimatus plane obſequium ſolverat. Ita præter hoſtem nihil timebatur, auxeratque metum Mauritius, cum interceptas ad ipſos Mansfeldii litteras, retinere quas poſſet, mittere maluit. Quippe Mansfeldius, ſumto jam diſcedendi conſilio, monebat obſeſſos, ne id propter minuerent animos, ſpem vanam adjiciens, fore ut in alia hoſtem abduceret. Pacti vitam, ſigna quindecim Mauritio tradidere, integri adhuc a morbo vulneribusque ſexcenti, affluente & cibi & pulveris tormentarii copia. Sed in pœnam excepti ſunt, qui urbem iſtam prodiderant, cum ſceleris memoriam aſpectus loci, vetusque & recens labor exaſperaret. Eodemque die Mauritius Gertrudisbergam emtoribus eripuit, & venditorum ſupplicio expiavit. Re comperta Mansfeldius, haud ignarus ſuam incuſari ſenectam, & deteriora quamvis conſilia poſt eventum prævaleſcere, ac ſecundis vulgi auribus jactari, angebatur inſuper ſuſpecta Silviducenſium fide, ne civitas turbidi moris & nullis præſidiis inſeſſa proſperis hoſtium & ſuis ruentibus

Gertrudisberga, fruſtra obnitente Mansfeldio, Mauritio deditur.

Proditores ſupplicio afficit.

Mansfeldii anxietas.

bus mutaretur. Nam & Diſam amnem, quem urbs iſta Moſæ affundit, Mauritianus miles, qui tum Crepicordium caſtellum tenebat, objectu transverſæ molis in objacentia verterat: inde ablatæ fruges & pecorum paſtus rei privatæ damno pacem publicam laceſſebant. Viſum eſt placare beneficio, qui coerceri metu non poterant. Sed in caſtelli obſidium properantem Mauritius prævertit, equite ante miſſo, qui Moſæ tranſitu ac Bommelienſi inſula hoſtem arceret: mox ipſe cum exercitu amne invectus ſe caſtello atque Mansfeldio medium interpoſuit, proximiſque ex oppidis petita vi machinarum nullo adhuc præmunitum vallo (properam enim caſtelli deditionem animo præceperat) coegit relictis tabernaculis minus decoram fugam capeſſere Cukios in agros. Mox ponte impoſito Moſæ, velut Sylvæducis immineret, novos conatus hoſtium metu falſo morabatur. Tandem digreſſi duces miſſa parte copiarum Friſiæ bellum auxerunt. Poſtquam Stenovicum & Covordium interius ad Iſalam ſitis, Friſiorumque urbes & caſtella Groningam mari & amnibus abſciderant, unus in Germaniam exitus Bortania patebat. Haud latus is trames Dullardo haud procul ejus Oceani ſinu editur, vaſtas inter paludes Tarantiorumque genti longo ambitu circumfuſas. Wilhelmum Naſſavium, quo modo ſpem ultimam hoſtibus eriperet anxium, initio anni gelida hyems & flatibus adverſa tardaverat. Vere primo invectus mari Verdugonem conſpicit nuntiis excitum anguſta viarum inſediſſe, vetitusque mandatis certare prælio, inconſulto inſuper longius progredi quam certi eſſent commeatus, præſidium in proximo immunivit: unde aut apertis aquarum ſeptis mergeret campos; aut clauſis eoſdem ſua ſponte undantes ſiccari vetaret, ac ſic itinera impediret. Sed cum Verdugo partem ſui militis vaſtandis Friſiorum agris miſiſſet, non auſus id damnum contemnere Wilhelmus, ne adverſanti ſibi per Friſios factioni (palam enim odia eruperant) materiam criminandi daret, illuc & ipſe ſecedit, & qua poteſt adverſus incurſus in poſterum munit fines: inde vanis rumoribus aliorum conatuum hoſte decepto, Covordio, multarum rerum egeſtate laboranti, neceſſaria ſubminiſtrat. Sic æſtas acta verſis in Gertrudisbergam partium viribus; quæ poſtquam ceſſerat, Wilhelmus receptas cohortes terreſtri itinere admovit, cunctisque Covordium inter & Bortaniam caſtellis in deditionem

1593.

Crepicordium obſeſſurus a Mauritio fugatur.

VVilhelmus Naſſavius hoſtem ex Friſia interim pellere annititur.

 nem

1592. nem acceptis, in ipſa Bortania, qua Wendenſem inter agrum & Monaſterienſium terras proxime disjunctis paludibus (has quoque & æſtas & labor ſolito magis pervias fecerat) arctus limes, arenarum quodam velut clivo, interſternitur, quinque centuriis excitari hiberna, & propugnaculis firmari jubet. Ipſe cætera cum parte copiarum (quippe hoſti ſubſidia adventare intellexerat) pone Groningam conceſſit, præmatura ſpe illectus deſcituram civitatem, ſi Verdugo abſcederet, qui ſuburbanis munitionibus inhæreſcens auxilia opperiebatur. Atque interim Fridericus Herenbergenſis miſſu Mansfeldii valida cum manu, quod reliquos aditus præſidia hoſtium aut loci natura præcluderet, Othmarſum oppidum, & caſtella, quæ Wilhelmo tradita diximus, vi multa, nec ſine ſanguine, irrumpit. Inde ſucceſſu plenus cum Verdugone ad ſcindendas Bortaniæ munitiones ibat. Sed properata operum moles, & inacceſſa paludum ab impetu deterruere. Continuoque Wilhelmus, per exploratores edoctus in ſe veniri, foſſas & munimenta caſtrorum augebat. Queis tutus conſiſtentem campis aciem contemſit: neque contulit ſigna, prudens nullam ſibi neceſſitatem, & cuncta hoſtibus infeſta. Tali mora & levibus præliis detruſi Covordium intendunt, per humida & impedita, ſed ſubtus reperto ſolo, ſupermadentia faſcium aggeribus ſiccabant. Cumque ſubita belli locus abnueret, caſtellis Verdugo iter occupat, ſperans incluſi militis famem: deceptus falſis nuntiis, jam bis invecto quicquid deſiderari poterat. Tentavit & Caſparis Enſemi præfecti fidem præmiis, metuque, adverſus utraque invictam. Sed præcipitante jam anno, munitiones Hiſpanicæ cœno atque imbribus differebantur. Acceſſit victus inopia, cum per octo menſes vix tantum ſtipendii accepiſſent, quantum duobus menſibus debebatur: agrique circumſiti, etiam Germaniæ, rapinis defecerant. Secutum poſtea frigus auxit egeſtatem, & orta per utrumque tabe, fluebant corpora. Pars ærumnas & obſidium fuga deſeruere, nec, ut ſæpe olim, ſinguli, ſed centuriatim. Incitabatque Wilhelmus, ſi quis ad ſe tranſiret, præmia pollicens: Crevit hinc obſeſſis audacia, ut erumpere etiam auderent. Otioſa mox hyems, dum ſuis quisque auxilia & commeatus parant; nam & amiſſa ad Groningam caſtella obſideri a Wilhelmo Friſii juſſerant. Sed ſero jam anni, violentiora cœli quam

Bortaniam munit.

Herenbergenſis Othmarſum aliaque irrumpit.

Bortaniæ fruſtra tentata Covordium Verdugo obſidet.

Multa in caſtris Hiſpanorum calamitates.

quam hominum imperia prohibebant. Tantum cohortis partem, quæ per Germaniam conſcripta Verdugoni ſuccurrebat, armorum inexpertam, obvii Mauritianorum fudere. Aliaque per itinera fortuito concurſu varie pugnatum, cæſis fere aut direptis, quos commeatus aut ſarcinæ onerabant. Sed Waſiam terram tributa aſpernantem raptu pecorum & captivorum Solmenſis coercuit. Caſtella quæ invaſerat in tranſitu, ut abiit, hoſti recuperata. Philippus Naſſavius Limburgo circumjecta populatus aberravit urbe: atque ipſum Principem per mare & æſtuaria advectum compoſitæ in Brugas inſidiæ fefellerunt; ipſe madore ac frigore morbum contraxit, feſtinato abitu navis una mergitur: culpa utriusque caſus penes nocturni itineris duces. At regium per exercitum minuente rurſus pecunia ſeditio gliſcebat; initio motus ab Hiſpanis: tantaque Caroli Mansfeldii, qui præerat, irreverentia, ut miſſos ad ipſum commeatus interciperent: quorum flagitium deteſtatæ diu cæteræ nationes, mox viſo offerri tumultuantibus ſtipendia, negari quieſcentibus, ad eadem inclinavere: exactisque ducibus, quos rebus turbatis infidos putant, viliſſimus quisque conſenſu manipulorum præficiebatur. Is vitæ necisque dominus terret ſingulos, omnes timet, precariumque non regimen modo, ſed ſpiritum obtinet, pari periculo, accipiat imperium, ſeu recuſet. Vtcumque discordes & efferati dum conſilium legesque ſibi imponunt, nec ulla inter ipſos delictis venia eſt, juris neceſſitatem fatentur, ejuſdem boni teſtes, quod maxime violant. Alimentum iræ militari addiderat ſubita nimium Hiſpanorum, qui ærario præerant, parſimonia, revocatis ſtipendiorum auctuariis, quæ pro inſigniori opera, aut per gratiam Parmenſis conceſſerat. Nec tantum in Galliæ confinio, ſed Germanicarum urbium præſidiis idem furor rapinis & vectigalibus alebatur; ubi Noveſii civitas parte in prædam egreſſa reliquos militum dejecit. Secutisque aliis quicunque potuerant, documentum id militi fuit, ut avaritiæ temperaret, aut vires intenderet. Bercam quæ tenebant centuriæ ſeptem, abrupto & ipſæ obſequio, nullum ſibi ducem, ut cæteri, ſed ſenatum viginti & unius militum impoſuere; nec perpetuus is honos, ſed temporibus mutabatur. Exigebant vectigal ab agris circumſitis, meliore diſciplina, quam nuper ſub præfecti imperio factitatum. Is proventus, cum intra

1593.

Princeps infelici eventu Brugas inſidiis adortus morbum contrahit.

Regii militis ſeditio.

Seditioſorum regimen.

1593. menſes quatuordecim centum prope millia florenorum confeciſſet, in partem illis ſtipendii imputatur; pars altera perſolvitur, datâ impunitate. In eas leges cum illis tranſegit Hermannus Herenbergenſis, accuſataque a multis Bojoari antiſtitis negligentia, qui modico tum ſumtu recuperare oppidum ſuum potuit. Et cum Parmenſe jam id convenerat, ſed cauſatus exſpectandum nunc Erneſti adventum, queis ſtudiis teneretur, parum celabat. At Batavos his malis liberos cœli injuria affligabat, cum fine anni ingruens tempeſtas apud Flævum ſtantem in anchoris claſſem, navium quinquaginta, ut vela in Italiam expediret, per inſulas & vada infido mari depreſſit, ac vicina littora naufragiis & luctu complevit. Sequentem annum miſſus qui Belgicam regeret Erneſtus Auſtriacus excepit, exitialem ſibi & Hiſpano maxime luctuoſum. Erepti namque Friſiii, detractæ Galliæ, arma imprôſpera, inſidiæ pacis infames, hoſtium res inclytæ & florentes, apud ipſos inopes & turbidæ. Quæ mala in vitæ tædium aut mortis neceſſitatem egere. Adventum ipſius cauſæ plures, res Turcicæ, imparata pecunia, & familiare ipſi malum articularius morbus, tardaverant. Solennia præfecturæ delata a Belgis multa gaudii oſtentatione, qualem vix olim principibus ac lætis rebus imputaverant: adeo facti in omnem patientiam malorum levamenta pro proſperis interpretabantur. Non enim jam Mansfeldium vana imperii ſpecie ſuis pariter atque hoſtibus ludibrio fore: mutatum invalidum ſenem magna nobilitate. Simul honore & velut redditis legibus gloriabantur, quod Regi ſanguine & affinitate innexus more priſco ad ſe mitteretur. Albanum meminerant & Requeſenium externis imperiis bellum irritaſſe. Et Parmenſi, cætera haud inviſo, patriam objici ſolitam. Iohanni vero, qui regium genus quocunque jure attingeret, modeſtiam magis, quam populi & nobilium ſtudia defuiſſe. Venire nunc veram imperatorum ſobolem, Germanica integritate, nec odiis imbutum, & concordiæ faciliorem. Pannonias & extrema imperii fratris Imperatoris vice rexerat, amatus ſubditis curandi comitate & otii blandimentis, non laceſſens hoſtem, non ipſe laceſſitus. Haud ultra quietem ferente barbaro amotus prælis, & potior viſus qui res Belgarum componeret, feſſis armorum civibus, & gnaro Rege quibuſcunque legibus conſtitutæ pacis uſum penes imperantem fore. Gravitas morum Erneſto

1594.

Ab Herenbergenſi pacantur.

Claſſis Batava apud Flævum vehementia tempeſtatis deſtruitur.

Erneſtus Auſtriacus Belgicæ præficitur,

Magno cum Belgarum gaudio.

erat:

erat: Belgæ faſtum interpretabantur. Cæterum, quod proprium genti, rebus haud ſuperior, conſiliis & mandatis facile regebatur. Hac ingenii mediocritate ita placuerat Philippo, ut ſuam illi filiam in matrimonium, & regnum Galliæ ſociare per legatos in Gallorum concilio acerrime contenderit: ſorte & metuens ne ſi cui Gallo nuptum illa iret, exſtincta aliquando ſua virili ſobole, Hiſpania Galliæ acceſſio fieret. Sed aliter fatis viſum, quæ Henricum Borbonium diverſa per itinera in regnum perduxere. Is anxius jam dudum, quod natus imperio ſola religionis ſpecie arceretur, multis quoque principum hanc per cauſam impediri ſe teſtantibus, quo minus auxilia ipſi ſubmitterent, attritas ſibi vires, atque alios ſummæ ſpei proximos, amicos inter, laudantes honeſtam conſtantiam, aut ſuadentes profutura, incertus volutabat. Tandem, ſeu quod nihil crederet ſanctius regni quiete, ſive & priorem viam more quam judicio amplexus fuerat, accepit Romanam inſtitutionem. Quod adeo Hiſpani non interfuit, ut multos deinde per annos odium & arma continuaret: nec ita dudum, Aumalio annitente, Picardiæ urbes, fini Belgico proximæ, adactæ in ipſius verba fuerant. Etiam Romæ diu apud Pontificem (Clementi nomen erat) & potentiſſimos conſilii, vi ac minis obſtitit, ne pœnitentiæ Regis veniam aperirent, perfugam ſacrorum & novæ pietatis ſimulatorem vocans. Sed utriſque primum partibus, unde abierat, & ad quos venerat ſuſpectus, ſalubri dein moderatione, his maximas poteſtates, tuta illis ſacra & partem honorum largiendo, ſpem vicit, & diverſiſſimos ante compoſuit, niſi paucos, quantum acceperint ignaros, quos nulla unquam felicitas, aut nulla ultio expleverit. Brevi cœptis per inducias commerciis, &, ut fit, plebi allubeſcente otio, validiſſimæ civitates, & caput gentis Parrhiſii, ac perduellium duces, obſequium accepere, diſcordia inter ſe, & externæ dominationis metu. Meduanium, Bruxellam cum veniſſet, Hiſpani, ut ſuis conſiliis adverſum, retinendum cenſuere: ſed Erneſtus, famæ reverentior, obſtitit: conſilium tamen primo partium duci ad promerendam Borbonii gratiam incitamentum fuit. Nonnulli propria cupiditate, vel Hiſpanorum artibus detenti, ſpes ſuas & pacem omnium morabantur. Præcipue inquies Picardia, & quæ circum alia Hænoviorum atque Atrebatum vicinitate & vi Hiſpanorum infeſta erant; primoque vere Carolus

1594.

Philippus illi filiam in matrimonium deſtinat.

Borbonius Romana accepta inſtitutione omnia feliciter in regno ſuo componit.

1594. Mansfeldius, qui eos per fines bellabat, antequam ab Henrico auxilium adventaſſet, Capellam Tiracenſis agri municipium, cum foſſa ſiccata vallum oppugnaretur, in deditionem compulerat. Mox ipſe Rex cum copiis pervectus Laodunum, iisdem finibus adſedit. Ubi trita æſtas, depulſoque Mansfeldio, qui perrumpere obſidium nitebatur, oppidum in poteſtatem venit. Dederantque fœderati Ordines pecuniam Henrico hac lege, ut Belgis arma inferret, quod Eliſabethæ inviſum, quæ cum bello ſui quoque uſum ac reverentiam finituram providebat. Variis rumoribus Regis a religione defectio per Batavos Britanniamque jactata; ut fere nulla res plus ſermonum aut liberiora judicia experitur: cæteros ira & deteſtatio, Romana ſacra venerantes ſpes inceſſerat poſſe & alibi acceptos in publicum ritus ſociari, utque Gallia Germaniæ, ita reliquos Galliæ exemplum ſequi. Sed fœdus & humanorum ſocietas cum Rege manſit; religiones ex ſuo quisque uſu ordinavere. Et gnari Ordines ſecretis in ſe artibus graſſari hoſtem, explorandum ſanxerunt, ne quod ſcriptum publice perniciosum in vulgus ſerperet, neu magiſtri operatam ſtudiis juventutem pravis opinionibus imbuerent: inde hoſtis in pacem, ipſi in bellum conſilia vertere. Et quia Erneſtus aucto exercitu famam & terrorem novæ præfecturæ circumdare audiebatur, emiſſi qui per Angliam & Germaniam pedites quater mille, parum equitis ſcriberent. Tutùm militibus iter & hoſti ignarum, qui fruſtra ad Rhenum occurrerat. At contra Erneſti delectus paupertate atque aliis caſibus impediebantur. Nam Franciſci Saxonis Lawenburgici cohors, Monaſterienſium agro paulatim coiens, a Batavis cæſa partim diffluxit; & his, qui ſuperfuerant, Oldenburgius comes ſuos per fines tranſitum negavit: Cimacenſis quoque e Flandris ac Walonibus contrahebat militem, ſpe ipſi facta fore ut in præſidiis attineretur. Sed ubi duci ſub Verdugone cœperunt, dilapſi pars magna; alios morbi atque egeſtas abſumſerunt. Alia Swartſenburgii cohors partim ab hoſte, partim a ruſticis ad Carpam & Aquægrani conciſa. Alii in Hungariam militatum iere. Ita novus miles averſus, vetus inobſequens, multum decepere ſpes ante conceptas, triginta millia, diviſis copiis, ultra citraque Rhenum bellatura. Ipſumque Erneſtum, quanto nuper exſpectatior, tanto præſentem major contemtus excepit, ubi otium, Venus, morbi ipſius innotuere: ita ut famoſis quo-

Fœdus cum Fœderatis ſervat.

Ab ordinibus cavetur ne ſubditi ſui pravis imbuantur opinionibus.

Ordinum novi delectus; Erneſti impediuntur.

Erneſtus Belgis contemtui.

que

que carminibus laceraretur. Oneravit ejus inſuper famam apud Belgas, quod urbibus quibusdam Hiſpanorum ingerere præſidia voluit. Quod ab Inſulanis & Namurcenſibus contumaciter recuſatum. Vernante primum anno in campos proruptum, irritis inſidiis duas in urbes plurimum momenti partibus addituras. Silvamducis, quæ talibus cœptis raro indulget, fortuna eripuit; quia adventu militum collapſus lapis vigiles adverterat. Trajectum ad Moſam etiam culpam habet, exterritis centurionibus, quos Princeps nave præmiſerat: & quia miles additus, itinerum gnarus, prædæ quam virtuti aſſueverat: niſi forte interdum non magis animorum, quam ſucceſſuum, penes nos poteſtas eſt; forteſque alias & intrepidos fatalis interdum ignavia, & repentinus pavor lymphaverit. Trans Rhenum inde Mauritius conceſſit, tot ante geſtis apud Friſios finem impoſiturus, quo ſimul Wilhelmi manus & nova agmima coiere: relicto apud Bommeliam Hohenloio, qui duabus cohortibus Hollandicum finem tueretur. Haud multo ante Verdugonis milites, cum aquas adhuc hyems glaciaret Delphizylium adorti, ad Amaſium amnem caſtellum, primos conatus ſilentio texere, mox ad terrorem clamoribus utebantur; adeoque improviſi involaverant, ut in aggere maritimo, qui imperitia ſtruentium trans foſſam ductus vallum attingebat, ſubito tumultu & ambiguo Marte certaretur, ni propinqua navis adactis telis, & propugnantium virtus aggreſſorem multa cum cæde depuliſſet. Tum Groningani dona & preces Erneſto allegavere, ne ſummum ducem & robur exercitus, promiſſa toties, in communem ruinam & excidium urbis differret. At Princeps, gnarus Brabantiæ timeri, atque alteram partem copiarum bello Gallico illigatam, præmiſſis munitoribus Covordium verſus incedit, itineri ſimul, &, ſi neceſſitas ferret, prælio. Decem peditum millia ſepteno agmine diviſa; eques media, ſed maxime tergum ambierat. Novi conſilii ratio, ut turmas hoſtium (nam ei parti virium Verdugo maxime fidebat) haſtatus primum miles, & aliquot in fronte machinæ frangerent; mox feſſos equitatus prorueret. Lævo a latere currus & advecti obſeſſis commeatus, & cohortium validiora. Dextrum tormentis & flumine Vidro claudebatur. Etiam Verdugo pro munimentis aciem oſtentaverat, ut vires animosque hoſtium ſpecularetur, facili refugio, vel ex occaſione auſurus. Et Princeps quidem conſulta-

1594.

Silvaducis & Trajectum ad Moſam irritis inſidiis tentantur.

Delphizylium fruſtra irrumpere conantur Hiſpani.

1594. ſultabat, munitis paludibus ad obſeſſos penetrare, an caſtella aggredi certius foret. Sed Hiſpanus fractas longa inopia cohortes & imminente periculo diſcordantes, veterem Parmenſis militem, nocte & ſilentio eduxit, Oldenſaliam verſus concedens; ibi caſtra fixit, militemque ſtipendii vice præda ſatiavit, populantem Germaniæ agros, & quæ brevi hoſtibus ceſſura tanto avidius raptabantur. Militum nonnihil trans Amaſium, ubi Linga oppidum Regis imperio tenebatur: pars Groningam miſſi, quo vulgus ingenio mobile, & ſubitam, ſi quid ingrueret, formidinem coercerent. Poſtquam nocturnam fugam & vacua caſtella dies aperuit, lætique inter ſe & gratulantes liberatores & obſeſſi conſalutaverunt, proximum fuit, quod deſtinatum hactenus, Groningam, quaſſatam prioribus annis, impellere: quanquam mœnibus propugnaculisque valida, nec ad victum, nec ad belli paratus, quicquam deſiderabat; & e Friſiis primorum haud pauci tracturam in ſe commercia urbem hoſtilem, quam ſociam, malebant. Dimiſſo equite, qui cunctos hoſtium aditus apud Stenovicum Covordiumque & Bortaniam clauderet, relicta Zutphaniæ cohors, qui hoſtem, ſi opus, diſtineret; tormenta mari advecta. Ingreditur Princeps campos multa ſuorum clade luctuoſos; namque ipſi e Saxonibus maternum genus, quos eodem in obſidio mors intercepit, aut irritus diu labor omittere coegit infauſtam poſſeſſionem. Nec patruis parvo conſtiterat, civile bellum ibi provocaſſe. Vetuſtiſſimi ſuperſtites locum monſtrabant, quo jacens Adolphus cæſi Arenbergii exuvias, & primos armorum ſucceſſus nobili ſanguine corruperat. Noſcebantur & caſtella, queis Ludovicus inſeſſis defectionem civium ac ſtudia libertatis fruſtra ſperaſſet. Tum Lemminga non procul, & ſeptem millium ſtrage deteſtabilis ripa. At Princeps ac Wilhelmus (pariter enim hic imperabant, nulla æmulatione aut diſcordia) ut ſuorum gloriam ſupergreſſi locos omine exſolverent, ſtationes urbi circumdant, metanturque ipſi eam ad partem qua Groninga Friſiis averſa Germaniam late proſpectat; haud equidem alibi turribus & propugnaculis annexis vallo, aut extra jacentibus munimentis, firmior. Sed antequam inclytæ urbis obſidium peragam, ſitum regionis & occurrentes ſæpe populos aperire haud fruſtra erit, quia non alibi attigimus. Transrhenanæ gentes, quæ Amaſio includuntur, vetuſtam haud dubie claritudinem obtinent. Antiquiſſima, ut cæ-

Adventu Principis Covordii obſidium ſolvit Verdugo.

Princeps Groningam obſidet.

Occurrentium populorum & ſitus regionis deſcriptio.

ut cæteras apud gentes, fabulis incerta, priusquam Romanum imperium cum armis rerum memoriam propagavit; tum Friſiorum virtus & fides nobilitata: Francorum nomen ſerius auditum; quorum pars Salii, ab amne, quem Salam veteres dixere, nunc aucto vocabulo Iſala creditur; & inde Salicæ leges. Conditores & originem non harum magis nationum quam totius Germaniæ memorem, conſtanti etiam apud veteres opinione, indigenas eſſe, qui colant: id eſt, qua primum tempeſtate mortales aucta ſoboles, vel cupiditas, impulit tentare maria, quærere ſedes, fuiſſe qui & hoc ultimum Oceani littus ſortirentur. Nec interim negem, partem Normannorum, & Saxonum, & ſi quæ aliæ gentes maritimam oram claſſibus tenuerunt, per eas regiones relictam, in mores & imperium coaluiſſe. Eodemque ipſi exemplo exundantem multitudinem proximas in terras & longius effudere. Sed maxime memorandum, regnis duobus, Francorum in Gallia, Anglorum apud Britannos, primordia iſtis finitimisque a gentibus duci. Qui domi ſtatus, quæ rudibus ſæculis Reipublicæ ſpecies, haud ſatis affirmem; niſi quod ultima ab origine reges præfuiſſe intelligo: neque id nomen infinitæ poteſtati; ſed, quomodo per omnem Germaniam, ſummum arbitrium penes plebem & principes erat. At poſtquam commune Germaniæ Galliæque imperium, & mox reſolutum, quæ mediæ erant gentes in libertatem, principes in dominationem traxere; turbida cuncta, nec quicquam diuturnum. Et Chriſtiana inſtitutio non omnes apud gentes pariter accepta, ut animos, ita regimen diſſociavit; dum alii, ſpecie illecti ſanctimoniæ, ſacerdotum imperia optant: ſapientiores ducem potius & arma quærunt adverſum barbaros, terra marique ingruentes. Hinc bella inter ipſos, & quanquam de religione convenit, non tamen certamina deſiere; quæ obtentu pietatis, atque inde vi & ferro, diverſis artibus tractabantur. Sic epiſcopi & comites, diviſis inter ſe Batavis, ſimul conterminas gentes, ut cuique proximum, rapuere. Nam Zutfanienſes ultra Iſalam primi occurrunt, Geldriæ acceſſio. Hinc, quæ proprie regio Transiſalana dicitur, & ſuis nominibus Tubantes, Salandi, Tarantii, Trajectinis pontificibus tenebantur. At Friſiorum, quod intra Flævum eſt, poſt longam rebellionem, in mores imperiumque Hollandiæ conceſſit. Qui ultra lacus ſunt diverſam ripam bello & atrocibus præliis implicaverunt, 1594.

1594. verunt, victi ſæpius quam domiti; quia Hollandi principes dedignabantur precario imperare, & ipſis avita, utque arbitrantur, imperatorum ſanctionibus firmata libertas. Ita, in medium conſulentes, ſuorum e numero ſummæ rei moderatorem legebant, Poteſtatis vocabulo. Sed munitiſſima antiquitus urbs Friſiorum Groninga, oportunitate Amaſii fluminis, Germaniæ confinio, attollitur. Inde olim, ſuper ingenii ferociam, ſpes civitati acceſſerat, ut totius nationis caput, mox Iſala tenus imperaret. Quod cum negaret belli fortuna, Lavicam & Amaſium dominationis terminos conſtituit, circumjecto agro gravis: quippe vetitis diſtrahi mercimoniis, ni venum prius in urbem ferrentur. Munimentum hujus potentiæ, poſtquam pactis uſuque juris nomen induerat, externi principes quæſiti, & ſæpe mutati, queis propugnatorum honore ſalvis legibus tributa pendebantur: id lætum in præſens dum gratiæ ſtudetur; quæ poſtquam magnitudine & invidia conſumpta eſt, pernicies exempli patuit, inſito principibus quovis modo parta retinere, cœptasque opes, ſi obſequio deſtituantur, per vim intendere. Contumax igitur civitas, nec libertate contenta, & ſervitutis impatiens, tum vero & inteſtinis plerumque diſſidiis concuſſa, dominos ſibi ſemper adſcivit dominorum tædio, expers ejus boni, propter quod a populis arma capiuntur. Ita Trajectinos olim antiſtites experta, inde Saxonum metu ad Transamaſianos, Geldros, tandemque Auſtriacam ad domum devoluta, tantas inter jactationes gloriam ſemper aluit, retento per Auſtriacos jure, ut ipſa ſibi magiſtratus legeret, uno excepto principis legato, qui ſupremo judicum de rebus agri cognoſcentium conſeſſui præſideret. Hocce bello, quo nihil immotum fuit, graviſſimis ſeditionibus agitata, ad extremum ſub Hiſpanica dominatione reſedit, libertatis ſpecie: non, ut aliæ civitates, ſacrorum diſſidiis; nam cum atrociſſimæ leges in novam profeſſionem ſævirent, undique exactis tutum ibi perfugium fuit: ſed quia, ardeſcente inter ipſos & accolas diſcordia, Fœderati proceres ex vero, aut in gratiam nobilitatis ſtatuerant: callidior Hiſpanus favebat urbi, unde in ſubjecta regimen: hoc uno impulſi, ut deſciſcentem Rennebergium ſequerentur (adeo prima mortalibus ultionis & odii libido eſt) religionem & fœdera projecerunt. Præſidium, ut alibi memoravimus, aſpernabantur, ita pacti cum Rege, qui

alia

alia quoque onerum levamenta indulſerat : ſed e plebe tria millia Hiſpano merebant. Peregrinus miles ad nongentos ſuburbana inſederat; commeatuum, machinarum, pulveris quantum vix uſquam. Poſita caſtra ab urbe longius, quo minus noxæ tormenta urbis inferrent firmandis operibus contra vim internam externamque. Solida ac ſalubris planities rivos inter Hornam ac Scutendipum diffunditur, qui orti Tarantiorum paludibus per foſſas Groningæ tranſeunt, & per Reidipam mari miſcentur. Cum toti urbi ambiendæ non ſufficerent copiæ, hinc illam oppugnare, hic & hoſtem, ſi adventaret, excipere placuit, effuſis rivis ut cuncta circumjacentia ſtagnarent. Compertumque experimento, vicinas oppidis aquas non magis prodeſſe arcendis hoſtibus, quam nocere interclusis auxiliis. Duxit Princeps etiam rivos, queis tormenta facilius caſtellis per agros paſſim jacentibus admoverentur. Deſerta quædam facile in poteſtatem venerunt. Sed nobiliſſimum, cui Adoardizylio nomen, cum præfectus conſtantius, quam pro præſenti neceſſitate, defenderet, acceptis pontibus ſcalisque, tanto oppugnatum eſt calore militum, ulciſci ſociorum cædem anno ante eodem in loco patratam flagrantium, ut nec recepta ſit ſera deditio; nec, ut impetus fieret, imperium ſit exſpectatum. Ita facta cædes, quam auxit ignis fortuito illatus. Hoc caſtello occupato facilius e Friſiis commeatus in caſtra adnavigabant; etiam Emdanis haud pauca mittentibus, donec Verdugo minis terruit, ne ſtudium proderent. Eruptum & ex oppido & ex ſuburbio non improſpere, continuos per imbres fatigatis cuſtodibus novorum operum, quæ ambitione militari feſtinantius quam cautius promovebantur. Major mox cura, paulatim adfodiendi utrumque in latus portæ, quorum alterum valli propugnaculo, extra jacente munimento alterum defendebatur. Tormentis vehementer utrimque certatum eſt. Agger & ex humo opera ictibus utcunque reſiſtebant; pontes, portæ, turres, ædificia dejiciebantur. Et captis ad Verdugonem literis apparuerat nitrati pulveris copiam prodigo uſu, & caſibus, prope abſumptam. Moniti ergo, ne a ſociis deſerti, quorum alios Gallia, alios ſuæ diſcordiæ diſtinerent, clauſi armis, ruinam ultro irritarent. Reſponſum, non ut ab obſeſſis, ſed qui antiquitatis & recentium memoria ſuperbirent, maximis ducum non impune laceſſiti. Non eadem tamen mens omnibus, & diffidendi cauſæ. Plebis collegia, quo-

1594.

Obſidii relatio.

1594. quorum major circa publica auctoritas, quam ipſis expediat, arbitrium omne magiſtratibus permiſerant; imminente nuper obſidio legatos miſerant qui auxilia concirent. Sed ſecuræ tanti diſcriminis Belgarum civitates, certantibus circa præfectum novum ſtudiis, profundere ſciebant pecuniam, uti neſciebant, cujus nunc penuria res maximæ amittebantur. Igitur fuere qui proponerent tradendam duci Brunovicum urbem, ſequeſtre ejus conſilii Hohenloio, & ſi ſuccederet, vicarium ſibi imperium ſpondente. Sed eam ſpem abrupit obſidium; quo cœpto, modo ut mortui humarentur, modo rurſum ut liberarentur captivi, aliaque ſpecie agitata ſæpe colloquia: conceſſis etiam brevibus induciis, quas tandem oppidani prorogari poſtulant, donec reſponſum certius Bruxella peterent; quod merito repudiatum. Præcipuus magiſtratuum Iorgius, conſul ante, tum tribunus militaris, paci obſtans, armatus Ieſuitarum vocibus, in ſe traxerat egentiſſimos vulgi, queis nullæ ex publico ſpes metuſve. Hi hoſtium internuntiis pacisque laudatoribus minabantur exitium, non cæde, non rapinis abſtinentes. Iam vineæ atque aliæ propius exitium oſtentabant. Sed longe miſerrima facies, cum miſſili igne noctes lucerent incendiis; denſique & conglobati, ut domus, ut fortunas defenderent, ardebant & ipſi, aut globis lacerabantur. Poſtremo quid vitarent, quid tuerentur ambigui, implebant cuncta formidine & lamentis. Contra ſacerdotes, & quos Hiſpanus ſtipendio obligarat, privatis commodis partium & conſtantiæ nomen imponunt: auſisque jam ſuburbano ex præſidio nonnullis trans foſſam actis naviculis intrare urbem, his advocantibus, illis prohibentibus, flagrabat ſeditio, quæ initio haud incruenta, mox externo metu conſedit. Princeps, ut bellum urgendo pacis conſilia impelleret, maximum ex omnibus intra foſſam propugnaculis, in quo arcis Albanicæ manebant veſtigia, cuniculis ſuggreditur; & quo dolum alio conatu velaret, quaſſata machinis munimenta capturus impetu minatur. Simul ingenti oppidanorum concurſu velut detruſi oppugnatores retro ceſſerant, accenſo pulvere quem ſpecus occultabat, dirupta moles excuſſam multitudinem in foſſas adjacentes & longius intra caſtra effudit: pars vivi aperta humo mergebantur. Tum per ruinas ingreſſos milites, (Scoti erant) quo minus inhærentes fugientibus una urbem irrumperent, ruptus aſſer, qui pontis uſum

uſum præbebat, impediit; locum tamen tenuere, ſaccos arena fartos opponentes ingruentibus telis. Iamque omnes flagrare in ulteriora, cædem poſcere, eruendæ urbis avidi. Hanc illam, cujus ſcelere cuncta trans Rhenum quatuordecim per annos exhauſta bello aut corrupta. Tot caſtellorum excidia, atque agrorum ſolitudinem, cruentaque prælia vicem depoſcere. Id documentum cæteris fore, ne vincendi dies tenerent inani pertinacia, & ſuperbis ultro reſponſis illuderent. Quid autem glorioſius duci, quam rebellatricem in urbem, cædibusque ſuorum & ſpoliis ovantem, jus uſurpaſſe victoriæ. Aut ſi generis injuriam, majorum ultionem publico poſthaberet, non tamen ſervandam civitatem, iniquam vicinis, intractabilem legibus, nec libertati fidam, cui inſurgens aliquando perniciem latura ſit, aut, ſi domaretur, infamiam. Hæc coram: ſibi quisque prædam urbis opulentæ animo præceperat. Sed Principi, quique aderant Senatorum, ad reliqua belli perpetranda utilius viſum, licentia ſævitiaque in cives militem non imbuere. Sic preces & legatio valuere, compoſita e variis ordinibus, etiam ſacerdotum, quæ mœnibus egreſſa urbem, quantumque ejus ditionis, fœderi addidit, ut ſuis legibus pari jure cum ſociis regerentur. Præſidium accepere, dum nova imperia in conſuetudinem verterent; & junctim Friſiis rectorem Wilhelmum Naſſavium. Vrbanus miles & externus incolumes abiere ſeptimo calendas Auguſtas. Ingreſſus urbem Princeps Proteſtantium ſacra reſtituit, ejectis ſimulachris, utque convenerat, magiſtratus legit, maxime ex his, qui ob religionem exſulaverant, valituris in poſterum legibus. De accolarum diſcordiis, quæ olim per arma atque acies exercitæ nondum ſederant, ſociarum nationum Ordinibus permiſſum arbitrium eſt. Atque interim Bruxella Hagam Otho Hartius & Hieronymus Comannus venere, velut privatum ob negotium ad Cimacenſis miſſi uxorem, quæ mariti ſævitiam fugiens, apud Batavos exſulabat. De pace, non ut tanta res merebatur, ſed obiter egerunt, ab Erneſto literas ferentes, queis belli onera, veterisque obſequii & commerciorum bona differebat. Nec ullas unquam immortales diſcordias fuiſſe, paucas bello, pace plerasque transactas. Tum ſi qua perfidia hactenus formidaretur, at non Auſtriacæ domus incognitam virtutem, aut ſuſpectum ſe pacis auctorem. Quin haud alia ſpe patriam, & fraternos penates deſerere, quam ut redderet Chri-

1594.

Groninga deditio.

Erneſtus per legatos apud Ordines de pace agit.

1594. Chriſtianis gentibus veram fidamque concordiam. Convenire Ordinibus viciſſim ne ſuas res proſperas, adverſariorum ambiguas, in diſcrimen & belli fortunam mittere mallent, quam tempus occupare, quo darent magis, quam acciperent pacem. Ad ea Ordines, altius orſi, reſponderunt de cauſa magnifice, pro ſacris & legibus, quæ Maximiliano quondam imperatori placita Mathias Erneſti frater bello texerat. Inde implacabili Hiſpanorum rabie ſibi in arma truſis, nequaquam ignotas bellorum vices, ſed laborantibus & oppreſſis Deum adfuiſſe: & nunc, magnis ſocietatibus ac ſua virtute ſubnixos, illum eventus judicem malle quam hoſtem toties perfidiæ expertum; & ne ſociis ſine regibus arma ponerent, fœderibus quoque ſe impediri. Simul exempla addebant falſo oſtentatæ vel irritæ pacis: neque nunc accidiſſe quicquam, cur ſperarentur tutiora. Nam Philippum adeo veteres offenſas non remittere Chriſtianæ paci, ut barbaros potius pateretur raptare Europam quam deſineret ipſe aliena regna per arma & fraudes inceſſere. Quod literis convictum Philippi ipſius ad Wilhelmum Clementium ſcriptis, queis Cæſarem pollicitando lactare jubebatur, addito, ab imperio Hiſpanico vim Turcicam facile donis poſſe averti. Nec ſilebant Ordines, ſanciendæ pacis ſolennia præfectis delegari; ſervandi jus & poteſtatem penes dominos eſſe. Quid denique ſpei, dum premeret Belgicam miles externus, & ſummæ rei compotes Hiſpani atrocibus conſiliis Erneſti bonitatem convellerent? Iactabatur in odium pacis non paucorum inter Romanenſes ſententia, quæ diverſa ſectantibus ſervandam fidem neget: verſa merito in ipſos commenti pernicie, dum ſtudio diſſidendi hominum commercia abrumpunt. Cunctis nimirum qui fas atque honeſtum ſuo in uſu habent, nec ullo obtentu dedecus mutatur, & ne diu perfidia fruantur, ipſi adverſum ſe documento ſunt. Plebs etiam, quam primum bellorum pœnitet, recentibus hoſtium flagitiis in iram novata omnem concordiæ ſpem averſabatur. Namque Hiſpanus, tot inclytam victoriis Mauritii juventutem, & duplicis regni fœdus metuens, usque adeo magnitudine periculi infamiam contemſerat, ut emtis percuſſoribus ſingulos per ictus conficere deſtinaret quod vix totæ acies præſtarent. Nec aliud unquam tempus ejuſmodi flagitiis fœdius fuit, ut nemo veram ab illis pacem ſperaret, qui jura etiam armorum & conceſſa odiis egrederentur. Anno hoc

Quam illi repudiant.

hoc ipſo, quo colloquium petebatur, ſacerdos Namurcenſis, deinde miles alter transfuga, ſuſpicionibus præventi, ex ipſa vultus inconſtantia, ut difficulter teguntur tanti ſceleris meditamenta, mox tormentorum metu, ordinem inſidiarum patefecerunt, queis Princeps, & frater Henricus Fridericus, atque alii eminentes in Republica viri petebantur; propriis quisque de cauſis: Leoninus, quod a partibus regiis deſciviſſet: Aldegondius, quod ad ſpes in Regem perfidas excitaſſet Parmenſem: Oldenbarneveldius, quod adverſus paci crederetur. Michael Renichonius & Petrus Furius ſontium nomina: ſed rectius auctores edentur, qui in conſpicuo poſiti & gloriæ capaces huic ſe probro obſtrinxerunt. Fontanum igitur & Ibarram Hiſpanos, Stanlæumque Daventriæ proditorem, atque e Belgis Lamotam & Barlæmontium, veteris in Naſſavios odii hæredem, ſimulque Aſſonvillam, Arauſiana cæde jam olim maculoſum, reperta apud reos indicia, aut ſponte faſſi, poſtquam certa mors, neque in ſpargenda culpa pretium erat, prodiderunt. Etiam Erneſti pollicitationes, atque hortamenta referebantur: ad Renichonium quidem, largo ſe fœnore penſaturum; ad Furium hæc ipſa: ſi id præſtas, quod mihi polliceris, ut tyrannum mactes, recta te via in Paradiſum ducet. Nec deerant, qui hoc argumento tranquillum ejus quod credebatur ingenium contra interpretarentur, quæſitumque arguerent modeſtiæ vultum, quo tantam feritatem occultaret. Comannus certe & Hartius, dum in Batavis agunt, erumpente Renichonii ſcelere, Erneſti ullam in eo culpam negabant; addentes paratum & Barlæmontium, ſi venire fide publica datisque obſidibus liceret, coram dicta refellere. Sed cum non alia lege admitteretur, quam ut evictus pœnam ſubiret, conditio repudiata eſt. Sub idem tempus Lodovicus Lopes Luſitanus, ſed Iudaicæ originis, medicus per Angliam, comprehenditur, qui quinquaginta millibus ducatorum ab Hiſpano ſibi promiſſis ſpem feciſſe veneni in Reginam indicibus & literis convictus, cum conſciis crimen ſupplicio expiavit. Auctores rei dicebantur Chriſtophorus Morus, & Fontanus quoque, & Stephanus Ibarras, tum Bruxellæ agentes, quos Eliſabetha datis ad Erneſtum literis perſtrinxiſſe contenta, concitores talium Ieſuitas nominabat, & communis exempli cauſa dedi ſibi poſtulabat; non id adipiſcendi ſpe, ſed quo Hiſpani famam magis oneraret. Aliorum quoque ſimiles moli-

1594.

Renichonius & Furius a Rege aliiſque magnatibus in Principem & aliquot Belgarum proceres empti percuſſores.

Lopes ad Eliſabetham veneno tollendam a Philippo in Angliam miſſus capitis ſupplicio afficitur.

1594. tiones prorupere, mirum quanto proventu hominum, quorum par ad promittendum & ad indicandum ſcelus levitas erat. Auxitque Ieſuiticæ ſectæ invidiam in Gallia, fine hujus anni, Iohannes Caſtellus, juvenis ipſorum ex diſciplina, perſuaſusque a magiſtris nulla illi regia jura, qui a Romana eccleſia alienus viveret. Is ergo revertenti ex Picardia Parrhiſios Regi cultrum in jugulum direxit, ſed flexu corporis ictus in dentem incidit. Id facinus Parrhiſiorum Senatus, non contentus ipſius ſupplicio, diruta quoque altrice domo, & mole ſuperſtructa, quæ facti memoriam præferret, tum & Ieſuitarum exſilio expiavit. Namque his præcipue talia & Batavi & Angli & Galli imputabant, ut qui pietatis & fortitudinis laude incendant juventutem, additis e veteri copia exemplis, quoties tyrannos publice nocentes privata audentia depuliſſet. Ea de ſecta, quoniam occaſio tulit, nec alii plus in partes contulere, pauca diſſeram. Auctor inſtituti Ignatius Loiola, Navarrico bello ad Pompejopolim vulnere debilis, fortem adhuc & militarem animum quietiores ad curas retulerat: acceſſitque ambitio condendi familiam, cui in ſpem futuræ magnitudinis, non hominis alicujus eximii, ut tum mos ferebat, ſed ipſius Ieſu nomen præſcripſit. Aggregati quibus nova volentibus erant, incredibili ſtudio duo maxime percoluere, vim Pontificis Romani, & opes Hiſpaniæ: primique in cauſam labantem egregia præſidia induxerunt, & neglecta hactenus, mores inculpatos & bonas artes: crebris certaminibus exerciti varias adverſus religiones, quæ per ea tempora Romano nomini inſultabant. Aucta per Americam & Indiam gloria, dum feras inter gentes Philippo imperium Chriſtiana inſtitutione circumdant. Claraque prodigia velut ipſis evenerint, per locorum longinquitatem celebrantur, fiducia affirmantium, & credendi facilitate. Cætera reipſa aut in ſpeciem abunde ſunt. Fidem & pudorem ſunt in quibus requiras. Magna in vulgum auctoritas ob vitæ ſanctimoniam, & quia non ſumta mercede juventus literis ſapientiæque præceptis imbuitur. Sui per urbes & populos præſides; cunctis per orbem unus imponitur, ut plurimum gente Hiſpanus. Sapienter imperant, fideliter parent. Transgreſſi in morem non una habitant omnes: anguſtum videbatur ſocietatis incrementa parietibus includere; dant nomina & conjuges, nec quicquam prius docentur, quam mortis metum & cunctos hominum affectus exuere.

Caſtellus Ieſuitarum impulſu regem Galliæ occidere conatur.

Ipſo ſupplicio affecto Ieſuitæ in exilium mittuntur.

Sectæ Ieſuiticæ deſcriptio.

exuere. Sed maxime adſciſcitur, ſi quis ingenio ante alios, 1594.
aut ſanguine divitiiſque pollet. Vſus in ſingulis: nam ingenia diſtinguunt non minus prudenter, quam eligunt; ut quem facundia, aut ſcribendi meditationibus ſperant clareſcere. Per ſuorum nobilitatem maximis conſiliis miſcentur, explorandi ſagacitate, & quia ad eruenda arcana nullum vehementius tormentum religione eſt. Opes legatis ac muneribus in ſe vertunt, quas per artes noviſſimi omnium brevi ſectas priores fama & opulentia vicere; hoc ipſo cæteris inviſi & tanquam e diverſo mores exprobrarent. Sed ſuper æmulantes evecti, tenent principum domos, laudabili temperamento: quippe medii fœdum inter obſequium & triſtem arrogantiam, nec fugiunt hominum vitia, nec ſequuntur. Præcipuum id Hiſpano dominationis inſtrumentum, quo domi concordiam retinet, quo turbat externa. Nam eorum mentibus infuſi, qui Latina ſacra adorant, per Galliam & Angliam ipſoſque Batavos, hic pro regno diſſerunt, ibi contra regnum: & quanquam capitis ſupplicio finibus arceantur, non obſtat periculum quo minus audeant fallantque. At Cæſar pacem quantumvis repudiatam, & quibus dixi ſceleribus inviſum, non deſinebat retentare, ſuper commune Germaniæ velum fraterni decoris cura. Et, ne monere tantum videretur, habito Ratiſbonæ principum ac civitatum concilio, decerni curaverat, armis coercendos, qui perpetuæ bellorum miſeriæ ſeque & finitimos damnarent. Quæ ut erant inania, nec voces unquam & minas tranſitura, ita accipiebantur: nam imminente Pannonicis urbibus tum vel maxime Turca, curæ & vires Germaniæ ad externa non ſupererant. Eodem anno egregium fœderatis Ordinibus ac glorioſum fuit exciri ab Iacobo rege Scotiæ, juxta Galliæ, Angliæ, Daniæ reges, ad baptiſmi ſolemnia filio celebranda, quem primum illi conjunx dederat, regis Daniæ filia. Reſpondet honori liberalitas egregiis in regium infantem muneribus teſtata, cui Henrici Friderici nomen inditum eſt. Simul veterem cum Scotis amicitiam, atque inter gentes commercii jura, quæque alia Belgarum cum principibus, ac poſtremo cum Carolo, pacta recoluere. Sed fruſtra armorum ſocietas affectata apud Scotum Danumque, & eidem affinitati innexos Germaniæ principes, quibus tuta ac illæſa quies; nec ſatis cauſæ, cur alienis armis ſe interponerent. Facta ſane per Scotiam ſpes non ſine cauſa Hiſpanis infenſam, qui per annos

Fœderatos armis ad pacem ſe cogere velle præfert Cæſar.

Ordines a rege Scotiæ ad principis baptiſmum invitantur.

Illorum in regium infantem liberalitas.

1594. aliquot ejus regni quietem factionibus turbarant; unde acerbiora in Romanenſes jura, & hinc auctis odiis reperti qui juſtiſſimam Iacobi ſpem in Angliæ regnum in Hiſpani filiam transferrent, argumentis ſane abſurdis, ſed quæ animum ad inferendam injuriam promtum oſtenderent: verum formidandæ potentiæ cunctis obviam eundi initium & Scotus & cæteri principes in alios alii rejectabant. Reverſa per Angliam legatio, cuius princeps Walravius Brederodius inclyta ſtirpe dignationem Reipublicæ præferebat, Iacobo Valckio comite, de rebus fœderis conſultavit. Ibi munerum invidia patuit, queis gratia Scotorum regis ambita erat; objectante Regina, ut externæ opis egentibus, intempeſtivam magnificentiam: neque tam regalis ingenii more, neminem faſtigio ſuo accedere ferentis, quam quod callida mulier, & quæ inter munimenta potentiæ haberet ſucceſſionem tenere in incerto, nollet proximum regno & ſanguine principem vicinorum ſtudiis hæredem deſtinari. Igitur, qui mos iraſcenti, veteris debiti portionem exigit, & ni ſatisfieret pacem minabatur: quæ modeſte excuſata ad tempus quietem habuere. Atque interim, quo offenſæ redimerentur, obtemperatum poſcenti, ut ſuam ad claſſem naves & pecunias adderent, quibus Hiſpani Britannia Gallica arcerentur. Nam validis portubus confidens hoſtis poſſeſſioni maris, quod Hiſpaniam Galliamque alluit, utroque e litore imminebat: unde & Angliæ metus, nec ſatis tuto Batavis occidens navigabatur. Iunctæ claſſes pleriſque maritimæ oræ munimentis hoſtem depulere. At Transrhenanis in partibus, poſt captam Groningam bellum ſtetit; quanquam erant alia, quæ ſpem & pretium laboris promitterent: ſed inſtante Buzanvalio, Henrici regis legato, magis ex æquo viſum, poſtquam ſua recte proceſſerant, ſocios reſpicere, quia tum per Belgarum & Galliæ fines acriter certabatur. Erant qui retento milite pecuniam Regi mittendam cenſerent. Sed obſtitit Buzanvalius, Regem dictans milite rectius quam pecunia uti didiciſſe. Tantaque ejus habita eſt ratio, ut & ſpes egregiæ, & facti jam ſumtus in expeditionem novam continuo poſthaberentur. Miles Hiſpanus, qui Gallicum ad limitem turbarat hactenus, poſtquam æra & jus licentiæ acceperat, excluſus urbibus, ne per otium pejora auderet, duce Cimacenſi Cameraci ad obſidium trahebatur. Namque urbem Philippo quondam poſſeſſam Balagniacus, uti memoravimus, imperii Gallici nomine, & ſuo

Eliſabethæ inviſa.

Quæ debiti ab Ordinibus portionem exigit.

Cimacenſis Cameracum obſidet.

1594.

& ſuo dominatu invaſerat, princeps Henrico dictus; inde vicina populabatur. Deerant cuncta obſidiis adhiberi ſolita, etiam commeatus. Ne nihil agerent, clauſere urbem eminus & ſegni cuſtodia Hiſpani, amicarum gentium agris, quam hoſtibus terribiles, nec ultra mutati, quam ut ſeditionum ſcelera ſub imperio uſurparent. Interdum & e Gallia prædæ agebantur. At Henricus pleriſque perduellium perdomitis vere jam regem ferens, eoque virium auctus, ut, qui ſua ægre hactenus tueretur, jam vindex & paria ultro minitans adeſſet, Philippum edicto increpuit, quod ne probabili quidem obtentu, quæ annis ante viginti & quinque ipſi cum Gallis pacta, rumperet. Avito ſe imperio contentum, quod cœleſti providentia magnificum per ſe & auguſtum haberet, abſtinere alienis; neque cum finitimis Belgarum civitatibus armorum ſibi cauſam, niſi quam ipſius injuria feciſſet. Hænovios igitur & Atrebates ac cætera ſervientium nomina hortabatur, proturbare Gallico & Cameracenſi ſolo externum militem, inviſum cunctis, & tantum ferentibus gravem, quem nemo impune niſi hoſtis odiſſet. Quod ni præſtitutum intra diem fieret, regeſturum eo tela, unde in ſe mitterentur. ſilentium ſe, velut negarent, accepturum. Attamen civitates reſpondere non auſæ: ſed brevi Philippus Romanæ pietatis ſtudium, ſuumque cum Gallis fœdus memorans, Benearni principem (nec enim alio nomine dignabatur) qui fruſtra religionis, quam ſemper oppugnaſſet, cultorem, & Galliæ regem imitaretur, armis undique perſequendum pronuntiavit. Ea ſero, poſtquam totum per annum Belgicis finibus ſigna cecinerant, juris ſimulachra adhibebantur. Sed externo bello ducem Henricus Turrium delegit Vicecomitem Turenæ, aucta tum in nomen Bulionium dignatione, & Mauritii affinitate inclytum, cujus ſororem Eliſabetham Borbonii per matrem generis in matrimonium acceperat. Hoc juſtior cura, auxiliis & belli gloria attollere principem ſuper jus fœderis, privata neceſſitudine devinctum, & regis gratia florentem. In Luxenburgiam terram conferre bellum placuit, quod Italicis Germanicisque delectibus iſthac iter foret: nam ſpes Batavos inceſſerat, ſi novæ copiæ arcerentur, poſſe veteres nec multas adeo, nec ſane concordes, ſponte Belgarum, aut coeunte bello intercipi. Sed properanti in auxilium Philippo Naſſavio viginti & octo peditum centuriis (viginti ſolas polliciti Ordines ultro numerum auxe-

Galliarum rex Hanovios & Atrebates hortatur proturbare Hiſpanum militem.

Illum undique armis contra perſequendum edicit Philippus.

Bellum in Luxenburgum Gallo conferre placet.

Philippus Naſſavius Gallo in auxilium mittitur.

1594. auxerant) nuntius occurrit, acceptis quatuor Helvetiorum millibus Carolum Mansfeldium medio vagari. Igitur præſidio itineris quinque turmas ductante Verio aſſumit, compoſitumque agmen, ne quam prementi Mansfeldio occaſionem aperiret, trans amnem Moſellam ducit Mediomatricum finibus: nam interiora cuncta hoſtis præceperat. Turmarum pars maxima, impetrato aut vi quæſito per Germaniam itinere, in Batavos reverſæ. Vim magnam equorum iter longinquum abſumſit. Sed majus in partes damnum, quod procul domo eques licentius agens, per rapinas ac ſtupra multorum, aut ob religionem aut alias ob cauſas Batavis faventium animos avertit. At Bulionius, mandata quidem maximarum rerum habens, ſed vires haud juxta, nec Lucemburgi auſus obſidium, poſtquam ſocias cohortes acceperat, Parrhiſios conſultatum ibat ingraveſcente jam autumno. Patuitque eventu, multo ad rapinas uſu, magno domi & damno & diſcrimine auxilia feſtinata. At quo minus & ſubito & acerrimo gelu Batavorum intima irrumperentur, non tutantium conſilia, ſed mala hoſtium obſtitere. Nam regium per exercitum tranſlata ſeditio, priorisque tumultus finis alteri initium dedit. Ea rabies & ſua magnitudine & remediorum atrocitate cæteras longe anteceſſit, quia non per ſingulas cohortes, ſed inter nationes, nec circa fines, ſed in ipſius Belgicæ viſceribus certabatur, veteremque flagitiis cauſam, militarem avaritiam, invidia accenderat. Itali, gens natura æmulatrix, ſoluta Hiſpanis ſtipendia, cum & ipſis deberentur, poſthabiti in contumeliam trahebant. Pauci primo conqueſti, tum ſibi laborum & ſanguinis pretium periiſſe, cum ille, columen partium & juſtus in omnes virtutis æſtimator Parmenſis, quomodocunque mortuus, gaudium ſane & inſolentiam Hiſpanis attuliſſet. Nunc palam deſpectos circumagi paucorum libidine, qui Erneſti ingenio & regiis opibus illuderent: at hercule & ſibi arma queis adverſus peculatores debitum vindicarent, nec poſſe exemplum illis diſplicere, qui eadem feciſſent; aut ſi quis obſiſteret, ſenſurum quos viros Italia daret, Hiſpaniæ victrix illius olim veræ, non, quæ nunc ita diceretur, fœda peſſimarum gentium colluvies, & cui faſtus ac crudelitas pro cunctis virtutibus ſint. Nec jam tantum manipulares, ſed præfectorum fortiſſimi eadem loquebantur; quibus incitamentis, velut lymphati, omnes ejus gentis ſigna Sichemum

Nova iterum regii militis ſeditio.

contu-

contulerunt; Brabantiæ id oppidum munitionibus ac ſitu placuit, unde prædæ ab agris & Bruxella usque petebantur. Acceſſere & aliæ gentes, Galli, Hiberni, Epirotæ, & ab Italia usque veterani, qui olim apud Belgas militaverant, pacis obtentu & ſpe præmiorum, nullis prohibitis præter Hiſpanos: rarumque ejuſmodi motibus, aderant prapoſiti, quaſi de gentis cujusque gloria quæreretur, non ullo jure poteſtatis, ſed ita pollentes, ut ſe quisque notabiliter turbando militi approbaverat, centuriatus in dies legebantur. Signum factioni ſuæ, quam militari facetia Rempublicam appellabant, apium examen fecerant, præeunte rege. Tributum indixerant agris, & vectigal præterea cunctis, quæ ex agro evectarentur. Fovebant ſeditionem arcanæ Mauritii Batavorumque artes, ob metum, ne, ſi rediret concordia, improviſum aliquod vulnus acciperetur. Iam quippe; per dies ferme ſeptuaginta, continuum gelu paludes amnesque ferendis etiam machinis duraverat. Simul dum hoſtilis ager, inde Gallorum bello, hinc ipſorum tumultu, rapitur, clauſis primum, quo inopiam intenderent, & mox ingenti pretio reductis commeatibus, ærario conſulebatur. Auditi igitur benigne quos ipſi ſuorum ad Principem miſerant, narrantes nullo ſe natalium jure, per ſtipendia duntaxat, Hiſpano obligari; atque ea ubi non ſolverentur, haud ultro devinctos ſeſe: ac ſi quis oppugnaret, uſuros lege naturæ, quæ animantium cuique ſui tutelam commendaſſet. Factæ cum illis induciæ: Cukium quoque agrum, in quem paterna Principi ditio, tributa popoſcerant; negantesque ruſticos defendere parabat Hermannus Herenbergenſis, rogato Principe id ſaltem permitteret. Sed major hic quoque militis, qui vim partium deſtrueret, quam imbellis turbæ habita eſt ratio. Quæ ubi in curiam & quidem Hiſpanorum verbis in deterius perlata ſunt, dubitatum ſententiis, dum comitate permulcendos alii, ferociores, & quibus gentile odium erat, dandum exemplum putant, ne quoties ad diem pecuniæ non adeſſent, exuere obſequium miles inſueſceret. Irritabat etiam moderatiores animos temporis ratio, quod cum maxime uſus operæ eſſet, nullis conditionibus paruiſſent: nec illos fugiebat duriora in ſe conſilia haberi, quin calliditate gentis emtos per exploratores cuncta noſcebantur. Et quidam primores ultro favebant Italis, odio & intolerantia

1594.

Ingens & longum per Bataviam gelu.

Cum ſeditioſis Fœderati inducias faciunt.

1594. Hiſpanorum. Victus, munitiones, quæque bello idonea modice proviſa erant, cum Hiſpani valido ſe agmine eandem in regionem inferunt: & primum alios conatus ſimulare; poſtquam his artibus neutiquam Italis pares erant, ſerio claudere egreſſus & circumſeſſis moliri famem. Mox & manus collatæ, nec incruenta caſtellorum oppugnatio: tantumque ſævitiæ, ut in Hiſpanorum caſtris clam trucidati ferantur, qui providentia ſeu alio affectu ea conſilia perhorruerant. Id vero nemo jam ferre, illos ab eodem flagitio recentes in aliis vindicare, quod toties ſibi permitterent. Ita peſſimum exemplum utrique inſtituerunt, hinc ut eodem ſacramento obſtrictas gentes mutuo ſanguine efferarent, inde ut pro hoſtibus habiti ab hoſtibus opem poſcerent. Nam prior aditus rex Galliarum, quo manente injuria auxilium præſtaret, & tot fortium virorum manibus uteretur, ad Mauritium, ut propiorem, relegaverat, qui cum factas inducias datis utrinque obſidibus firmavere. Tum caſtellis exuti, nec ſatis in oppido fiduciæ erat adverſus ingruentem exercitum & machinas, agmen conjugibus & liberis grave per incuſtodita hoſtibus nocte & ſilentio movent. Hiberna Silvaducis non procul poſuere, tuti tergum ac latera, cum Breda urbs, Heuſdaque & Gertrudisberga accingerent; parata laborantibus ſuffugia, atque interim latebræ inutili vulgo. Bellique ſeu victus copiæ deeſſent, haud ſecus quam ſocios inter commeabatur. Et Princeps benignitatis famam nec in hoſte aſpernatus inſtruxit machinis, addidit equitem, quo valentiores egreſſi ſubjicerent agros tributis, aut populabundi ulciſcerentur. Sic inſenſiſſima auſi, & nondum transfugæ, tertias velut partes in bello fecerant. Miſit mox Erneſtus, qui impunitatem, ſtipendia, miſſionem pollicerentur. Sed cum interceptis ex literis, ſubeſſe dolum & pœnam imminere cognoviſſent, ſuſpecta diu omnia habuere. Nec alia circum quietiora. Nam equites peditesque haud pauci, cum Verdugonis caſtra deſeruiſſent, rerum omnium adacti penuria, adjuti a Cliviis, trans Rhenum, atque inde in Brabantiæ proxima conceſſere. Et qui Dunkercæ præſidio erant, quique Amandi fano & Capellæ, obſequium detrectabant. Ipſi denique Hiſpani paulo ante pacati, iterum deficiente ſtipendio, fano Paulino ſeditionem reſumſerant. Cauſæ tot malorum, diſpenſandæ pecuniæ vetus jam incuria, & minoribus quoque corrigendis impar Erneſtus, & claſſem Americanam ventis,

Princeps illos machinis & equite inſtruit.

Erneſto omnia pollicenti fidem non habent.

ventis, morbiſque tardantibus, concuſſa, ut ſæpe, Hiſpani fides. Pars damnorum & ab Anglis, quorum hoc anno, ut per Auſtralia Americæ improſperi conatus, ita in Braſiliam iter irrupto Fernambuco præda opimum fuit. Secuta hyems, ut retractis ad Cameraci obſidium Hiſpanis inclementia frigorum & inopia peſtilens fuit, ita Verdugoni in Friſios & Groningæ proxima iter præbuit, populatione duntaxat & villarum incendiis grave. Sed reſoluta mox glacie hauſti quidam terrorem in alios ſparſere. Et jam reverſus ex Germania eques Fœderatorum, ne idem ſæpius auderetur, obſtitit. Eademque hyems per eluviones infeſta Batavis. Nam poſtquam gelatis diu amnibus retenta vis aquarum, ſimulque ſummis in jugis nives tabuerunt imbribus adauctæ, Moſam & quocunque ſe nomine Rhenus diſpergit, cæteraque fluminum circumfuſa ripis, moles objectas multa pecoris & agrorum ſtrage perruperant. Fine hujus anni incerta nobilis judicii exſpectatio animos omnium oculoſque erexerat, dum ſeveritatem alii requirunt, alii inquiſitione nimis anxia datum cauſantur æmulantibus nocendi obtentum. Arnoldus Dorpius, Zirixeæ quondam vi Hiſpanorum obſeſſæ præfectus, & apud Arauſionenſem multa dicendi libertate verſatus, ita res ſuas alienaſque adminiſtraverat, ut objectum invidiæ divitis cognomen apud vulgus acciperet. Is morte Arauſionenſis extra res poſitus, a Menenio, nuper ex Danica legatione reverſo, pacta quædam cum Dano inita acceperat. Evenit ut mox Dano eadem objectarent legati ab Erneſto miſſi, quærendæ illic ſocietati, & quo in ſeptentrionem navigatio Batavis turbaretur. Ita deprehenſum, enuntiante Dorpio emanaſſe arcanum. Hinc orta in ipſum graviori ſuſpicione, dum chartæ pervolutantur, apparet literarum exemplum, queis hortabatur Erneſtum, ut compoſito ad latendum habitu iter cœptaret, mox ubi Hagam veniſſet, ſemet profeſſus impermixtum hactenus bello nunc pacis auctorem, adverſantibus metum a plebe, ſuique & concordiæ ſtudioſis fiduciam adderet. Sed cum exercendi ingenii, nec alio fine ſcriptum conſtanter aſſeveraret, carcere liberatus, domique ſervatus, deinde datis vadibus dimittitur; paulatim, ut fit, evaneſcente judicii calore, &, ut in potentia plurium, parabili venia. At Menenius, qui ex judicum Hollandiæ conſeſſu publico ad civitatis Dordrechtenſis adſeſſionem

1588.

Angli Fernambucum diripiunt.

Magna ex eluvione Batavis damna.

1594. nem deſcendens Reipublicæ partem ſe fecerat, ab ea tandem amotus, ſcribendis mox patriæ annalibus, annua mercede, adhibetur; non tam ſpe ulla laboris, quam ut otium viri, valentis ingenio ac literis, animo inquieti, honeſta imagine velaretur.

HUGO-

HUGONIS GROTII
HISTORIARUM
DE REBUS
BELGICIS
LIBER QUARTUS.

SUMMARIUM.

Erneſtus concilium advocat. Arſchotii generoſa in illo verba multo aſſenſu audiuntur. Aucti Belgarum in Hiſpanos odii cauſa. Taxis calliditas. Bulionius Lucemburgiam vaſtat. Heraugerius Hojam capit: eam Bojoarus obſidio recuperat. Bulionius Burgundiæ oppida rapit. Velaſcus Burgundionibus ſuccurrit. Erneſti mors. Regiminis vis penes Fontanum; qui Belgis eſt inviſus. Mansfeldius moritur. Arſchotius Venetias exulatum abit. Belgarum de pace ad Principem legatio. Legatorum oratio, Principis reſponſio. Infecta re legati dimittuntur. Hoſtium tamen mitiores pacem volunt, quidam inducias. Hohenloii & Solmenſis nuptiæ. Turba propter Cliviæ & Iuliaci principatum. Orta Emdæ diſſidia componunt Ordines. Pacis leges. Fœderatorum inter ſe diſcordia. Fontanus ſeditioſos milites pacat. Verdugo fato fungitur. Fontanus Caſtelletum expugnat, Hamum obſidet. Galli arce & oppido, fruſtra obnitente Fontano, potiuntur. Mors Lamotæ. Villarſius occiditur. Hiſpani Durlanii arcem expugnant, & una oppidum. Mauritius adventu Mondragonii Grollæ oppugnationem relinquit. Philippus Naſſavius cæditur. Murſa Mauritiano militi fruſtra tentatur. Mondragonius diem ſuum obit, ut & Antonius Luſitaniæ princeps, Fontanus Cameracum obſidio expugnat: Cameracenſes Philippo ut principi jurare jubet. Heraugerius capta Lira iterum exigitur. Burgundicum bellum Hiſpanum & Gallum exercet. Fœderati Gallo auxilia mittunt, quod in malam ab Eliſabetha ſumitur partem. Solutionem debitorum intempeſtive apud Ordines urget. Hibernicæ rebellionis ex occaſione narratio. Regina acrius in bellum fertur. Draco cum claſſe in Hiſpanum miſſus moritur. Navigationum a Fœderatis inſtitutarum relatio.

INeunte anno Bruxellam Erneſtus concilium advocavit, præfatus de rebus maximis actu-rum; quod in ſpeciem egregium, quaſi jura & leges firmaret: ſed non priſco more Ordinibus facta poteſtas de republica judicandi. Antiſtites tantum & nobiles convenere, quia nobilitati gratia & auctoritas ſub dominatione: & ſacerdotes vinculo reli- 1595. *Erneſtus concilium Bruxellam advocat.*

1588. religionis fidi habentur; plebs ambigua & cujuscunque pacis cupiens, ideoque niſi in tributis, fere non auditur. Vbi cum ſuſceptos pro concordia labores graviter elocutus, in cætera conſilium poſceret, Arſchotius, primæ inter Belgas dignitatis, arripuiſſe dicendi facultatem his verbis dicitur. Majores olim noſtri, nullis odii cauſis, niſi quod jubebantur, arma validas in gentes maximeque in Gallos cepere: nec illos periculorum pertæſum unquam eſt, & quæ mala bello trahuntur; dum principum magnitudinem propugnarent. Itaque res maximas illorum virtute & prudentia patrari contigit. At tunc non arma & conſilia, ſed miſeriæ, ærumnæque noſtræ uſum habent, bellumque, ut vos dicitis, civile civium manibus non creditur. Quid igitur pacem flagitamus? Imo jam dudum hanc curatam oportuit, cum eſſent adhuc, quæ vellemus ſervata, nec incendia urbes, vaſtitas agros, inopia domos etiam futurum in tempus ſtraviſſet. Quod ſi triginta per annos continuatis cladibus otium nondum meremur, altero nos ſaltem bello abſolvite. In Gallos imus? ſecura a Batavis terga præſtate. Sin hos ulciſci prius videtur, atque ita neceſſe eſt, quieſcant ſpes nimiæ, ne de noſtris periclitemur, dum concupiſcimus aliena. Sed enim oblata pax eſt: ita ſane. Quam igitur belli cauſam Gallus, quam pacis moram Batavus adfert? nec enim ſuis, arbitror, nec noſtris quidem malis delectantur. Arcendum clamant peregrinum militem, inclementem illum ac faſtuoſum, & noſtris moribus inſociabilem, cui modeſtiæ nihil unquam, fidei tantum quantum expedit. Hæc nos in illum inique & hoſtiliter dicta credamus, ſi non hoſtilia magis ſunt, quæ ab illo patimur. Interroga Atrebates, interroga Hænovios & contiguas gentes, cui tam uberis agri poſſeſſores famem imputent. Aliqua dicent Gallos rapuiſſe, Hiſpanos omnia, ſimileſque alios, qui diſcordes inter ſe, tantum Belgarum in pernitiem conſentiunt. Ita ſub militiæ & ſeditionis nomine nos præda ſumus; neque hac ſtetit injuria, etiam externis regendi tradimur: adeo nemo noſtrum illis ſapit, atque ultro patientia ludibrio eſt. Quorum ſi lubido plus noſtris querelis valet, placetque vitia diſſimulando alere, tandem audebimus, quod orbi Chriſtiano & optimo regi ipſa neceſſitas ſatis excuſet. Loquentem adhuc primi utriusque ordinis circumſteterunt multo aſſenſu, & velut læti repertum, qui cunctis intra animum agitata palam efferret; frementibus interim Hiſpanis, nam aderant nonnulli.

Arſchotii generoſa in conſilio oratio.

Multo procerum aſſenſu audita.

Fon-

1595.

Arſchotius Regi ſemper fidus, Hiſpanis tamen infeſtus.

Fontanus conſeſſum vitaverat, qui præponi Arſchotio non ſperabat, & ſequi dedignabatur; ita veræ potentiæ cupitor, ut inania non contemneret. Hunc ego Arſchotium cunctis belli hujus tempeſtatibus magna animi fiducia fuiſſe comperio, & qui indubitata in principem fide, non tamen externorum libidini gratificaretur ſuam dignitatem. Sui plane juris & libertatem impune ferre ſolitus, regios miniſtros illudebat, quia & horum ſuperbia cunctis inviſa, nec ipſe ultra voces metuebatur. Et tunc prope ultima ſenectute ſecurus iſta velut oracula popularium mentibus affudit. Sane poſt pacis Gandavenſis tempora nunquam Belgarum in Hiſpanos infenſius odium:

Aucti Belgarum in Hiſpanos odii cauſa.

& uti potuiſſe Batavos ſunt qui credant, ſi ut olim ſub Arauſionenſi, ita nunc quoque non penes multos regimen, ſed unus vim imperii atque amicitiarum arcana tractaſſet. Veteres irarum cauſas incenderant in maximis Belgarum miſeriis nimia potentia Hiſpanorum, & ipſi propriis quoque moribus inviſi. Fontanus, multus ſomni atque epularum, etiam in adulterio Antverpiæ deprehenſus, ægre vitaſſe exitium narrabatur. Stephanus Ibarras, probatioris ingenii & diligentiæ, ſed eas laudes ſuperbia corrumpebat, quæ ipſi ac Carolo Mansfeldio acerrimi diſſidii cauſa: nec multum ab cæde Stephani Carolus abfuerat; arripuitque hunc obtentum Hiſpanicus miles, ut niſi a ſuæ gentis ducibus regi nollet. Chriſtophorus Morus conſilii ſocius, ut qui cum Idiaqueo Hiſpaniam regeret, jus domeſticæ potentiæ hic quoque uſurpabat. Didacus vero Ibarra etiam queri per literas apud Regem auſus, quod Hiſpanis exigua apud Erneſtum auctoritas, eaque maximis malorum cauſa.

Taxis calliditas.

At Taxis, introſpiciendis periculis callidior, ſuadebat mulcere Belgas proceres multa honorum ſpecie, manente penes Hiſpanos pecuniæ regiæ cura, quæ tacito nexu cætera quoque ad ſe traheret.

Erneſtus Regem conſulendum cenſet.

Audito Arſchotio Erneſtus natura cunctator, & gnarus hac optime ratione impetus retundi, conſulendum Regem reſpondit, cui ſe ſuaſorem fore eorum, quæ ad concordiam pertinent. Hæc ſpes animos ſuſtinebat: ſed non & mala pariter differebantur. Nam poſtquam arma Reges indixerant, poſſeſſis Lucemburgiæ minoribus oppidis, quæ non adverſus eam vim erant,

Bulionius interim omnia vaſtat.

Bulionius circum & longius ſita omni clade pervaſtabat. Et cæſis primum aut fuſis quatuor Philippi Naſſavii turmis, quæ auctu amnium & hoſtilibus inſidiis circumventæ erant, majore mox equeſtri prælio victor fortunam purgavit. Validas in urbes dolus magis quam vis parabaraba-

1595. rabatur; neque ideo ſucceſſus adfuit. Vnus ſane caſus juvare partes, & bellum per eos fines incendere potuit, ſi non difficilius eſſet ſervare, quam quærere: quorum hoc audacia & ſæpe temeritate conficitur, illud cura & bonis àrtibus indiget. Hoia Leodici oppidum eſt, quod ex majori & inclyto quondam barbaricas poſt incurſiones reſtare auctores ſunt, & ſitus perſuadet, interfluente Moſa, quem torrens irrumpit violentior, quam pro copia aquarum: is urbi nomen dedit. Solum circa ferrariis aſperum, gentis ſuæ ingenio reſpondet. Pons arcuato opere; qua dextra ripa ſurgit, impoſita colli arx ſubjecta late deſpicit: dilectus epiſcopis ſeceſſus locorum amœnitate; neque minus tamen arduo poſitu adverſus oppugnationem conſultum. Sed dum juri & paci fiditur, nequaquam multi in præſidio, per otium atque epulas velut ſupervacuo munere fungebantur. Parique neglectu ædificia in rupem erecta ſolum arcis æquabant. Horum unum, conſcio poſſeſſore, machinator talium Heraugerius, qui Bredam ſibi captam præfectus regebat, triginta militibus compleri jubet, qui noctu per ſcalas & feneſtram eniſi, primum uſi ſilentio, deinde crebris tuborum ictibus proſpectum adimentes undique, captos cuſtodes vinxere. Dubia adhuc luce cum equitibus ſexcentis, mille quingentis e cohortibus dux ipſe aderat. At oppidani, quanquam primum ad tumultum arma corripuerant, ubi tantum ante portas militum atque alios ſupra caput aſpiciunt, ad geminum terrorem animos ſubmiſere. Tum Heraugerius diſponere præſidia, immittere equitem campis, perque gentes intra Moſam Hiſpano ſubditas tributa deſcribere. Id belli facinus pacatum in principem & utcunque infeſti in Batavos animi, certe cui ritu belli denuntiata non eſſet hoſtilitas, Hiſpanis facilius, quam ipſi excuſaveris. Neque enim diſſimile erat, quod Bonna, quod Berca, bello quidem olim capta, nunc alta Agrippinenſium pace, tamen retinebantur. Cum igitur res repetitum miſiſſet Bojoarus Leodici atque Coloniæ antiſtes, reſponſum eſt ab Ordinibus, magis e præſenti uſu quam gentium jure: non quo ejus imperio aut civibus noceretur, ſed contra publicum hoſtem ſe oppidum cepiſſe; reddituros, ſimul arma ponerentur: neque recte Bojoarum in ipſis incuſare, quod Hiſpano permitteret: & conditiones repudiatæ, quibus ad reddendum invitabantur, haud ſane iniquæ, ni loci oportunitas contra ſuaſiſſet. Magnum quippe arx ipſa itineri præſidium, quo Gallica arma Batavicis tutius jungeren-

Heraugerius aſtu Hoiam capit.

geren-

gerentur: & in oppido placuerat Italos deſertores longe Batavorum a finibus & multam inter prædam ſeponi. Vbi ſperni ſe Epiſcopus, aut prolatando eludi videt, conducto tyrone & auxilium peditum mille quingentorum, ſeptingentorum equitum, quindecim cum machinis ductante Lamota, utraque ripa in obſidium tendit: nam regii duces ultro obtulerant operam, ut quorum non minus quam Antiſtitis intereſſet, ne Moſæ ſupernis & agrorum annexu Batavi potirentur. Nec honeſti ſpecies aberat, quippe cum Philippi Burgundi, Philippique primi Auſtriaci fœderibus Leodicus ager in fide eſſet Brabantiæ principum. Oppidum haud ſatis firmis munimentis irruptum ſcalis ac per ruinas, & cæſi qui reſtiterant. Pars maxima in arcem refugi propinquo e colle, quem ſolo arcis celſiorem antecapere Batavi neglexerant, tormentis, infra & cuniculis petebantur. Aderat enim ingens accolarum manus, queis metalla ſcrutari ſolitis, non ignotus fodiendi labor. Iudicaverat Heraugerius teneri diu præſidium poſſe, atque ea ſpe auxilia contrahebantur. Sed veritus tandem ne pervia non eſſent itinera fluviis ſuperſtagnantibus, quanquam erant in arce ſuffugia & trahendi artes, iram obſeſſoris deditione prævenit: notatus a multis ut ſubitis melior, quam patientia periculorum. Ipſe promiſſam ſibi a Bulionio, ac Italis Sichemianis opem, nec reſpondiſſe eventum querebatur: murumque, præcipuam defenſandi fiduciam, qui ſolidus credebatur, apparuiſſe mox duobus ex parietibus compoſitum ac medio rudere diſſoluto pateſcentem, intima quoque arcis hoſtium verberationi nudaſſe. Egreſſi quo minus militum manibus diſcerperentur ab Hiſpanis ducibus protecti ſunt, tanta ſane fide, ut fuerint qui gladium ſtringerent pro hoſtibus contra ſocios: nam cum ipſis pepigerat Heraugerius, non immerito timens ne a Leodicenſibus ſibi belli jura non ſervarentur. Epiſcopus hos, qui fraudis conſcii fuerant, puniiſſe haud contentus, civitatem quoque libertate veteri exuit, ut minus ſibi fidam: ſed nec in Heraugerium deſiit quærere ultionem, ignaviam ipſi objectans, & transmiſſa literarum parte, qua de fœderatis Ordinibus minus reverenter loquebatur. Periclitaturum apud cæteros Mauritius, & qui cum illo conſcii capiendæ Hoiæ fuerant, defendere. Non diuturna alienæ urbis poſſeſſio fuit, quadrageſimo atque altero die recepta eſt; & facti periit fructus, manente invidia. Ac forte evenerat, ut, quo die mox amiſſæ arcis nuntius nemine exſpectante advenit,

1595.

Bojoarus, ea ab Ordinibus fruſtra repetita, in obſidium tendit,

Oppidum capit,

Arcem oppugnat:

Deditur.

1595. nit, Ordines, freti firmitate loci, legatis Epiſcopi ferocius reſponderent, Hojam ſe reddituros ubi Bercam hoſtis reddidiſſet. At Hiſpanus ad Bercæ poſſeſſionem Hojam quoque adjunxit, captamque tenuit, donec ſolutis impendiis, & ab illis finibus hoſte amoto, tutum poſtea putavit reddere. In hoc quoque pietatis gloriam quæſivit Philippus, prædicans malle ſe de ſuo largiri Leodienſium eccleſiæ per Belgas antiquiſſimæ, quam quæ ipſius eſſent ullo obtentu eripere. Quadringenti eorum, qui cum Heraugerio Hoja exierant, ab octoginta hoſtium equitibus cæſi, dum præda graves nimiaque ſervandi cupidine ſemet impediunt. Iuſtas & illi pœnas dedere, quos Transiſalanis e præſidiis Monaſterienſem per agrum populabundos noctu hoſtis incurrit. Henricus inter hæc, ut hoſtem Picardis imminentem ad ſua defenſanda cogeret, Bulionium ducem, quanto poteſt exercitu, Burgundiam eam, quæ comitatus cognomine Hiſpano paret, ingredi jubet, ſecutus regionis oportunitatem, quia ex Italia & Germania hac maxime commeatur. Primi impetus vim habuere, cum multo terrore oppida raperentur, & objecta paſſim tumultuaria manu ejus gentis, quæ bellum toto ſæculo non viderat, cædes magis eſſet quam prælium. Neque tamen Belgarum finibus abducta ſigna. Sed, audito diſcrimine, Velaſcus Comes ſtabuli Caſtellæ (hæreditarium dignitatis nomen eſt,) qui tum juſſu Hiſpani Mediolanum curabat, vim equitatus peditumque Transalpinis præſidiis excitam hyemantibus adhuc jugis traduxit, receptisque in tranſitu urbibus aliquot, Ararim ad amnem conſedit, majores copias equeſtres & Vmbrorum, Germanorumque delectus opperiens, neque dato pugnæ caſu, Gallorum impetus fruſtrabatur. Hæc inter pericula & diſcurſantes nuntios, jam ante per hyemem corruptior Erneſti valetudo graveſcere: nam gnarus Hiſpanis inviſum ſe, nec Belgis ſatisfeciſſe, & differri inimicorum vocibus apud Regem, agique pacis & belli reum, premendo tantos dolores irritabat, donec lenta febre attritus & ſanguinante morbo defecit. Mors ejus, ut fere principum, ſuſpecta; ſed ſine motu aut turbis fuit: dum otioſos ſpes concordiæ, cæteros multiplicis belli labor diſtringit. Veram lethi cauſam introſpectores ſecti poſt mortem corporis prodidere calculum, & in renibus vermem etiam tum viventem, qui proxima arroſerat. Vacuum regimen a Philippo Senatus accepit. Summa rerum belli domique penes Fontanum, præſidis nomine. Hoc illi munus

Henricus Bulionium cum exercitu Burgundiam ingredi jubet.

Velaſcus Burgundiæ ſuccurrit.

Erneſtus inter hæc moritur.

Penes Senatum regimen, cujus præſes Fontanus.

Erneſtus morti proximus ſcripto ad tempus mandaverat, Hiſpanorum ex ſententia; mox Rex firmavit. Neque ille, quanquam vitia adfuere, impar tanto muneri, quod res per Belgicam geſtæ ejus cura, & mox alias per terras docuerunt. At Belgæ proceres, qui illum hactenus vim potentiæ minori ſub imagine occultantem non tulerant, ſumta jam ab ipſo inſignia, invide atque irate ferebant. Vera prorſus de patria majores locutos, Hiſpanis ſe quondam provinciam fore. Poſt Albanum & Requeſenium, aut, quod propius eſt, Rodam, modico tempore & in ſpeciem repetitas leges, atque eandem redire ſuperbiam. Arbitrium igitur pacis penes alienigenam fore, qui priores dominos, vitiis pares, dignitate non æquaret. Hæc ſibi quisque: fortiores & aliis loquebantur. Nimirum cunctis populis prægrave & velut probroſum eſt parere externis: neque alia regibus tam ſupervacua invidia eſt, cum ſingulæ gentes daturæ ſint, qui ſervire concupiſcant, ut aliis imperent. Carolus igitur Mansfeldius, militari gloria, & magnis ſemper inimicitiis ſpectatus, ut qui Parmenſi quondam, nuper Ibarræ, nunc & Fontano contenderet, ſpecie honoris ſeponitur, ſociis cum cohortibus, quas Philippus imperatori miſerat, Turcam eo tempore valeſcentem in Pannoniis oppugnatum iit. Proximus ibi Mathiæ, qui fraterno exercitui præerat, veterem virtutem & artes, ſcientiorem in hoſtem exercitas, haud diu uſurpavit, abſumtus morbo inter belli pericula. At Arſchotius, ne ſe Fontano ſecundum Belgæ conſpicerent, apud Venetos ſponte exſulavit; eo proficiſci teſtatus, ubi liber moreretur: nec plebe ſecundiore Fontanus utebatur: quia turbante leviter Germano milite, qui Bruxellam ſervabat, per ſuæ gentis cohortes poſſeſſionem urbis affectaverat. Id cunctis adverſum, nec aliorum tumultus magis, quam Hiſpani militis modeſtia timebatur. Et cæteris civitatibus eadem formido. Duplex hinc intemperies, his, quod excluſi erant, illis quod prope depulſi, querentibus: ob utrunque agri plectebantur. Vnde cum ad prioris anni calamitatem nova lues accederet, & ipſo inopiæ metu annona vexaretur, exſolvit vulgi gemitus paupertati propria libertas. Hoc magis in pacem cunctorum ordinum animi flagrare, cujus deſiderium facta ab Erneſto ſpes incenderat. Neque Fontanus reſtitit quo minus inanibus experimentis vota ſua fatigarent. Flagrabat ante alios pacis ſtudio Croiorum domus; e qua Haureius Marchio ad Iacobum Maleræum, ſuæ quondam

1595.

Quem Belgæ invite ferunt.

Mansfeldius in Pannonias contra Turcam miſſus morbo abſumitur.

Arſchotius Venetias exulatum abit.

Belgæ amore pacis flagrant.

Haureii ſuper ea ad Maleraum litera.

O dam

1595. dam domus partem, tunc Mauritii in aula florentem, literas miſit, affectus ſui indices. Quas cum ille Principi, Princeps Ordinum potentiſſimis oſtendiſſet, juſſus eſt reſcribere Maleræus, ita ſpem eſſe pacis, ſi miles Hiſpanus non interiore tantum Belgica, ſed Lucemburgia quoque & Burgundia egreſſus, metum ſui undique tolleret. Ad quæ cum reſcribens Haureius totum illud poſtulatum ſilentio tranſmitteret, iterum Maleræo mandatum, ſignificaret inter Fœderatos & alterius Belgicæ ordines poſſe inveniri concordiæ rationes; cum Hiſpanis nulla ipſos velle colloquia. Igitur procerum Belgarum nomine (neque dum Arſchotius profugerat) adornata ad Mauritium legatio, ut æquum animi, & cognatis nobilitatibus faventem. Theodoricus Liesveldius Brabantiæ quondam Cancellarius, Valeſio rerum potiente, Maſiusque & Hartius, clari omnes civili ſapientia, ad colloquium venere. Agebat tum Middelburgi in Zelandia Princeps, apud quem orſi edifſerunt: olim cum Belgarum diſcordias peregrinus miles in prædam verteret, Senatum, qui tum rebus præſidebat, civile certamen diremiſſe, ictoque fœderi Regem factum auctorem; nec arduum ipſis, poſtquam inter ſe conſenſerant, externis armis liberare Rempublicam. Mox alia interveniſſe partium utrinque culpa, ſeu ira cæleſti, quæ vetuiſſent prope ſanatum vulnus bona fide coaleſcere. Idem nunc Senatus regimen: iiſdem ſe malis feſſos a vicinis finem orare, quem & ipſis placiturum confiderent, hoc quidem juſtius, quod integri & florentes ad pacta vocarentur. Etiam dubium non eſſe, quin Mauritius, qua ſit animi moderatione, deſerere fortunam malit, quam ab illa deſeri; cum nihil ſapienti ſuſpectius ſit quam longa felicitas. Optime igitur claritudini ſuæ conſulturum, qua priſcos quoque duces præfulgeret, ſi partam gloriam referret in tutum. Egregias illi præfecturas, & ſatis rerum, queis ingens animus paſceretur. Non tantum armis Naſſavios noſci: pleroſque pacis artibus inclaruiſſe. Quin illas amplecteretur laudes, quas lugeret nemo: & obſequia potius exſpectaret ejuſdem ſanguinis principum, quam vota facere cogeret contra ipſius magnitudinem. Aut ſi præ cæteris placeret illa in ſanguine & ſudore virtus, eſſe ubi Chriſtianum nomen armis attolleret. Ita mereri prudentiam ejus & fortitudinem, ut de ſumma belli nemo non ultro cederet. Ad quæ Mauritius, ita uti Ordinibus placuerat, paucis adſidentibus reſpondit. Vtinam quidem ſe tam felicem, ut finem civilium

Maleræi reſponſio.

Procerum Belgarum nomine ad Principem legati veniunt:

Illorum ad Principem verba:

Mauritii reſponſum.

1595.

civilium malorum ſæculo ſuo & poſteris imputaret. Id ſibi glorioſius, quam nomen expugnatoris, quam decus triumphale. Si tandem illi Hiſpanorum injuriis vere iraſcerentur, capeſſerent dignum majoribus animum. Ita facultatem dari, ut liberi cum liberis quæ vellent paciſcerentur. Redeuntibus ad fœdera non ſe modo vindices, ſed ſocios reges adfore, quorum nunc vi ſuccumberent. Neque magis obſtituram concordiæ rituum diſſimilitudinem, quam nunc Galliæ obſtaret. Nihil ſe aliis præſcribere. Religionis judicium Deo & ſingulis gentibus relinqui. Cum Belgis multa ſibi & Fœderatis gentibus communia, vetuſtiſſimas ſocietates, jus ſanguinis, fas gentium. Eoſdem inter & regem Hiſpaniarum infeſta cuncta & hoſtilia, quæ per illius libidinem cœpta, neceſſitas auxerit. Nec poſſe cum eo hoſte paciſci, quem coacti ſint principem abdicare. Neque pacem hanc, ſed deditionem fore. Implacabiles dominantium offenſas, minimeque dubium quomodo imperio uſurus ſit, qui bello ſic uteretur. Multa tempus & rerum vices afferre, quæ fruſtra in præſens ſperentur. At nunc quomodo ei ſe credituros, qui fas putet juſtorum hoſtium capita licitari? Vetera in exempla advocare parcerent. Omnium ſe & patris meminiſſe. Cum Liesveldius, omnem ſe dignitatem Arauſionenſi debere referens, nunc quoque ſe diceret Ordinum Belgarum mandata exſequi, neque Hiſpanos iſtis conſiliis permixtos, Princeps ejus rei præmonitus manu in ſinum Liesveldii demiſſa, diploma, quo Fontanus commeatum ei dabat, eduxit; ſpecioſa verba certo documento refellens. Sic dimiſſa legatio, cum mandata non haberet citra regium nomen paciſcendi. Varie prudentum & vulgi ſermonibus excipitur novi reſponſi ſpecies, dum pars gloriam & opes bello captant, alii pacem ſperant; ideo, quia valde concupiſcunt. Hiſpani & qui hos ſequebantur, ſatis jam in regiam majeſtatem peccatum, ſi cui ea curæ, quod deſertores & quibus ſummum fuerat veniam mereri, ultro ad pacta vocarentur. Quid tot jam legationibus profectum, niſi ut intolerantius ſuperbirent? Modicis ſucceſſibus hos ſpiritus induiſſe, ut non ipſi modo reverentiam excuterent, ſed docerent alias gentes ſine principe paciſci. Irent ſane iterum & audirent rebellem Batavum, ferentem leges, quibus ſe faceret Philippi victorem. Si hactenus dubitaretur, at nunc manifeſtum aſpernari illos pacem; proviſis Helvetiorum exemplis; & ſi qui præterea everterent dominationem, quam mox

Legati re infecta dimittuntur. Principis reſponſum varie excipitur.

1595. ipſi invaderent. Vnam pacem, quam ſubacti armis poſcere cogerentur. Id brevi futurum, ſi non minus Belgis animi pro fide & obſequio, quam hoſtibus in diverſum cerneretur. *Hoſtium mitiores pacem deſiderant.* Mitiores pacem tam prope admotam omnino teneri ſuadebant. Quid enim adeo mirum, ſi Batavi Belgis ſe permittere, quam Regi mallent, qui conſciis offenſæ ultor formidaretur? Nihil principatui vel religionibus inimicum, ſed illud poſci de externo milite, omnium vota, bello quoque utile, ſed paci neceſſarium. Legatos a Rege deligi & mandatis inſtrui poſſe, quocunque nomine mitti placeret. Nec ita inexpertam Belgarum fidem, ut eum pactionibus fruſtrari vellent, pro quo ſponte arma paterentur. Multa honeſtius principem ferre, quam concedere. Quæ ſi nondum ſufficerent, fas tamen Regi, jus ſummum publicis utilitatibus donare. Reſpiceret ſuorum miſeriam, & quomodo ultimo a ſpiritu penderent deficientes tot populi. Diverſam eſſe ejus belli fortunam, quod inde nocendo, hinc pereundo gereretur. Nam hoſtibus paſcua, opificia, piſcaturam, quamvis numeroſæ plebis alimenta. Tum quanto his majora, quod illorum in finibus cuncti amnes exirent & flumina retro in caput, Oceanus ſine termino navigaretur? hinc illam advenarum multitudinem, oræque exiguæ totas inſeri gentes. Vere æſtimantibus illos & bello frui. Sibi præreptam agrorum ſpem, ſiccum littus, & claſſibus obſtructum. Onera tamen & rerum caritatem, quæ nullus quæſtus ſolaretur. Tum vaſta cuncta & exhauſta, quæque ſupereſſent turbata diſcordiis. Diſputaretur equidem an pax haberi poſſit. Certe bellum non poſſe. Addebant novum metum, ne tædio malorum Fœderati populi legendum ad principem agerentur, externa potentia, ſive domeſticæ virtutes placerent. Spem aliquam dari adverſus vacantem Rempublicam; ubi dominum invenient, bellum inexplicabile, aut pacem cum damno & infamia. *Quidam inducias volunt.* Erant qui inducias laudarent: res enim Batavum ſtare adhuc concordia, & concordiam metu. His ſemel amotis ſubitura æqualitatis vitia, & æmulationes civitatum, quæ vix inter armorum pericula conticeſcerent. Interim cum gentibus divitiarum avidis commercium animorum fore, & corruptis primoribus, etiam plebem, quo eſt ingenio, amare incepturam quicquid odiſſe deſineret. Nec redituros facile ſub belli onera, quos permulſiſſet quantulicunque temporis immunitas. In ſumma, diem pro regibus. Subactis Batavis, apud quos robur & conſilium

lium & obſtinatio, promtum Philippo diſpicere, quem viribus ſuis modum ſtatuat adverſus Galliæ lacerum corpus, & Britanniam muliebre regnum, cum illa protritis fruſtra opibus, & hæc ſolam ob formidinem bellaret. Et Lipſius hoc conſilium veteris hiſtoriæ exemplis firmabat. Contra Taxis judicabat, Belgis, qui Regi parerent, majus fore ex induciis damnum. Ita certantibus ſententiis, cuncta potius quam quæ acciderunt, deſtinabantur, fortunæ more, quæ hominum prudentiæ inimica futuros caſus in occulto tenet. Sed ne vulgus præciſa ſpe pacis ad ſeditionem incitaretur, immiſſi rumores prolata eſſe colloquia; quo externorum principum auctoritas interveniret. Et imperator ſane literas mox miſit, inſcriptas Hollandiæ Ordinibus, quas ipſi Fœderatorum in conſeſſum detulere. Hi reſponderunt, optare ſe cum vicinis concordiam; ab Hiſpanis, cur pacem ſperare non poſſent, ſæpe indicatum: neque eveniſſe quicquam cur ſententiam mutarent, niſi, poſt immiſſa in Reges venena & percuſſores, tutius nunc talium ſcelerum auctoribus crederetur. Simul mittebant ad imperatorem interceptas Taxis ad Philippum literas, queis ille, ſicut ferendum dictabat Ordines Belgicos cum fœderatis Ordinibus velut pari ſorte inter pacificandum componi, ita ad Fontani arbitrium cuncta referri volebat: multa monſtrâns effugia, atque inprimis diſſuadens, ne aut dimitteretur miles Hiſpanus, aut Germani pacis arbitri fierent. Iiſdem partibus hoc anno comitum Philippi Hohenloii & Georgii Eberhardi Solmenſis matrimonia ludis & dapibus atque e publico donis celebrabantur. Hohenloio Maria, Solmenſi Sabina nupſerat, Lamoralio hæc Egmondo, illa Arauſionenſi genita: clarum utrunque & favorabile conjugium, maritorum meritis & virginum nobilitate, quarum parentes plerique meminerant victimas cadere patriæ libertati. Inter civilia mala erat, quod nummi pretium immenſo auctu jactabatur, & ſingulæ nationes jus ſignandi in prædam verterant; quæ æquo modo & gentium commerciis reddere quibuſdam animus fuit. Sed e contiguo ſerpenti licentiæ, etiam qui vetuerant, ſuccubuere. Manentque argumenta non ſatis certæ ſocietatis, melior adverſum hoſtem, quam inter ſe conſenſus, & victæ leges. Etiam vicini motus mentes adverterant, qui fere amant, ni jure dirimantur, propinquo bello, & partibus involvi. Nam Cliviæ & Iuliaci principatum, ut prioris quondam domini invalida ætas, ita filii, qui ſucceſſerat, morbo imminuta mens

1595.

Quas & Lipſius ſuadet.

Hohenloii & Solmenſis nuptiæ.

Turbæ propter Cliviæ & Iuliaci principatum.

1595. Hiſpani artibus patefecit. Raptabat imperium hinc uxor procax moribus, ſanguine Badenſi, ſubnixa Auſtriaca magnitudine; gentis inde primores, Brandeburgicusque ac Neoburgicus principes, qui per conjuges ducis ſorores ſibi ſpem tantæ hæreditatis vindicabant: invito ſane imperatore, qui exſtincta virili ſtirpe principatus illos ſui futuros muneris judicabat. Favebant his omnes qui illis in regionibus Proteſtantium ſacra ſectabantur: etiam Romanenſium nonnulli, metuentes Auſtriacæ domus faſtum ſubditis gravem, & tributorum cum ſumtibus certamen difficile. Hi ergo, Ordinum Iuliacenſium ac Montenſium nomine uſurpato, ducem ipſum ita inhumane aſſervatum, ut non mediocre id morbo alimentum crederetur, liberant, uxorem cuſtodiæ mancipant, velut iniqua molientem. Audiebatur interea comes Suartſenburgicus Hiſpanorum hactenus cliens, militem illis finibus conſcribere, ut ipſe ferebat, Turcicum ad bellum: firmandæ Auſtriacorum factioni, ut alii exiſtimabant, quibus haud credibile copias, quarum uſus in ultima Pannonia foret, diverſiſſima parte Germaniæ colligi, ut inutili diu ſtipendio, ac damnoſo itinere traducerentur. Imperii Germanici reverentia obſtitit, quominus ſparſos & imparatos Batavus miles irrueret. Hoc tempore Elector Brandeburgicus fœderatorum Ordinum amicitiam atque ſocietatem ambire cœpit. Idem faciebant illarum regionum primores, pecuniam non longum ad tempus orantes, quæ mox ex facili proveniret, ubi in ſe regimen & ærarium traxiſſent. Et erant in Batavis, qui properandum cenſerent. Nam & trans Rhenum ſitis quietem inde portendi, & ſua cum Gallicis armis illo vinculo necti. Prudentius alii exiſtimabant, hoſti valentiori non eſſe ſuppeditandum illas in terras tam ſpecioſum belli titulum; venturos in partes non hos modo, qui inter Clivios Hiſpano ſtuderent, ſed vicinos quoque epiſcopos & ſacerdotes; & opem poſcentibus, idem quod ſibi, pecuniam deeſſe: nec poſſe ſuis viribus longe diſſita, lateque ſparſa defendi; quare expectandum, donec quorum res ageretur, eorum animi viresque matureſcerent. Nec minus Emdæ turbarum. Opulenta urbs trans Amaſium, oſtio ejus amnis aſſidet, pars ejus Friſiæ, quæ Cauchos olim complexa interfuſum Batavis Daniſque littus implebat. Vnde nunc etiam ea regio Orientalis Friſia dicitur, quia veteres cis Amaſium Friſii ad Occaſum ei objacent. Mores olim, quales cæteris Friſii nominis; etiam libertas, relicta a Fran-

Brandeburgicus & Neoburgicus competitores.

Qui liberato duce uxorem cuſtodiæ mancipant.

Suvartſenburgicus contra illos militem conſcribit.

Brandeburgicus fœderatorum amicitiam ambit.

Petita auxilia Ordines differunt.

Emdæ quoque turbatur: ſitus ejus.

Friſiorum orientalium mores & regimen.

Francis quoque regibus & Germaniæ imperatoribus, ubi dominari non poterant qualicunque obſequio contentis. Publica per conventus populorum ſeorſim, & communiter gentis totius, curata: judicia per delectos in conventibus minoribus majoribusque exercita; par in his jus omnium qui prædia poſſiderent; plurima tenentibus maximus honos, eaque ſola nobilitas. At hi cum arces ſtruxiſſent non ſibi modo, ſed & aliis confugia internis externiſque bellis, & domi manum haberent adverſus vim paratam, moderatores conventuum, & judicibus contra factiones præſidium, paulatim per diſſidia aut incuriam plebis, quæ poterant in ſe traxere, & huic redeunte interdum libertatis memoria, alii adverſus alios vindices facti. Inter hos Grethana domus per connubia, per hereditates valida, & multorum prædiorum domina, quæ jurisdictionem uſu ſuam fecerant, etiam Emdæ vici primum, deinde tenuis oppidi, durius ab aliis habiti tutelam ſuſcepit. Hac origine Uldericus anno poſt mille & quadringentos quinquageſimo quarto clam primum nobiles alios, clam populum, ab imperatore Friderico in eum tractum, qui ab Amaſio ad Viſurgim mari prætenditur, accepit nomen comitis & jus, quantum libertas Friſia pateretur: decemque poſt annis publicavit tabulas, ſed contractiores, ne aliorum, qui alibi intra eos fines inſurgere pari modo cœperant, jura læderentur. Temperavit hic benignitate imperium, multa populo Emdano, multa magiſtratibus relinquens, aut largiens, magiſque etiam natus eo patre Edſardus, mutua in ſe ſubditorum fide adeo potens, ut horum ſpe Groningæ & annexi agri principatum ſperaverit, tenueritque, donec eum Saxonica arma, fides mala Geldri, ac poſtremo cuncta invadens vis Auſtriaca trans Amaſium rejiceret. Huic filius Enno, impar patri, & ſic regens ut ab aliis ipſe regeretur, haud longus vitæ atque imperii. Quo tempore cum orbis Chriſtianus religionum diſſidio concuti cœpiſſet, Emda eam profeſſionem ſecuta, quæ alias per terras ferro atque igni petebatur, Belgas, Gallos, Anglos vim magnam convenarum, opportunitate fluminis invitavit, aluitque. Anna tum Oldenburgica filii Edſardi alterius nomine præerat, civiliter uſa principatu jam increſcente, nec ut Germani principes ſolent. Idem illi pietatis ſtudium & legum reverentia, quas non tam libertatis, quam imperii præſidium judicabat. Hac comitate & perfugio gentium, incredibile quantum urbs adoleverit, aucta non minus ſex ho-

1595.

Grethana domus jurisdictionem uſu ſuam facit.

Vldericus Friſiæ ab Imperatore creatur comes.

Groningæ principatum tenet.

Ab Auſtriacis trans Amaſium rejicitur.

Emda magna ſumit incrementa.

1595. hominum millibus. Secuta mox florentium populorum mala, ſuperbia apud ipſos & luxus, invidia apud dominantes. Nec tamen ad vim ventum, dum Edſardum aſperiorem frater minor Iohannes mitior conſiliis aut metu retinebat. At, Iohanne mortuo, Edſardus religionis diſcors (nam ipſe Auguſtanam, Genevenſem Emdani profitentur) magis ac magis ſuſpectam habere cœpit civium felicitatem. Vxor inſtigatrix aderat regia Sueonum ſtirpe, regioque ingenio: & narrabatur hæc inter cætera ſuppellectilem ab oppidanis commodatam ſibi detinuiſſe, hoc obtentu, quod privatum nitorem excederet. Irritamentis illorum, qui novandi ſtudio principem aut populum adulabantur, pravum certamen eousque invaluit, ut Comes cœtus ſacrorum cauſa inſtitutos, ſeditioſorum conciliabula, & ſtipibus, quas clara miſericordiæ civitas in uſus pauperum contrahit, vires adverſum ſe quæri interpretaretur. At contra nomen libertatis, & quæ violentiſſima perſuaſio eſt, Dei cultum jactabant acre concitorum genus, qui rerum civilium ignari, ſpecie religionis turbidi, ſæpe bonam quoque cauſam male agendo pervertunt. Invicta progenitorum virtus, recensque & propinquum exemplum Batavi cum Friſiis monſtrabantur. Et quid ſibi pulchrius, quam ſi priſcum in nomen ac fortiſſimarum gentium fœdus coaleſcerent? Iam onera commerciorum, jam ſuos magiſtratus rebus intentior Comes impoſuerat, & adhuc fera quamvis & contumax plebis ira intra voces ſæviebat. Cunctationem & pudorem excuſſit viſum in arce præſidium. Privato duce rapiunt arma, & machinas: curiam, portas, cætera urbis munimenta invadunt. Neque centuriones tantum ac tribunos legunt, ſed peſſimo quoque exemplo novos ſibi magiſtratus præficiunt; illis demotis qui ob ſacramentum principi dictum turbis ſemet exemerant. Arcis cuſtodes fame coacti diſcedere, cunctis ad vim verſis haud dubie Fœderatarum gentium opes reſpicebantur. Miſſi ab utrisque partibus Hagam legati, qui Ordines convenirent. Accuſabant illi inconditam multitudinem ſeditionis, cujus ultionem & exemplum ad Ordines pertinere, vigentes concordia, &, ſi vulgo imperia ſpernerentur, præcipuos ad injuriam. Contrarii odium ſinceræ pietatis, ruptas leges, injuſta onera, regnum factione & armis quæſitum memorabant; velut interrogantes, an hæc Ordines toleranda judicarent. Orabantque, ut ſocios religionum & malorum miſera-

Turbarum Emdanarum relatio.

Comitis & diſſidentium Emdanorum ad Ordines legatio.

ſera-

ſerarentur. Addebant, ambire Comitem Pontificis Romani & Philippi amicitiam, quorum vi adjutus opprimeret libertatem, aut acceptis alibi poſſeſſionibus traderet urbem dono Hiſpano. Ipſiſque haud dubium per exploratores erat, hoſtem ſummam belli in eo ponere, ſi flumine & portu eximio potiretur: neque alium Amaſio potiorem, qui lacum perfluens Dullardum nomine Emdanum agrum & Groninganam ditionem ſecat, ac medius ingenti ore Oceanum petit; maximarum navium patiens, & fidus inſularum objectu, quas inter obliquus exit. Vnde promtum Hiſpano novare in Friſiis bellum, &, quod negatum hactenus, mari claſſem immittere. Ordines fœderati, qui & periculum, &, ſi obviam iretur, invidiam providebant, legationem ita dimiſere, ut nec Comiti metum tollerent, nec populo ſocietatem affirmarent. Pax utriſque commendata, aut, ſi ita videretur, jure agerent; arma ſibi ſuſpecta. Neutri nunc partium inimicos, ſin ultra pertendant, huic a qua bellum cœperit. Mox ubi ab Ennone Edſardi filio militem cogi, & portum Cnoccanum muniri, qui Delphizylio adverſus eſt, feſtinantes per nuntios affertur, auctæ naves, quæ de more Amaſium aſſervarent, cohorſque Friſiorum juſſa ire tuendam ad urbem, ac nova cœptantes ripa depellere. Læta etiam, adeo ſecura, civitas ſe fortunaſque ſuas Fœderatorum armis credidit. Neque Edſardo tum aliud ſuccurrit, quam eos rerum arbitros facere, quorum vi cuncta gerebantur. Fœdus quoque & ſocietatem armorum obtulit, metuens ne eam gratiam civitas occuparet. Quem tum miſſi ab Ordinibus Delphizylium diſceptatores pacis modum ſtatuerint, ſummaſque leges commemorare haud ſine uſu erit, ut, quomodo illi de rebus Emdanis, ita de illis poſteri judicent. Religio ne cuiquam fraudi eſſet: uſus rituum in urbe qui ſolitus, & Comiti extra urbem ſuus. Sacris cœtibus tantum ſacra curarentur, inſpectante ſi quem Senatus deligeret; quod in Palatinatu & in Batavis uſitatum, ne quid hoc obtentu turbaretur. Religionis adminiſtros crearet idem cœtus, auctor fieret princeps. Agri, qui religioſorum fuerant, inter populum Comitemque diviſi. Ex conſulibus quatuor, adſeſſoribus novem, ſorte primi, mox ordine quotannis pars altera decederent; egregium potentiæ temperamentum, ne quiſquam imperii ſpem, biennium ultra produceret. In locum abeuntium binos ſenatus nominaret, e queis Comes ſingulos legeret,

1595.

Vtriſque pax commendatur.

Ordines Emdanis auxilia mittunt.

Diſſidia inter illos & Comitem componunt. Pacis leges.

1595. geret, antea in creandis magiſtratibus liberrimo uſus arbitrio. Hos penes res urbis & maritimæ, vis donandæ civitatis ac ſodalitiorum, in quæ plebs diſtinguitur; portarum quoque claves, & excubialis teſſera. Iudicia civilia, & quæ intra mortis pœnam conſiſterent, penes eosdem. Graviorum criminum ſontes peregrini a principe datis judicibus, cives mixto ex utrisque conſeſſu plecterentur. Senatum (quadraginta is virorum eſt) ſenatus ipſe ſuis ſuffragiis ſuppleret. Inituri honores in obſequium Comitis, & curam civitatis ſacramentum advocarent. Firmatæ leges, & tributa duntaxat, quæ legibus non adverſabantur; ſic ut ſua vectigalia civitas ſeorſim regeret. Cæterum Faldera, nova urbs, veteri addita, & Comitis ſervitio addictior, eodem poſthac, quo Emda, jure haberetur; ne perpetuam certaminibus materiam præberet: & quo certiores veniæ cives agerent, tolleret ultro Comes arcis minas, eamque urbi ſubmitteret; neque per ripam caſtellis terreret navigantes: quæ Principis beneficia civitas ingenti pecuniæ ſumma repenſaret. Ita horum ſecuritati, illius magnitudini conſultum. Neque ipſis leges diſplicuere, quanquam injuriæ recentibus & infeſtis. Placitumque venturos comites, & magiſtratus in hanc pacem jurare. Monetur ſubinde Comes Ordinum verbis ſuſpiciones & offenſas clementia revincere: neu fallacem Hiſpani amicitiam poſt ipſorum fidem habens inſidiis ſe pariter & finitimo bello illigaret. Iubentur & Emdani flectere animum vicina ad exempla, nec jugum jactando mala ſua onerare: civile bellum mediocri ſervitio bene redimi: etiam ſe atrociora principum ingenia toleraſſe, quamdiu externa ſævitia abfuerit. In hæc dimiſſo utrinque milite, quies verius quam concordia: neque ita ſanata diſſenſio eſt, ut non ſæpius eadem ad mala & remedia rediretur.. Hujus anni & quæ proxime ſequuntur tempora, velut brevi faſtidio obſequentis Fortunæ, fœderatarum gentium bello infelicia fuere. Ver totum & pars æſtatis per otium ipſis exhauſta, parte certe militis circa Galliam bellante: ſed quo minus arma & alibi moverentur, interpellante ſæpius Buzanvalio, ipſorum diſcordiæ obſtiterunt. Friſiæ namque urbes agros colentibus infeſtæ, communia utrisque onera non ex fide perſolvi, & quæ agrorum propria omitti aut remitti querebantur. Zelandi vero de vectigali evehendarum mercium cum Hollandis acriter rixati, hoc obtentu Fœderatorum ærario tributum inferre diu diſtulere. Geldris quoque & Trans-

Ordinum ad Comitem & Emdanos monita.

Fœderatorum inter ſe diſcordia.

Tranſiſalanis paupertatem ſuam & hoſtem penitus infuſum excuſantibus. Hollandi tandem & ipſi, quibus communium fœderi onerum duæ partes tertiæ incumbunt, cœperunt exemplum aut imitari, aut ulciſci. Quod ſi utilia homines non neceſſitatibus magis, quam conſilio ſequerentur, rebus hoſtium arctis, lucroſa ipſis mercatura, & flagrante Gallorum bello, id præcipue tempus audentiores conatus vocabat, quorum mox onera pauperior populus, & irrito ſucceſſu, tamen toleravit. Ne Lucemburgici quidem ſucceſſus votis reſpondebant, dum temere irrumpuntur caſtella, parum hoſtibus noxæ; nihil victoribus commodi latura. At poſtquam rex Henricus, in Burgundiam profectus regni vires eo traxit, exhauſtus copiis Bulionius, qui magnifica denuntiatione Hiſpanicum exercitum in ſe traxerat, non modo minas implere non potuit, ſed ſuis tuendis impar, raptari fines Gallicos impune ſpectabat. Quorum tædio Philippus Naſſavius, & quia fame ac potandæ aquæ inſolentia miles diffluebat, haud ſatis volente Bulionio, regredi feſtinavit; non tamen qua venerat via, namque eam hoſtis abſtulerat. Sed juſſo retro cedere peditatu, qua proxime Gallia mari ſuccingitur, unde in Batavos navigarent; ipſe cum turmis per interiora Germaniæ in Geldriam recurrit. At Fontanus, quanto invidioſam ſuſtinebat præfecturam, hoc niti impenſius, nequid in illo adverſarii præter magnitudinem culparent; præcipua in militem cura, firmare veterem, novum adjungere. Et maxime gnarus ſeceſſionem Italorum, quæque inde venerant calamitates, ſuum in crimen trahi, leniendæ invidiæ putavit eoſdem obſequio reddere. Deproperatis igitur pactionibus, quas Erneſto cœptas mors ejus interruperat, quando pecuniæ nondum ſuperabant, diurna interim & obſides dedit. Tilemontium poſſidere juſſi, ſigna nondum ſequebantur. Sed lucro fuit uſum militis, quo ipſi carituri erant, etiam hoſti avertere. Mox in duces ac præſidia diſpertit militem: majores multo a tempore non fuerant regis Hiſpaniarum copiæ, ſed ſparſæ locis in nihil magnum valuere. In Burgundia ſub Velaſco juſtus erat exercitus. Atrebatum & Picardorum confinio poſt Caroli digreſſum, Varembonius imponitur; coercendis Cameracenſibus, & qui in Galliam effuſus rapinas rapinis ulciſceretur. Mondragonius in Mauritium obvertitur, ſpectandos ad conatus, queis in tempore obviam iret. Data ſibi in hoc quatuor armatorum millia circa Hulſtum tenet.

1595.

Philippus Naſſavius cum milite ad Fœderatos redit.

Fontani circa militem cura.

Seditioſos obſequio reddit.

Ingentes eo tempore Philippi copia.

Ver-

1595. Verdugo cum peditatu ſex millium, equitibus mille quingentis, virium minorem Bulionium Lucemburgia protrudere & oppida recuperare juſſus Fertum aggreditur: crebro ictu & ruinis patebant mœnia, cum Gallorum manus oppidum immiſſa feroci eruptione contudit obſidentes. Sed exemptum obſidio oppidum, cum mox fortuito pulveris incendio magna ex parte arſiſſet, Bulionius ipſe munimentis ac præſidio nudavit. *Verdugo moritur.* Verdugo interim verſus ad infirmiora, paucas poſt expugnationes, morbo fatoque intercipitur, etiam circa hujus mortem aliquid ſuſpicante fama. *Ejus elogia.* Sed ille quanquam infelici Friſiæ præfectura nomen meritus, ut cui tempus & vires ſæpius, quam robur & induſtria, defuerint. Fides illi religioſa & militaris facundia. Etiam comitas ingenii, quo infrequentior Hiſpanis hoc inſignius honeſtamentum; & quod magnos ad honores ab imo evectus, quippe natus domo non ignobili ſed paupere, prioris fortunæ, quantum ſatis erat, meminiſſet. Orabant Fontanum Belgarum civitates Cameraci ut obſidio tandem inſiſteret, vim auri & militum offerentes, quia nec clauſa urbe & circumjecto Hiſpanorum exercitu, utrisque ſpoliabantur. At ille ultro avidus occaſionum, ne tempus præfecturæ inglorium transmitteret, & quo laboranti ærario ſubveniretur, ad Varembonii caſtra contendit augetque copias, ut peditatus duodecim, equitum duo millia conficeret. Hoc cum exercitu cuncta circum Gallis inacceſſa redditurus, *Fontanus Caſtelletum expugnat: Hanum obſidet.* Caſtelletum in Veromanduis oppidum apud Scaldis primordia, quod Henricus alter eo nomine Galliarum rex Cameraco, & ſiqua vis a Belga ingrueret, munimentum regni objecerat, machinis labefactum irrumpit, & mox qui in arcem ſe contulerant, in deditionem cogit. Atque interim Hanum, eiſdem in finibus oppidum, concutitur, miranda & ad fabulas accedente caſuum varietate. *Vendito Hiſpanis oppido præfectus Gomero a Fontano in vincula conjicitur.* Præfectus erat Gomero, Gallorum unus, qui Romanæ religionis ſpecie externas gratias ſuum in uſum quæſiverant. Hic, quo tempore pleraque iſtarum partium in Borbonium reflectebantur, ingenti pretio pactus cum Hiſpanis tradiderat oppidum, dum promiſſa exſolverentur arcem retinens. Sed evocatus aſtu Fontani vincitur duobus cum fratribus. *Orvillerius arcem tenens a Gallis auxilia impetrat.* Mater & affinis Orvillerius præſidio inhærebant, & ni continuo decederent, periculo cariſſimorum pignorum terrebantur. Mulier magno affectu pavida: Orvillerius indignanti propior ſecretis nuntiis Bulionium adit, & regios duces

duces qui tum Picardiam præſidebant. Poſtquam acciti in arcem venere, tota die contra oppidum, in quo erant milites mille & ducenti, Hiſpani, Walones, Germani, Itali, multoque nec ignobili ſanguine certatum eſt. Nam & Humerius occidit ſpectatus militiæ inter Gallos, & regi carus. Ad ultimum igne & ferro via ſcinditur, quique cladi ſuperfuerant, Orvillerio, ut convenerat, obſides traduntur, æquandis Hiſpanorum minis. Sed captivi per cuſtodum perfidiam ruptis vinculis arcem in id diſcrimen adduxere; ut pacto dimitterentur. Galli arce potiuntur Orvillerii ignavia, qui ſibi eam ſervare decreverat; & Fontanus, quia capto oppido ſerus ſupervenerat, pudore in iram verſus, pallentem inter carnificum manus præfectum pro mœnibus oſtentat. Ibi ille flebili voce modo parentem, modo amicum teſtari, ſi qua miſericordia, ſi quod fas generis, ne ſtante ſe ſub ictu gloriam potius & dignitatem imaginarentur. Cumque illi reſponderent non eſſe id penes ſe, quippe Gallos arce & oppido potiri, ſuorum in ore jugulatur; addendus infelicibus eorum exemplis, qui partes inſtabili fide profeſſi utriſque ſe hoſtibus hoſtes fecere. Durlanium inde procedit exercitus, quo Cameracum ſub id tempus ſacerdotum & oppidanorum quorundam dolo infeliciter ipſis tentatum, a tergo ambiretur. Cujus dum munimenta & locum obſidio ad lunæ lumen circumſpectat Valentinus Pardivius Lamota glande ictus cadit. Primus hic ducum egregiis quondam Ordinum rebus ipſorum diſcordiam, & revalituras Hiſpanorum opes providerat: virtute clarus & plusquam militari ſolertia, & qualem eſſe oporteat, qui ad machinarum ac Gravelingæ oppidi præfecturas magnasque divitias ac Comitis nomen e caliga ſurrexerit. Præſidium urbi Bulionius miſerat; mox ipſe pulverem atque alimenta laturus advehebatur, ſimulque Sancti Pauli comes. Sed primi agminis ductor Villarſius (is oram maritimam Henrici juſſu curabat) dum pugnæ avidior imperia contemnit, Fontani ab exercitu (& erat forte tum feſtus Apoſtolo Iacobo dies, quem Hiſpani felicem ſibi credunt, & credendo ſæpe faciunt) circumventus & captus, mox quia a Lotharingico fœdere ad Henricum deſciverat, interficitur, & multi nobilium circa; cæteri evaſere, & utriusque partis errori fortuna ignovit. Nam ſi majoribus copiis, quas tum Nivernenſis cogebat, Galli in prælium veniſſent, patebat in urbem via & locus victoriæ. Et Hiſpanus, ſi fortunam ſecutus

1595.

Galli arce potiuntur.

Fontani juſſu Gomero jugulatur.

Cameraci munimenta circumſpectans Lamota occiditur.

Ejus elogia.

Bulionius urbi auxilia adducit.

Villarſius cum multis nobilium occiditur.

1595. *Hiſpani Durlanii arcem oppugnant.* cutus impuliſſet refugos, parum abfuit quin Papienſis & Quintiniana clades æquaretur. Victor arcem oppugnat, haud ſatis cuſtoditam. Nam præfectus loci Gamachius, dum more temporum ſibi quam regno conſulit, ex mille ac ducentis Gallis, quos ſecum habebat, paucos ſibique fidos intra arcem receperat, reliquos in oppido reliquerat, ut præſto eſſent ſiqua neceſſitas ingrueret; quod exitio fuit. Nam miſſi ex Hiſpanis qui ruinam arcis per tormenta effectam ſpecularentur, cum deſertam cernerent, clamore teſtati gaudium, plures ſuorum traxere, qui arce irrupta nullum ſpatium reliquere quin una & oppidum irruerent: nec temperatum cædibus; quippe ubi non armatos virtus, non inermes miſericordia tegebat. *Irrupta arce una oppidum vi capiunt.* His dum rebus feſſi exercitus Gallicis in præſidiis quieſcunt, affecta jam æſtate. Mauritius quod apud ſe militis & reverſas cum Philippo Naſſavio copias in bellum trahit. Intentusque occupandis, quæ pauca circum Friſios hoſti tenebantur, Grollam adſidebat, Zutfanienſis territorii oppidum. Præſidium haud majus ſexcentis, paucæ intus machinæ, nec in longum alimenta, & foſſa aquis exhauriri facilis, ſpem prope admoverant. Compertum id Mondragonio, qui citato cum agmine Antverpia profectus obvia quæque præſidia trans Moſam Rhenumque rapiebat. Erant quinque peditum millia, equites admodum mille: ſed in majus numerum augente fama, Mauritius, cui bis tantum copiarum erat, commeatibus diffidens, oppugnatione relicta & incenſis quæ corripi nequibant, ad Iſalam occurrit, quo hoſtem Germaniam intra ſiſteret: nec ille in caſtra quicquam auſus, ſed contentus obſidio Grollam exemiſſe, & mutuum anni otium paciſci, retro ceſſit, ubi Luppiam amnem hoſti objiceret. *Mauritius Mondragonii adventu Grollæ obſidio avertitur.* Nam Mauritius inſequebatur, edoctus non eam adveniſſe multitudinem quam prior fama vulgaverat. Mittit igitur trans amnem Philippum Naſſavium cum equitibus quingentis, ut pabulatores hoſtilis equitatus ſubitus concideret. Sed per transfugas ejus conſilii certior Mondragonius, vim omnem turmarum eundem in locum contulit: Philippus, ut anguſtum iter exierat in apertum progreſſus, ſtatim circumfunditur; ac quo minus ſequentes ſuccurrerent adverſo fugientium impetu, & viæ arcto lubricoque implicabantur. *Philippus Naſſavius hoſtium inſidiis circumventus cæditur.* Prope tamen, ut ambigua eſt equeſtris maxime prælii fortuna, impulſus hoſtis erumpentium niſu: ſed defecti vulneribus duces minuerunt audaciam. Alii hoſtes turbatos adhuc integri pervaſere. Pluribus, cum

preme-

premerentur, fugæ terminus Luppia flumen fuit, quos obvius altera in ripa Princeps cum cohortibus excepit. Neque magna aut alio memorabilis clades, præter quod ut primus quiſque dignitate, ita infortunio fuit. Philippus ipſe, dum acerrime pugnam ciet ſaucius & mox captivus, inter egregia propinquorum Herenbergenſium officia exſpiravit; intrepidus juventa, & bello quondam utiliſſimus, ſi ferventem intra ſe animum ætas paraſſet imperiis. Moritur & Erneſtus comitum Solmenſium unus. Sed frater Philippi Erneſtus Naſſavius pretio ſe redemit: peremtorum corpora donata ſepulturæ. Nec quicquam præterea accidit, dum propinqui exercitus, atque alter alterius conſilia obſidentes, autumnum, & ſecuriora anni tempora exſpectant. Niſi quod Murſam dolo nocturno aggreſſus Mauritii miles, jamque per foſſam eniſus, dum palos in vallo obſtantes reſcindit, ſuborto die coactus eſt diſcedere. Prior tandem hibernatum abiit Mondragonius, militiæ incommoda haud ultra ferens, dux nonagenarius, compertoque pronum ſeditioni exercitum, hoc naſcenti malo remedium invenit, ut parte trans Moſam miſſa, cæteros citra flumen cohibens ac conſilia diſſociaret. Nec Princeps ultra moratus eſt. Statimque Mondragonius funebrem annum morte ſua implevit, militiæ vetus, primiſque ab Albani armis ad iſta tempora continuus. Aderant regendi militem artes & auctoritas: vix ſane cujuſquam parentium ducum tot ac tam clara facinora memorentur: neque omiſerim raram felicitatem, quod periculorum haudquaquam timens, quin ultro avidus, ſine ullo vulnere ad ſummam ſenectam pervenit. Etiam dux Paſtranæ obiit, generis claritudine, nec ultra, notus. Idem annus Antonium quoque abſumſit, qui Albani armis pulſus olim Luſitaniæ regno, cum potius eſſet per Africam Indiamque & alia Luſitanis poſſeſſa excitare partes nondum intermortuas, per Angliam Galliamque profugus, fruſtra ſpes ſuas in Chriſtianorum principum miſericordia poſuerat. Turcarum & Maurorum oblatis ſæpe auxiliis quo minus uteretur, credi volebat pietati a ſe datum. Amici ejus, cum honoribus pecuniiſque a Philippo promiſſis perduci non potuiſſet, ut regni jus a ſe abdicaret, veneno exſtinctum prodidere. Haud longa interim Fontano quies, in Cameracum impellitur; nec potiendi ratio in aperto erat. Sed multa ad latus Belgarum nobilitas Gallique duces, qui regis ſui veniam indignabantur, & miles poſt

Dur-

1595.

Mauritii miles fruſtra dolo nocturno aggreditur Murſam.

Mondragonii mors.

Elogia.

Antonius Luſitaniæ regno pulſus moritur.

1595. Durlanii ſpolia majoris prædæ avidus, ac civitatum vicinarum pecuniam offerentium preces, claudere egreſſus jubebant, & ſpecie obſidentis audendi tempora opperiri. Rex ipſe Philippus ſcripſerat rem eſſe indignam, ſtructum patri ſuo limitis munimentum hoſtium in manibus relinqui. His incitatus, quod defugere non poterat, ſperare cogebatur; & caſus adfuit. Circumſeſſos exterioribus munimentis Barlotus exuit: inde jam cuniculi, ictus, ruinæ, occultæ manifeſtæque artes intentabantur. Terrebant adhuc excepturæ impetum egregiæ Gallorum manus, quos Gonzaga patris Nivernenſis miſſu centum adduxerat, & mox alii quingenti proſequente equite per incuſtodita obſeſſoribus matutina nebula adjuti tranſierant. Tunc quoque nobili exemplo compertum eſt, quam ſit formidoloſum a multis formidari, neque ulla ſatis firma ſint præſidia dominationi, quæ civibus invitis tenetur, ubi gravius metu periculum conferre iras impulit. Nam Balagniacum, quo deſtitutam jure potentiam vi muniret, tributa graveſque cuſtodias atque alia regibus ſolita in cives auſum, multitudinis odia claris opibus everterunt. Nec deerat Fontanus clam religione, metu, pecunia, commotos ſemel animos incendere. Priuſquam hoſtes vallo conſilirent, plebs undique conglobata, Helvetio milite eadem volente, privatas ob injurias, & quia cuſos ære nummos Balagniacus auro & argento contra in ſtipendium quaſi redemturus imputabat, quod factum alibi pro libertate, pro mercede militantibus haudquaquam tolerabatur, acturos de pace ad Fontanum allegant: neque multa pacti Gallorum metu admiſere ultro Hiſpanos, a queis eadem paterentur ob quæ Gallos ejecerant. Atque illi, qui arcem clauſerant non tormentorum verberationem, non impetum exſpectavere. Et multa jam exſtabant inclementiæ Hiſpanorum exempla ni intra ſex dies, a Borbonio auxilia nova adeſſent, promiſſa deditio & mox impleta. Ita incolumes dimiſſi ſunt, & Balagniacus quidem Gallis proſequentibus privatus de imperio exiit: parum dignus, quam faventem ſatis habuerat, fortuna. Omnes quippe partes diu lactans, nulli omnium fidus, pecuniam ac commeatus modo ab Hiſpano, modo a Gallo, interdum & ab Ordinibus fœderatis acceperat; proximeque ante obſidium alimenta urbi neceſſaria vendiderat, ita opus militi dictans: nec minus vectigal, ſacra ac publica munera ipſius in manu. Arcem quoque adverſus machinarum ictus munire ne-

Fontanus Cameracum obſidet.

Vrbis arcisque deditio.

re neglexerat. At non muliebris uxori animus : dum ſpes ſuperfuit agere ipſa vigilias, aggerere ceſpitem, dirigere tormenta, interviſere manipulos, cuncta ducis, militiſque munia induere. Etiam plebem largitione tentaverat, quæ poſtquam fruſtra fuere, agnovitque adverſa fata, non tamen principatum hoſti relinquere, aut vitam debere ſuſtinuit, eodem die exſtincta, dolore an ſumpta morte parum definitur, quo dedendæ arcis fœdera ſanciebantur. Direptæ Balagniaci Alenconiique imagines : & cum ab oppidanis jusjurandum rogaretur, Ricardotus formularum gnarus verba ita conceperat, quaſi in fide Philippi urbs eſſet futura. Nam ad id tempus Burgundi & Auſtriaci principes, tutelæ tantum vetus comitum Aloſtenſium jus uſurpaverant: eoque titulo Carolus imperator arcem impoſuerat urbi, ne ad Francos iterum deficeret. Sed juris diſcrimen Fontanus armata poteſtate reſcidit, & Philippo ut principi jurari imperavit, ita ante obſidium conveniſſe dictans cum Ludovico Barlæmontio urbis antiſtite, ut ſacra functione contentus jus imperii, quod & ipſum epiſcoporum ſub reverentia Germanicæ majeſtatis fuerat, Hiſpano tranſcriberet. Neque tamen Barlæmontius etiam poſt dictum id ſacramentum deſtitit negare pactum, & jus antiquum repetere, annitentibus oppidanis, labore irrito & nihil præter odium utrisque pariturο : nam & arx & injuriæ licentia penes Hiſpanos milites erat, quo factum ut lintearia negotiatio, præcipuus urbi quæſtus, propinqua in oppida diffluere. Exorati a Fontano Itali ut obſidio adſiſterent, cum urbe capta poſſidendum ad Tilemontium regrederentur, in obvias Batavorum turmas fortiter coorti, tum primum fidem bello præſtitere. Sed Mauritianis equeſtre decus reparatum eſt, irrupta Wartia apud Hornenſem comitatum oppido, Henricus ubi comitum Herenbergenſium unus in poteſtatem venit : deinde fuſis commeatuum præſidiis. Sed Wartia longius a finibus jacens deſerta iterum. At Heraugerius, uſu edoctus multa experienti interdum adeſſe fortunam, Hoiæ jacturam Lira rependere machinabatur. Id oppidum Hiſpanis quondam captum proditione, & ſatis crudeli victoria, Netham ad amniculum Antverpiam Machliniamque medio ſitu interjacet, magnisque invicem uſibus miſcent. Hic omne in latus præda oſtentabatur. Anteſignani lucis incerto ſcalis eniſi ignaros vigiles obtruncant; ita portæ patuere: intro-

1595.

Fontanus Cameracenſes Philippo ut principi jurare cogit:

Fruſtra antiquum jus repetente urbis antiſtite.

1595. introeunt pedes, & equitis parum, mille omnes, lecti Breda ac circum præſidiis, nec dubie potiebantur, ſi quantum in capiendo induſtriæ, tantum in tuendo virtutis & obſequii fuiſſet. Alphonſus Luna præfectus oppido primos ad tumultus, haud equidem conſternatus animi, ſuum militem, quodque e vulgo promtiſſimum in foro proque curia diſponit. Mox his quoque munimentis diffiſus portam ab hoſte averſam, qua Lovanium iter eſt, inſedit. At victores, ceu tutis rebus, per templa, per domos, in raptus & licentiam ſpargi. Sic maximam diei partem intra mœnia egere: neque imperii reverentia, aut preces, aut minæ valuerunt, ut tantum militis ſub ſigna contrahi poſſet, quod exiguam manum porta depelleret. Interim accita propinquis præſidiis Lunæ auxilia venerunt: pars maxima Antverpiæ cives, pauci Hiſpani ex arce: videns id Heraugerius, portam quidem qua ingreſſus, occluſerat, quo ſuos in prælium cogeret. Sed non ideo palabundi ſuas, non hoſtium vires reſpicere; tantum, quia nihil timuerant, timebant: & quando haud alius parebat exitus, ultroque primi cæſi viam ſequentibus auferebant, e vallo præcipites foſſis hauriebantur; pars inter prædam cæſi, captaque hominum & equorum vis. Duci, & nandi peritis effugium fuit. Inſignis liberatorum continentia, quod quæ oppidanorum fuerant inter prædam reperta dominis reddiderunt. Burgundicum interea bellum Hiſpaniæ Galliæque vires paratu quam eventu majore exercuit. Ædui olim Romana ſocietate notiſſimi, & Sequani, Gallicæ nationes, has terras tenuere; in quorum mox poſſeſſionem, Romano orbe concuſſo, venere Burgundiones ex Septentrione orti, ſed qui propiora Germaniæ pridem inſederant. Horum & cis & ultra Ararim late patens potentia, etiam cum regio nomine, a Francica magnitudine imminuta primum, ac poſtremo obtrita eſt. Exinde ejus partes modo amicis, ſæpe & regum Francorum filiis attributæ, dum dividuum id imperium fuit, manente regni honore; poſtea Æduorum ferme quæ fuerat regio ducatus, Sequanorum comitatus vocabulo. Poſt mortem Caroli audacis Valeſiorum e ſtirpe Ludovicorum undecimus Francorum rex Mariæ Caroli filiæ ducatum eripuit, ſucceſſionem ejus imperii fœminis deferri negans: nec ad eas porrigi hæredum vocabulum, quod in conceſſione Philippo filio facta rex Iohannes uſurpaverat. At comitatum, qui,

Heraugerius captam jam Liram militis ſui licentia iterum relinquere cogitur.

Burgundicum bellum Hiſpanum & Gallum exercet.

qui, ex quo Germania ſeorſim regnata eſt, in ejus fide eſſe cœperat, poſt Maximiliani cum Maria conjugium Auſtriaca domus tenuit. Hoc tempore Galli quidam duces auctores Henrico fuerant, ut Hiſpanum, qua parte ſecuriſſimus ad ictum pateret, invaderet: poſſe hoc modo ex Italia in Galliam aut Belgicam tranſitum militibus Hiſpanis præcidi; & jus moribus debitum repeti. Res primum minores per duces prætentatæ; ſed cum Philippus periculum metuens Velaſcum, ut ſupra diximus, ex Mediolanenſi terra, quam is regebat, in Sequanos miſiſſet, cum peditum decem millibus, equitibus mille quingentis, ea vis hoſtium Bironium illuc, deinde Regem ipſum tulerat. Fortuitis equitum concurſibus victor ſæpe Gallus. Iuſtum prælium Velaſcus vitabat, ſervandis oppidis anxius. In ducatu Burgundico, Divionem urbem, interno Galliæ diſſidio Meduanii partes ſectantem, Henricus ſuis imperiis ſubegit: nihilque munitum illic Meduanio, præter Cabilinum reliquit. Sed ubi ille comitatus intra fines proſequi cœpit victoriam, Helvetii interceſſere, quippe per fœdera Auſtriacis hactenus obſtricti, ut Mediolanenſi imperio, ac Burgundiæ comitatu vim externam arcere debeant. Arripuit occaſionem Henricus ſine dedecore per inducias retrahendi exercitus, feſſus & ipſe certandi, neque digno ſatis pretio ad mutuas clades. Et Cameraco ſollicitus, illuc tendebat, cum triſtis nuntius captæ urbis occurrit. Socios igitur incuſat, quod ſe procul bellante, Gallorum & Belgicæ confinia hoſtibus prodidiſſent. At non ea ſpe, ut ſui fines auxiliis nudarentur, oblatas ſe pacis conditiones toties aſpernatum. Quanquam ſi fœderis pœniteat, promptum ſibi & nunc cum Hiſpano partiri. Ob hæc Batavi, excuſatis ejus anni neceſſitatibus, multo ſtipendio frumentoque Regem & duabus cohortibus inſtruunt, Scotica & Zelandorum, ducente Iuſtino Naſſavio. Quibus ille auctior, in Veromanduos deſcendit, & ſollicitus ne qua jam cœperat hoſtis interiora irrumperet, ſubactis Sueſſionibus hiberno difficilique obſidio Faram ſtringit. Sed quanto Galli offenſa impenſius vitabatur, tanto Eliſabetham infeſtiorem Ordines habuere: quippe Henrici res ſecundæ pro brevi miſeratione veterem gentis invidiam repoſuerant. Et accendebat eam religionis diſſidium, maxime ex quo cognitum, quam adverſas Proteſtantibus leges Henrico ad pacem ſuam obtinendam Pontifex præ-

1595.

Henricus Fœderatis amiſſum Cameracum imputat.

Horum excuſatio.

Henrico auxilia mittunt.

Quo Eliſabetham offendunt; Ejus in Gallos invidia.

1595. præſcripſiſſet. Nuper poſtulatis a ſe quatuor cohortibus, pro quorum ſtipendiis Parrhiſiorum civitas fidem ſuam interponeret, reſponderat Regina, inconſultum ſibi juventute nudare regnum tot inſidiis appetitum. Servandæ tamen Diepæ, Bononiæ & Caleto ſuum militem obtulerat. Suſpectum id Gallis, & addito, quod nuper in Britannia Armorica Angli minus honorifice habiti, nec quibus voluerant receptibus admiſſi, cauſa majorum mox ſimultatum. Ad Batavos vero Eliſabetha & literas & Thomam Budleium miſerat, adjutam Galliam invidioſe objectans. Non enim ſuæ opis indigos, qui ultro aliis gratificarentur. Reſponderunt Ordines, non id ambitioſo conſilio, ſed plane neceſſario factum, ut tracto diverſos in fines hoſte ſpiramentum ipſi acciperent, qui alioqui cogerentur a Regina, quæ non niſi ſexcentis peditibus & ducentis equitibus, duntaxat in caſtris cum eſſent, ſtipendia mittebat, integra ſex peditum millia & mille equites ex fœdere poſtulare. Illa contra, quamquam & hoc fœdere continebatur, ut finito demum bello erogata redderentur, eorum quæ impenderat ſolutionem acriter flagitare, ſaltem ut in præſens pars haud exigua, reliquum penſionibus annuis acciperet. Addiderat minas, ni obtemperaretur, uſuram ſe conſiliis a ſua lenitate alienis. Ad hæc, multam poſt gratiarum actionem, oratur Regina præſentia ut tempora reſpiceret; bellum civibus ſuis grave, & nunc ſatis improſperum: ac pridem prolatis finibus tributa parum, tuendi onera multum auxiſſe. Mercaturam & piſcationem, queis ſolis viverent; illam detentis per Hiſpaniam navibus, ſæpe & Anglorum injuriis, hanc Dunkercanorum rapinis exhauriri. Sævum & per eluviones mare. Super hæc ſi reddita Angliæ pecunia ad onera accederet, ſimulque palam fieret nolle Reginam fœderis legibus ſtare, nutante Gallo, haud temere metui, ne valerent apud vulgus hoſtium inſidiæ & malefidæ pacis tentamenta. Non tamen vitatum, quin Anglico militi, extra oppida pignori conceſſa, in poſterum Ordines de ſuo ſtipendium darent. Æquiorem ſociis Reginam fecere novi hoſtium conatus. Nam Hiſpani ex Britannia Armorica in Cornubiam populabundi exſcenderant, viroſque nobiles & res alias abduxerant: Hibernicæ quoque rebellioni apertius miſcere ſe cœperant. Hiberniam antiquiſſimis a temporibus reguli indigenæ multi partito tenuere, quorum facile potentiſſimus Dermitius Munhardi filius, ob multa ſæve facta regno

Per legatum miſſa auxilia Fœderatis objectat:

Sibi debitorum ſolutionem intempeſtive urget.

Hoſtium conatibus Fœderatis æquior fit.

Hibernicæ rebellionis ex occaſione narratio.

gno exturbatus, Richardum Penbrochiæ comitem generum 1595.
ſibi & auxiliatorem adſcivit. Cui cum in Hibernia bellanti res pulchre procederent, Henricus ſecundus rex Angliæ cum edicto revocatum coegit jus omne ac ſpem principatus in ſe tranſcribere. Et ipſe magnis cum copiis in Hiberniam advectus, regulorum alios vi, alios pollicendo permovit, ſuum ut imperium agnoſcerent. Sed, quæ erat ſimplicitas ſæculi, creditum eſt firmando juri futurum, ſi Pontificis Romani auctoritas accederet: qui ne verba quidem gratis concedere ſolitus, dominium Hiberniæ Anglis regibus donavit, ſed ita ut feudum eſſet eccleſiæ, ac tributum ei perſolveret, quod ſecuti poſtea reges pendere abnuerunt, hoc colore, quod regni Anglici proceres onus illud nunquam approbaſſent. Henricus octavus, contemto domini nomine, auguſtius vocabulum Hiberniæ regis primus uſurpavit, ſibique eum honorem dedit, quem Maria ipſius filia a Pontifice accipere poſtea maluit. Sed quanquam Hibernia, qua cultior moribus, rectores legeſque ex Anglia pati paulatim didicit; manſit tamen aliis in partibus, quas ſylvæ ac paludes abſcondunt, amor libertatis. Hoc nomine vocabatur omnium fere, quæ vetita alibi, licentia. Clara inter cæteras Onealum familia Vltoniæ ſibi principatum, mox & Hiberniæ totius, auſa aſcribere. Crevere his ſpiritus, Anglis inter Eboracenſes & Lancaſtrios feraliter diſſidentibus. Sed Conum, ejus gentis hæredem, Henricus octavus pacate ſevereque regnans compulit, ejurato Onealis vocabulo ac dignitate, in comitis Tironi nomen tranſire. Mathæum huic fuiſſe filium alii credidere: alii fabro ferrario genitum ferunt, ſed cujus conjugem Conus adamaverit, ideoque paſſus ſit obtrudi ſibi aut alienam, aut incertam ſobolem. Hunc Iohannes, ſecundum leges Cono natum ſe ferens, interemit. Mathæo patre natus erat Hugo, qui partim domi, partim in Anglia educatus, Tironi comitatum, & quæ Conus poſſederat, Iohanne, dum rebellat, peremto, & bonis in fiſcum redactis, Eliſabethæ beneficio accepit, certis ſub legibus, quæ nocendi poteſtatem in poſterum anciderent. Vir bello ingens, & quibuſvis par negotiis fidem Reginæ præſtitit, donec anno octuageſimo octavo disjecta nobiliſſima claſſe Hiſpani duces Hibernicum in littus ejecti, arcanis illum colloquiis ad recuperandum jus Onealum incitavere. Nec ſtatim tamen ſpem prodidit, ſed protruſis in arma aliis, quos Ro-

1595. manæ religionis ſtudium, aut acceptæ ab Anglis injuriæ ſtimulabant, ipſe obſequium hoſtile animo diu præferens, crimina negabat non minus audacter quam objectabantur. Peccatumque graviter ab Anglis, qui virum ferocis ingenii, quem reum fecerant, vincire cum poſſent, dubitarunt. At ille vinctis prius Iohannis liberis, ne domeſtico certamine impediretur, hoc anno, (cum audiiſſet Iohannem Noriſium militia Belgica clarum, & tum in Britannia Armorica agentem, veteri cum milite a Regina evocatum comprimendis Hiberniæ motibus,) irrupto caſtello, unde in latebras ſuas aditus, ducem ſe rebellibus præbuit, non tamen ut omitteret ſupplicibus verbis veniam pacemque poſcere, cauſam diſſidii in præfectorum ſævitiam referens. His artibus, & per inducias, moram bello quærebat interponere, donec promiſſa ab Hiſpano auxilia adventarent. Fovitque has ejus artes Ruſſelli Hiberniæ præfecti & Noriſii, qui dux bello impoſitus, eo provecta diſcordia, ut alteri placita alter ob id unum deſtrueret. Regina vero poſt concitatam hanc rebellionem, non tantum pro ſociis, ut hactenus prætulerat, ſed propriis in bellum cauſis acrius ferebatur. Draconem igitur obito orbe notiſſimum, egregia cum claſſe, partim ſuis, partim privatorum impendiis immittit mari, ſpe poſſe congeſtas in Portoricum opes intercipi: ſed cum rumor prævenisſet, hæ introrſum abductæ, portus ipſe ab Hiſpanis obſeptus fuit. Itaque Draco Canariæ aperta, inde qua arctiſſimus Americæ limes duo maria interjacet oppidum Nomideum populatus, cum multis ſuorum, cœli intemperie, an mœrore animi ob ſucceſſus votis impares, exſtinctus eſt. Quo tempore Anglus alter Walterus Raleigus, Reginæ ſatellitio præpoſitus, Orenocum flumen ingreſſus, Guianam nunquam Hiſpanis perdomitam adiit, ac notitiæ tradidit ex vero quæ vidit; de Amazonibus, & his queis vultus in pectore, audita tantum & aliis plenius indaganda. Vtilem ſane, & quæ non minus delectet, hiſtoriæ partem, poſteris eripiam & externis, ſi taceam navigationes, per quas effectum eſt, ut Batavorum inter arma felicitas, non alienam modo pacem, ſed ſuam quoque vinceret. Quippe natis ad claſſes is vel maximus belli fructus eſt, non partiri orbem, neque Pontificis Romani legibus ſubjici, qui partem naturæ maximam Hiſpanicis gentibus adſcripſerit, quo ſpecie religionis opprimerent mundi libertatem. Veteres mercaturæ termini,

Regina acrius in bellum fertur.

Draco cum claſſe in Hiſpanum miſſus, moritur.

Navigationum, quibus Fœderatorum res maxima incrementa ſumſere, relatio.

termini, qua iſtæ nationes multa per ſæcula claruerunt, 1595.
paucas præter inſulas, duo erant freta, ac maria introrſum, hinc Cimbri, inde Gades. Medium inter hæc Oceani littus obtinentibus omnis utilitas lateris alternis merces alteri vendere. Nam ipſis non frumenti, non ullius rei magnæ copia; vectura tantum in quæſtu, quæque artificum manibus laborantur. Poſtquam manifeſto Dei beneficio aperta magnetis efficacia rexit pelagi curſus, & librorum monumenta docuere veteribus cognita requirere, nova non deſperare, nihil jam humanæ experientiæ intentatum. Extima Africæ & Aſiæ Luſitanus: trans Oceanum littora ac vere alterum orbem Caſtellanus invenit. Gallorum minus validi conatus, poſt tentatam infeliciter Braſiliam, ad Terramnovam piſcoſum littus, nec ultra ferax, adhæſere. Viſum & fretum, & terræ quas ultimus Auſter premit primo omnium Magallano: ſecuti mox Angli, quibus Septentrionales fluctus in partem patuerunt. Poſt omnes Batavi, quos non dubie hactenus principum iniquitas oppreſſerat, ut qui fortem, nec oblitum libertatis ſuæ populum trepide mari immitterent, jam invidi hoſtibus, ſociorum æmuli, animum audentiamque ceperunt, ut repertis in medium uterentur, ſuosque viciſſim labores humano generi contribuerent, & rerum naturæ, quæ noſcendam ſe in hæc ſecula ſervavit. Neque vero nova quærendo, vetera omittebantur; quæ enim littora illos ſatient, qui hominum ſeptuaginta perpetuo millia in mari habent? Magnarum navium multitudine nulli regnorum cedit exigua regio, & tam adductis finibus incluſa, cujus adeo vis omnis velut extra ipſam eſt. Bis mille quotannis novarum ædificatione ſtrepunt urbes. Præter Galliam igitur Angliamque & Germaniæ portus, ac Balthicum mare, Hiſpaniam plerumque permittebat egeſtas mutua, inde mercium, hinc argenti, Philippique regis diſſimulatio & metus, ne propinquis abſtentos in ulteriora verteret. Sed non injuriæ aberant, cum modo religionis crimine, interdum velut agniti (namque aliarum gentium nomina uſurpabant,) denique tanquam illorum opera Rex indigeret, nautæ ac naves retentabantur: unde ipſis periculum, & potentibus præda. Hoc ipſo anno quinquaginta non minus naves arreptæ: indicatumque a Luſitanis temperaturum iſtis injuriis Regem, ſi Batavi maritima auxilia Britanniæ Galloque mittere abſiſterent. Sed Hiſpanica damna ex Italia reſarciebantur, cui ſteriles aliquot

1595. retro æſtates, nec Gallia ſufficiebat agris bello inſeſſis. Ita per Suedicam negotiationem frumentum omne ſub Batavis, qui brevi huc illuc recurſu ingentibus præmiis feſtinabant: nec, ut fit, occupatum ditioribus id commodum ſtetit, ſed latiſſime in plebem ſpargebatur, levibus impendiis & celeri quæſtu. Etiam Mauritaniam itum qua Oceano quaque mari interiori objacet. Cum Moſcovitis commercia Batavi etiam ante bellum habuerant, ſed per Balticum mare & Narvam Livonum Novogrodia tenus: quæ deinde per Ruſſicum Oceani ſinum Angli ad Nicolai portum, Batavi ad Podeſemſcoam & Archangeli Michaelis monaſterium, cuncta Duinæ amni adſita, tranſtulere: multumque ab Anglis laborato, ut ſoli exercerent, ægre Batavorum preces & libertas præpolluerunt. Mox longius auri, eboris, ebeni ferax Guineæ regnum, cæteraque Æthiopiæ: ac tandem Indico in Oceano inſulæ biennii itinere luſtrantur. Id hoc anno navibus quatuor privatis impendiis tentari cœptum, anceps primo nec innoxium fuit, cum inexplorato locorum ingenio paſſim feras in gentes & cunctis hoſtiles impingerentur. Plurimum morbi & æſtuantis ſideris injuria turbaverunt. Et Luſitani obſiſtebant ſuppliciis, ſi quos ſuas in colonias aut claſſes tempeſtas inopiave detulerat: deinde criminationibus apud reges populosque ſibi non ſubactos. Quod diu acerbum, dum raro uſu peregrini ſermonis & infidis hinc inde ſuſpicionibus cuncta implicantur. At poſtquam publicis literis & commerciorum uſu compertum eſt veniſſe non in prædam & raptus, ne dominationis quidem avidos, ſed amantem populum alienæ etiam libertatis, in hoc penetraſſe tot maria, ut æqua fide jus gentium coleret, ingens ſubiit Hollandorum fama & admiratio. Celebrique jam communes per quæſtus mercatura, etiam ſocietates tam longinquas odium Hiſpani aperuit, & clarum per illas quoque gentes bellatoris Mauritii nomen. Mira eorum, qui primi Indiam adiere, religio, famæque cura. Nam quia mandata niſi ſe tuendi nulla acceperant, obviam Hiſpanorum navem, paratam uberemque prædam, intactam omiſere. Vix tandem Luſitanorum feritas, neminem eo orbe ſe præter admittentium, expreſſit, ut privati commercia bello munirent. Secutæ Indorum legationes, dona, maritimæ in hoſtem pugnæ, &, qua maxime expedit, vinci cœpit Hiſpanus. Nam captis urbibus, neque magno ſane agrorum ſpatio, ut vincentibus aliquid accedit,

ita

ita perdentis nulla jactura eſt. Longe ſunt iſtius regni viſcera, longe opes; largitionum & belli alimenta: quibus ereptis, aut per onera exhauſtis, quid aliud quam cunctarum gentium præda ſit, vaſtum illud, vagum, & nuſquam ſibi tam propinquum quam hoſtibus imperium? Americæ quoque ora, palam qua adhuc libera eſt, clam qua ſervit, Hiſpaniæ regis metu, innotuit. Petuntur inde ſal, margaritæ, bubalorum coria. Sed terras genteſque aliis repertas & repertoribus cum cura celebratas invertere ſuperſedeo. Nobis maxime memorabilis illa navigatio videtur, qua Septentrionem ſuum Batavi invaſere, ut cunctis ante populis ignotum ſciretur, quis Oceanus Europam Aſiamque committeret. Spes enim proceres ac mercatores inceſſerat, poſſe ditiſſimum Cathaiæ regnum & Sinas, longiuſque Moluccas & Indiam propiore multo quam ab Hiſpanis itinere inviſi. Tres naves, Hollandica, Zelandica, Weſtfriſica, Norvagiam Finnoſque præterlapſæ apud Quilodunum Lapporum inſulam diviſere curſum. Hollandi ulteriore pelago obverſum ſibi novæ Semblæ latus prævecti, qua longiſſime in occaſum brumalem exit, inſulas duas navigationis terminum, Arauſionenſes dixere: ubi polum ac finitorem circulum ſex ſuper ſeptuaginta gradus interſunt. Cæteri mare ultra, quo Ruſſi adeuntur, Condoræ Pitzoræque oram legentes, anguſtias pertigere, quibus objecta continenti terra, Vadigatha nomine, arctat Oceanum. Sinus, an fretum eſſet dubitatum. Confuſa nebulis dies, glacieſque immenſo tractu, quam pari diſcrimine frigidus aquilo concipit disjicitque, diu vetuere in mundi fines inquiri. Tandem eluctati clauſtra, ubi ſe terræ deducere incipiunt, in ortum æſtivum directo curſu, inde ab extimo Semblæ Scythiam verſus vela vertere, Æquatoris centeſimo ac decimo gradu: donec conjecturis creditum eſt id pelagus navigari, quo flumen Obis e Sarmatarum paludibus ingenti ore conſumitur; Carambucis antiquis, ut eruditi volunt, quo haud melior limes Europam ab Aſia diſpeſcat. Quibus exploratis obvia cum nave, quam a Sembla immenſum gelu repulerat, tertio quam venerant menſe domum redierunt. Ea fuit æſtas quæ annum hunc proxime anteceſſit. Atque ita placuere prima tentamenta, ut plures naves exploraturæ ulteriora remitterentur, non Semblam verſus, ſed quæ via ſpem certiorem oſtentabat, per fretum Naſſavium; ita illud dixerant, quod Vadiga- 1595.

 tham

1595. tham & Sarmatas interluit. Frequens rebus magnis impedimentum cunctatio acceſſit: & ſerius quam oportuit profectis, mare impervium fuit. Inclemens adeo rigor, & illi quoque cœlo rarus, cuncta glaciaverat. Qui utroque ab itinere revenerant, naturam maris ſolique, inauditas avium & belluarum formas, ut cuique repertum, monſtrabant. Prominentes oræ, ſinusque & flumina poſitu cœli, & Principis, patriæ, denique privatorum titulis notabantur. Inſulæ etiam complures modicæ, quodque veteribus proditum, per alternos acceſſus receſſusque pelagi, ita ambiguæ, ut modo tales, modo pars continentis appareant. Major una trans fretum Ordinum nomine tuto inter pericula ſubſidio memoranda, & quia hibernantibus jugis cryſtallum edit, adamanti haud diſpar. Congruens videtur ſitum ejus plagæ, quique homines aut feræ habitent efferre, tunc primum percognita, & quando vetuſtiſſimi auctores hac ſuper re vana, nec eadem prodiderunt. Etiam nuper quatuor ad Septentrionem Euripos magicæ aſtructioni temere credidimus. Et quid a Caſpio ſinu in ſeptentrionem vergeret, inter ſapientes olim diſputatum, dum alii Oceano claudi terrarum orbem vatum carminibus affirmant: pars projectam in ultimum frigus tellurem nullo ambitu definiunt. Quæque de incompertis fabulandi licentia eſt, mare ipſum pigrum multi atque immotum, & quaſi deficientis ſuo fine naturæ vaſtam molem, ſeu proprium Diis & ſanctioribus animis ſecretum finxerunt: nonnulli contra, vi quidem turbinum & monſtris inacceſſum, ſed deſinenti Oceano fertiles iterum terras, aut ſpiritum, aut ignem occurrere. Plurimum ad ſpem enavigandi contulerunt, quorum libris ſignatum eſt, Indos & quidem ſæpius, vi tempeſtatis abreptos in Germanica littora exiiſſe. Neque magis de cœlo & loci ingenio conveniebat, cum ſeptentrionis populos fide ac juſtitia præclaros continua in die quidam collocarent: alii merſam denſa caligine & alienam molliorum ſiderum aſpectu regionem, cunctaque nivibus aut feris aut immanitate habitantium inculta: nonnulli viſum primo, mox mundum eripi. Quæ adeo pugnantia, originem ex vero traxiſſe pleraque videntur, quatenus nautarum experimentis, & accolarum ſermonibus probatum eſt. Nam mari illo, cui Lapporum, Ruſſorumque & quam dicemus Samojutarum ora obtenditur, lux æſtiva bimeſtri longior æquales hyemis tenebras repromittit. Sed ſolis etiam

menſes

menſes nebulæ perdunt, nihilo noćte meliores, remota vi 1595.
caloris, ut excire queat nubila, non diſſolvere: tum eadem ut plurimum nive albicantia maria & terras haud promte dignoſcas. Haud ſane ſævum procellis pelagus, quod utrinque a freto pateſcit, velut frigore ſuo attinetur. Nec immerito priſci homines congelatum & mortuum dixerunt. Nam quacunque terris accedit, durati in glaciem fluctus longe litoribus adhæreſcunt, ſpectanturque nonnunquam plurium annorum cruſtæ unam in molem denſatæ: ubi ventus rupit, aut rigor remiſſus compagem laxavit, avulſa montium aut inſularum ſpecie fragmenta Oceano feruntur, & ſæpe concurrunt. Is maxime terror afflixit navigantes, quippe cum explorandi cura terras raderent. Fretum, cujus latitudo horarum duarum, longitudo dierum quinque iter complectitur, concreſcit omne ut quidem pedibus tranſeatur: & quando ſolutum eſt, non ſua modo, ſed illapſa gemino a mari glacies adurget. Quinquaginta vix dies ſunt, ſub ipſum apud nos poſterioris æquinoctii ſidus: id tempus illic, non æſtas, ſed hyemis intervallum eſt, viſaque palam tabeſcere glacies: neque diutius velis imminens iterum gelu indulget. Tunc ſane & Ruſſis commeatur, manebantque ſigna infauſtæ navigationis fluitantes tabulæ; ſive illos frigus reſurgens, ſive alia vis deprehendit. Sunt illis & trans Obim commercia: atque illic hibernare pericula docuerunt, ut ſtato tempore remeent, ubi ſe undæ patefecerint. Quomodo Magellanico Freto, ita his anguſtiis coire Oceanum, fidem hanc Batavi attulere. Flumina in fretum exeuntia diſtrahi, velut dubia quo curſus agant, aut ſi ventus invaluerit, eodem impelli; quæ dulcibus aquis mitigent maris ſaporem. Simul transvectis jam littora receſſerint, ſalſos cæruleoſque fluctus immenſo profundo attolli: atque eadem iterum monſtra: nam dictu mirum quam ſit belluoſus omnis iſte Oceanus. Spectantur vitulæ & canes marinæ, & ferarum nobiliſſima, quam Morſam vocant, miræ, & ut compertum eſt, pugnacitatis, & vix ullis ictibus penetrabilis. Pedes ferme quales caſtori; magnitudine præſtat, & pariter ſolido utitur. Nam viſa & glaciei incumbere, & imminentibus mari jugis apricari; tarde enititur, incredibilis delabenti velocitas. Dentibus illis, quantum apud nos ebori pretium, perſuaſio gentium facit. Ajebant Ruſſi poſt Vadigatham diductum mare iterum cogi, iterumque erumpere, quo ſermone haud

affirmem

1595. affirmem Tabin ne Scythiæ montem olim cognitum, & porrectam in ortum Semblam parvo brevius concurrere indicarint, an fretum illud auditu compertum ſit, quo diremta a Tartaris America communem cum illis originem vultu ac moribus gentium fatetur. A Pitzora Moſchi provincia ad flumen usque Obin quicquid mari prætexitur Samojutæ, Sarmaticum genus non colunt, ſed peragrant; adverſus immanitatem quoque naturæ & cœli urgentis ipſos animoſi & felices. Fœdi quidem vultus & fumo nigri, parvis oculis, preſſis naribus; neque ingentia corpora, ſed firmæ valetudinis, & ut cuncta fere animantia pernicitate curſus adæquent. Lætos parvo atque agiles non delitiæ enervant, non cura macerat. Qua pedibus inceſſit, quod manu cepit, id cuique ſuum eſt; nec alius poſſidendi finis, quam animus paratis contentus & obviis. Ita omnia habent quia nihil concupiſcunt. Arma ſane Scythicum Parthicumque in morem, arcus, pharetræ, ſed adverſus feras: ab his veſtem ſumunt, qua totos ſe caputque & manus induant; ab his victum, crudas carnes, velut amplexi naturæ munera. Delitiæ adeo nullæ, ut panis quoque & uſum & nomen ignorent. Id melius arbitrantur, quam irritare maria, quam negantes fatigare terras, & in ulterius ſemper vota promittere, infenſos aliis, infenſos ſibi. Atque adeo noverunt rates, non imitantur: ſuoque ſe tenent littore, niſi quatenus diverſa elementa gelu, velut cœleſti ope, coierunt. Sic eunt redeuntque cum Vadigatham & Semblam, deſerta alioquin, longo venatu ſcrutantur. Inſulas has eſſe duas, neque magno æſtuario divelli pronuntiabant. Ibi longius, quam norunt ipſi, imperant, quia præter ſolitudines & feras nihil ultra eſt. Videre nautæ ſecundo itinere, qui ſe principem omnium earum gentium oſtentaret: hominem non cultu ullo, non majeſtate, niſi ſenectutis, inſignem. Nam a Moſcho, cujus aliquot jam ſæculis aucta dominatio tergum ac latera circumvenit, Riphæi, ut creditur, montes nivibus inacceſſi, quos cingulum terræ dixere, & ſua illos inopia defendit. Proximi tamen tributum pendunt, pelles ferinas, nec enim aliud habent, magisque belli odio quam metu. Samojutiæ, Semblæ, Vadigathæ litorum prope eadem facies, anceps interdum rupibus & vadis alibi plana. Humus ibi muſcoſa & paluſtris, ſilvis nuſquam horret: ignotæ enim, & qualium ubique prodiga natura eſt, nulli bono uſui herbæ ſponte naſcuntur.

tur. Quo magis mirandum eſt ramos truncosque arborum paſſim fluitare : niſi remotiores ſeptentrionis terras vaſtus, & ipſo littorum occurſu excitatus abrumpit Oceanus. Eademque vi credibile eſt diſſiluiſſe quas nunc inſulas videmus; forte hucusque olim exeunte Sarmatia. Quamcunque ejus oræ partem naves attigere, fumus interdum & hominum veſtigia, non urbes, ne vici quidem apparebant. Interior regio & nemora habere creditur, & lacus, quos perpetuæ nives fundant, alantque. Hæc juxta, ut ſolum, ut aqua placuit, diſcreti diverſique tuguriis latent, aut ſpecus aperiunt, ad fovenda ignibus corpora contra cœli injuriam. Nec tamen deſident. Traha, quam rapiunt incredibili celeritate quadrupedes, haud diſſimile cervis genus, Rangiferos vocant, una omnibus ſupellex. Hac lapſi altas per nives veſtigant prædam, mutantque ſedes. Totam hanc plagam feræ cum hominibus haud ſane ex æquo diviſere. Tanta multitudo eſt leporum luporumque candida cute : tum martes, ſabelli, quæque aliæ tantum ob pelles expetuntur. Vrſis (& hi frigore albicant) major ſolito moles, & quia pabula deficiunt, rabies inaudita; non armorum metus, non mare obſiſtit, quo minus conceptum odorem impetu ſequantur. Ea peſtis improvidos nautas, qui littus adierant, fœda morte abſumſit : nec aliud ſociis quam ſpectare & ſero ulciſci datum. Notabatur in ora eminente ſancti & profani triſte divortium, cum ſummis in jugis innumeræ Deum effigies rudem artem ſenſumque, contra erectæ cruces Chriſtianas manus teſtarentur. Nam Ruſſi, quos in inſulas & partem eam continentis tempeſtas, aut pellium mercimonia adpellunt, ſex ante ſæcula Græcos ritus accepere. Samojutæ cœlum atque aſtra adorant, numina haud aliis iniquiora, tradito more, nec, ut oderint, diſſentientes. Sunt & qui lucos apud illos memorent horrendo fragore & viſis infames, ſacrosque angues, ſuperſtitione haud ignota, coli. Cæterum mos Samojutarum minime ferus, & Lappis Finnisque vix diffidet : quanquam olim humanam illis carnem pro cibo fuiſſe, ſunt qui ex nomine, quo vocantur, arguant. Quod ſi recipimus, annumerandi & hi populis, quorum vitam ætas & exempla mitigarunt; facili ad dediſcendam feritatem hominum ingenio. Ad primos Batavum occurſus, ſola ignorantia pavidi, fugam aut arma proſpiciebant. Poſtquam approbata innocentia, & quædam munuſcula ac-

1595.

1595. la acceperant, duo ſanctiſſima, ſolem & paupertatem ſuam teſtabantur, invitos ſe beneficiis vinci. Omnino, ſi quid in poſterum fortuna annuit, multum momenti in illarum gentium ſtudiis, quæ freto aſſident. Quanquam & arcibus premi tranſitum ad retinendos uſus reperti maris profuerit, & quo refugium habeant naves, ſiquid ſubitum ingruat. Tum, ſi cura & homines accedant, non minus Vadigatha eſt inſula cultus patiens, quam quæ extremo Danici imperii littore habitantur. Nam ut ſub ipſo ſideris incendio flagrantem plagam, ita, quæ ad utroſque relegatæ vertices gelu ſtringuntur, admittere mortales, eoſque ſorte naſcendi & aſſuetudine ſibi æquare, contra veterum rationes experientia convincitur. Nullam ſui partem natura ſolitudini damnavit, adeo quidem ut Groenlandia, ad Septentrionem remotior, fruges & ſata alat noſtrum in morem. Pleraque certe inculta olim jacuiſſe par eſt credi, cum adhuc potiora ſufficerent. Paulatim ſua homines multitudo & diſcordia longius projecit, terræque maria, & maria terras monſtravere. Proxima Obi regio Obdoria eſt, anus aureæ ſimulachro & oraculo celebrata. Vltra amnem Molgomzaya flumen alterum, & ripa cognominis, quam Ruſſi non commerciis modo, ſed imperio novere. Cætera jam fabuloſa, morte hyemem transmittere, vernoque cum ſpiritu reſumere animam Leucomoriæ populos, cum expoſitis interim rebus permutationem ſola accolarum religio peragat; tum hirta hominum corpora, & canina oris ſpecies, haud minus vana veterum mendaciis: qui equinis pedibus gentes, & alias, quarum aures nuda alioquin corpora ambiant, iiſdem locis aſſcripſere, ut fere ubique in miracula, & falſas auditiones fama rerum deſinit. Quædam horum tamen, & quod certiori teſtimonio firmatur, capite truncos homines, qui vultus in pectore gerant, aut eſſe, aut colli brevitate erectiſque humeris tales videri, haud pertinaciter refellam; ſatis gnarus, ut alibi ignium intemperie, ita vi frigoris nimia peccare naturam. Hoc conſtat, Loppos ſequi Imaumque montem, & inter nemora late vagantes Hordas Tartarorum; quorum pars ſit Cathaia, converſa jam littorum fronte: inde Sinas & quæ in orientem noſcuntur. Idem hic annus infamis rapinis Dunkercanorum, qui triginta & quinque Batavorum naves, in Norvegiam miſſas lignatum, inermes præter unam omnes, in poteſtatem redactas avehere cum non poſſent, magiſtros navium obſides promiſſi

in

in redemtionem pretii ſecum duxere : & mox e Galliam petentibus non minor præda. Sed una raptorum navis circumventa a Batavis, forti prælio abſumpta ſuorum parte altera, quadraginta trium qui ſuperfuerant ſupplicio aliquantum repreſſit graſſantem ſatis feliciter audaciam : ſimulque liberati ſupra viginti, qui nave illa capti tenebantur, quique jam ſinguli bina, aut amplius, florenorum millia vitæ ſervandæ promiſerant.

HUGO-

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS LIBER QVINTVS.

SVMMARIVM.

Albertus Philippo Arauſionenſe concomitatus Erneſto ſucceſſor ex Hiſpania in Belgicam venit. Ibarras & Fontanus in Hiſpaniam revocantur. Ordinum contra Ieſuitarum inſidias vigilantia. Albertus Caletum & Ardeam expugnat, Faram Henricus. Hulſti obſidium & deditio. Mendoſæ ad imperatorem miſſi poſtulata. Imperatoris de pace acturos legatos non admittunt Ordines. Eliſabetha navibus a Fœderatis adjuta claſſem in Hiſpanos mittit. Expugnatis uſtisque Hiſpanorum navibus, Gaditanum oppidum diripitur. Fruſtra obnitentibus Eſſexio & VVarmondo Houwardus in Angliam claſſem reducit. Philippus vehementer obæratus fractam fœneratoribus fidem reficere neceſſe habet. Propter tributa inter Fœderatos diſcordia. Eliſabetha cum Gallo de fœdere agit. Promiſſa Fœderatis ab Henrico auxilia non mittuntur. Regina intempeſtive as ſuum a Fœderatis repetit. Fœderis inter illam & Henricum leges; in quas & Ordines jurant. Horum propria pacta: Henrico pecuniam mittunt. Gallorum in Anglos ſuſpicio. Academiæ Lugduno-Batavæ deſcriptio. Fœderatorum ad Danum legatis auxilia contra Hiſpanum denegantur. Bironius capto Varembonio fugatoque Cimacenſi Atrebates & Flandros vaſtat. Germani militis ſeditio. Fœderati frumentum in Hiſpaniam ferri vetant: navigationis tertium ab illis verſus Septentrionem inſtituta mirabilis hiſtoria.

1596. FEſtum inde annum Belgæ ſub Hiſpanis inchoarunt inſueto gaudio eorum, quæ Gallicis finibus provenerant; tum nova ſpe ornandoque Alberto archiduci Auſtriaco intenti, qui pari cum honore ſucceſſor Erneſto mittebatur. Minimus
Albertus Auſtriacus Erneſto ſucceſſor mittitur. hic fratrum, quod magnæ nobilitatis ſolatium eſt tacitumque regibus & Pontifici fœdus, Cardinali dignitate fulgebat. Exin probatus Philippo Luſitaniæ præfectura, ubi ſuſpenſo obſequio & in ſubditos comitate claruerat, haud indignus habebatur, quem Rex, more gentis inter ſe fidæ, propiori neceſſitudine ſibi immiſceret. Igitur quo majore cum gloria

gloria gentile regimen addiſceret, proviſa abunde belli & pacis inſtrumenta. Tutum illi iter ex Hiſpania in Italiam, perque Sabaudos & Burgundiones Lucemburgiam usque & fines Belgarum. Pedites & turmæ undique agglomerabantur, non modo eunti præſidium, ſed exhauſtæ militiæ ſupplementum; quos ille, ubi ad exercitum pervenit, paucas in cohortes, aut alas coegit, partimque veteribus infudit; prudens verum numeris robur, quam nomen & ſpeciem quærere, ne inutili præfectorum turba ærarium & militem oneraret. Itaque & Belgas proceres apud ſigna infrequentes præfecturis ac tribunalibus amovit, quorum præter nomen & commoda vix quicquam uſurpabant; ſuffectis aliis, qui diu obſequendo imperare meruerant. Statuit alia quoque haud indigna imitatu, ut ne quis ſignum ferret niſi tertio ſtipendio. Conquiſitæ & pecuniæ, quia recens ſeditio in metu, & vetera malorum recrudeſcebant. Et promiſerat Hiſpanus in menſes ſingulos undecies centena florenorum millia, ſed quæ primum autumnum haud ultra proceſſere. Trahebat ſecum Albertus ſatis magna argenti infecti pondera, quo trajiciendæ per ſyngraphas pecuniæ damna lucrifierent, & quia cuſo in Belgica majus pretium eſt. Et alias ob longa itinera intutum, nunc valido præſidio defendebatur. Aderat una, & velut pignus clementiæ oſtentabatur princeps Arauſionenſium Philippus Wilhelmus nomine, qui motis in Belgica rebus avectus olim; & honorate Hiſpanica in aula cuſtoditus libertatem tum primum receperat: quippe Romanam in religionem firmatus, & iſto obſtrictus beneficio, ſi fratrem minorem adiret, & gentes, apud quas paterna valeret memoria, pacis medius, aut inter hoſtes diſcordiæ cauſa ſperabatur. Neque ſane Albertus ipſe adverſo apud Batavos rumore erat, plerisque nautarum cognitus gratuita clementia, quos per Luſitaniam, in hoc ipſum, ut creditur, comprehenſos haud dubie in ſpem famæ dimiſerat. Gratum præ cæteris, quod ejus adventu Ibarras & Fontanus inviſa potentia demoti in Hiſpaniam remitterentur. Sed plures ſucceſſerant, Franciſcus Mendoſa, Tarraconenſis pelagi præfectus, conſilio tum & bello caput: Conſalvus Carilia, Girolamus Zapata, & Baptiſta Taxis; alia nomina, iidem mores; quo magis formidabatur ſimulata bonitas manentibus malis. Et Fœderati Ordines veriti ne quid vulgus principis Arauſionenſis aſpectu & colloquio mutaretur, ad ipſum ſcripſere, gratulabun-

1596.

Multa imitatu digna ſtatuit.

Magna argenti infecti pondera in Belgicam advehit.

Philippum Arauſionenſem ſecum adducit:

Ejus adventu Ibarras & Fontanus in Hiſpaniam revocantur.

1595. *Ordines principi Arauſionenſi ſcribunt.* tulabundi quod viginti octo annorum captivitatem exiiſſet: cæterum fines ſuos, inter arma, niſi publico vocatu haud tuto adiri: neque ſatis ex uſu rerum præſentium coram ipſum venire; quanquam ultro confiderent haud eum fore, qui, expertus cum maxime Hiſpanicam ſævitiam, ſubruere velit patriis conſiliis & patrio ſanguine fundatam libertatem. Quibus ille reſpondit, *Ejus reſponſio.* ad reliqua officioſe, de patre diſſimulans: verum nullius rei auctorem veniſſe, quæ non utrique partium conduceret, unde ſe merito ſecundas ipſorum voluntates opperiri. His tum abſtentus, nihil in poſterum affectavit, ſuſpectum ſe Batavis querens, & apud Hiſpanos generis invidia premi: quare nec arma induit, privati expetens, ſeu fraternæ gloriæ reverentia. *Mauritius & ſoror illi dona & pecuniam offerunt.* Sed Mauritius illum per legatos, ſoror Hohenloio nupta coram in Cliviis convenit, dona & pecuniam offerentes; quo domeſticam adminiſtrationem maximarum penes ſe poſſeſſionum domino certatim purgarent. *Ordinum contra Ieſuitarum inſidias vigilantia.* Ordines autem callidi vitare imminentes inſidias, jubent excutere tranſitus, præcipua adverſus Ieſuitas cura, ne quid inſidum credulam in plebem manaret. At Albertus non his artibus fidere, ita pacis avidus, ut bellum interim urgeret: ſuper præſidia inſtructo quindecim millium exercitu. Faram in Veromanduis, bello & inopia circumdatam, niſi furtim ac modicis copiis alere ratio nulla erat; quia hoſtilia circum oppida, & ingens equitatus, tum humentia camporum, quo majora inſidentibus munimenta, hoc adituros graviore periculo terrebant. Detrahere obſeſſores, aut ſi morarentur majori pretio Caletum aggredi propius fuit, & ſuadebant per avaritiam præfectorum neglecta urbis munimenta. Id ipſum Parmenſis olim, inde Lamota hortatore Fontanus ſibi deſtinaverat: ſed gloria cœpti novo imperio ſervata eſt. Supremum hoc transmarinæ expeditionis præmium, & freti ſui clauſtra, ducentos per annos Britanni retinuere: quibus intra inſulam redactis Franciſci Guiſii virtute, acceptum regimen urbis Gordanus, mox in propinquum ſanguine Bidoſanum transmiſerat. Neutri cura, quæ bello aut ævo fluxa, reficere. Et erant longe infra ſæculum opera: murus lapideus urbem ambiens, arx anguſta, & in quatuor propugnacula leviter excurrens: ne miles quidem adverſum hoſtes, ſed firmandæ potentiæ aſſumtus; dum terra marique augendis divitiis incumbit animus, ac, quod frequens turbatis rebus,

buſ, ex præfectura regnum fit. Quare nec Borbonius, cognito jampridem interceptas per literas periculo, occurrere potuerat, precario adhuc & tantum volentibus imperans. Quin adeo Bidoſanus, celebri jam rumore Caletum peti, ſociis e Batavorum cohortibus duabus centuriis haud amplius admiſerat, ex conſcientia ſuſpicax. Apud ipſum ſex aliæ erant. Quæ poſtquam Alberto relata, quo terrorem latius ſpargeret, e Valentinianis oppido diverſas manus ſub ducibus ire, & proximis Gallorum locis miſcere tumultum jubet. Præfectus caſtrorum Chriſtianus Ronæus, Gallorum exſulum clariſſimus fama, parte exercitus ambire miſſus oppidum, omne auxiliis iter abſcidit. Nam capto ponte, quo terreſtris arctatur aditus, coctili muro turrim, quæ Ricibancum dicitur, ad portus fauces, unde & Guiſio quondam in oppidum aditus, ſemirutis jam olim munimentis, quæ ne tum quidem audito periculo, quiſquam refixerat, percuſſum tormentis in litore poſitis, defenſumque non quamdiu debuerat, victor adſcendit. Inde jam Batavorum naves, quæ Flandricum ad littus ſedent, quo minus commode obſeſſis ſuccurrerent, arcebantur. Attamen tela inter, late patente portu, travecta navis Bidoſano, quos popoſcerat, curandis machinis artifices, & pulverem tradidit, rediitque. Mox & Sancti-Paulio Comiti, qui mille & quingentos Gallos oram ad maritimam duxerat, ſuppetias oppido laturus, invectandi operam ſpondebat nauta, ni ipſe periculum defugiſſet. At poſtquam Auſtriaci vires coierant, & tela ex incumbentibus arenarum tumulis deſuper adigebantur, ſuburbana primum ædificia ad impetum ceſſere; mox oppidum ipſum triduo óbſeſſum, cum quaſſari machinis porta cœpiſſet, vulgi pavore & domini veteris odio (quippe ipſi regenti, non conſilium, non auctoritas inerat) Hiſpano deditur. In arcem ſe miles recepit, quæ pactis ſex dierum induciis in ſpem auxiliorum tenebatur. Et Mauritius quinquaginta navium claſſe multoque milite jam aderat, viſurus quid Gallis, quid Anglis eſſet animi. Sancti-Paulius diſceſſerat. Eſſexius in propinquo habebat paratam in Hiſpanos, ſi forte ingruerent, claſſem. Obſtitit populorum nunquam bona fide coeuntium æmulatio. Nam Viquium, proxima Galliæ præſidia regentem, tentavit Eſſexius, velletne, ſi recuperaretur Caletum, cuſtodiam ejus Anglis permittere. Credidere Galli quæ bello quondam An-

1596.

Albertus Caletum obſidet.

Expugnata urbe in arcem ſe milites recipiunt.

1596. gli tenuerant, nunc per amicitiæ ſpeciem indecore repeti. At rex Henricus non quidem obſidio deſiſtere; ſed relicto ad Faram exercitu, id potius credens, an quia Caleti aditum deſperabat, interſciſſo æſtuariis ſolo, quatuor millium præſidio Samaram amnem delapſus proximum navale Bononiam advenit: ibi ferendæ opis ſera conſilia habebantur. Rogatus a Rege ut in terram deſcenderet Mauritius excuſavit, nudatis domi finibus conſulendum dictitans. Trecenti ferme milites Campſaniolo duce terreſtri itinere ſubmiſſi, nocte uſi & ſilentio & maris receſſu, per foſſas in arcem erepſere, exemplum magis obſeſſis quam ſubſidium. Plerique, ut propugnacula oppugnantibus patebant, cum Batavo milite in veſtigio cecidere: dum cæteri Gallorum, bello inhabiles, præcipiti fuga, ſeque & alios in exitium dant. Occubuit & Bidoſanus. Batavi ferme ſexaginta e domuum culminibus fortiter ſe defenſando expreſſere ut ſalvi emitterentur. Temperatum fecit uſum victoriæ Archiducis præſentia, qui ſine multo ſuorum ſanguine Caleto potitus, oppidum extremis Gallorum finibus auctum firmatumque opere, imperio & ſermonis uſu in Flandriam trahebat; bellum inde maritimum agitans. Egregium hujus victoriæ præſidium haud longe interius jacens Ardea, Britannis olim irruentibus limes oppoſitus, in poteſtatem Alberti venit, Galliamque illac patefecit, eadem illius felicitate, hoſtium hoc majore culpa, quod non improviſo opprimebantur. Milites bis mille munito ſatis loco exceſſere, honeſta turpiter pacti: neque enim dum oppugnarentur exſpectavere, ſola, ni dederent, mortis denunciatione exterriti. Quæ dum aguntur, Fara tandem fame ſubacta, Henricus in vicina Caleto loca diſtinxit exercitum, ne infirmiores civitates, quas metus ingens pervaſerat, ad victorem deſciſcerent. At illum jam & inopia coactum Gallia decedere, Flandri orabant, vim magnam auri pollicentes, Oſtendam ſibi redderet, quæ ſola ejus littoris oram diſſociabat, idque ipſum metuens Mauritius introſpectum ivit ipſe: egreſſusque curavit, ut militum ſatis, deinde victus, quæque bello aut operi faciendo idonea, ſuppeterent. Quod exploratores retulere, ſimul ipſum mare commodo portu ad oppidum accedere, & cuncta retro æſtuariis incerta. Ita dilata hæc obſidio eſt, ne temere cœpta primorum ſucceſſuum famam laceraret. Quoniam tamen præter auxilia Galliæ donata

Henricus de ferenda ope fruſtra conſilium init.

Arcis expugnatio.

Ardea quoque in Alberti venit poteſtatem.

Fara ſe contra Henrico dedit.

nata magnam partem Batavici militis, ut memorabimus, Anglorum claſſis abſumſerat, damnata quies; & quo conferrentur arma, civitatum precibus, conſiliis ducum certabatur. Sed dum Gallia Archiducis copias tenet, Mauritiani equites Brabantiam & Belgarum ultima ferro atque igni vaſtabant; irrupto & Andethanna Lucemburgorum oppido: ubi illæ in Flandriam receſſerant, Galli incubuere. Sic alterum ſemper latus hoſti obnoxium. Fuſæ & Alberti turmæ, ut quasque caſus obtulerat. Atque id maxime tempus multa exercitatione & cura ducis firmato Batavorum equiti documentum ſui & in majora fiduciam dedit. Quippe Hiſpanorum alæ velut incluſæ & reſides: Mauritianos contra patentes hoſtium campi & præda irritabat. Archidux, ubi tempus exeundi placuit, ne quid inutile ſibi aut ſuſpectum relinqueret, expeditis ſtipendiis Italos Tilemontio evocat. Spes & conſilia in Hulſtum verſa quod Flandris placandis, nec minus ex uſu Brabantiæ, videbatur. Oppidum veteri ſtructura infirmum; victorque Mauritius, quia longum mutare rotundam mœnium faciem, interim adauctæ foſſæ munimenta injecerat. Mox Zelandi, ſuſcepta tuendi cura, caſtellis par agros diſpoſitis, ruri quam oppido rectius conſuluiſſe arguebantur. Præcipuum loci robur, quod rivus haud procul erumpens, adjutus manu, quo laxiore via in Hontam exiret, retroque in Scaldim ducebatur: nam utroque nomine amnis idem Hulſtani agri tergum ſinuoſus circumvolvitur: ſic velut inſula undique inacceſſa & geminæ ripæ imminens in prædam Waſiæ & Brabantici ſoli rapinas militem emittebat. Diſſecti & in hoſtem aggeres, & qui intra flumen erant depreſſi ſub jactus ex oppido telorum. Pridem caſtella Flandri duo arcendos ad excurſus objecerant, Erneſto & Fontano jubentibus. Plura Fœderati, queis ripam tuerentur. Bina horum oppido connexa per excurrentem aggerem, quem inter pateſcens humus tranſitum ac mutua auxilia occultabat. Haud omnino par utrique firmitudo; præſtabat quod Hontam verſus Naſſavianum vocabatur, quippe ſubvectioni præſidium ab Axela & inſulis Zelandorum. His difficultatibus territi, quos inſpectandum ad ſitum Albertus miſerat, ante placita diſſuaſere. Quomodo enim adverſus minas incumbentium caſtellorum tranſduci poſſe nudum militem, vim commeatuum, machinarum denique pigram molem, inſidenti cum maxime Scaldim hoſtium claſſe, quorum & minora navigia medio vectarentur? Arduum id, anceps:

1596.

Mauritiani hoſtile ſolum vaſtant.

Albertus Hulſtum oppugnare ſtatuit: Ejus ſitus & munimenta.

Alberto obſidium diſſuadent.

1596. anceps: nec cætera expeditiora. Solum paluſtre, hoſtem induſtrium, libero navigatu irritum obſidium, nec magis ſperandam oppugnationem contra integros ſemper & recentes. Super hæc Gallorum rex, acceptis in fidem perduellium pleriſque, jam validior irrupturus vacua formidabatur; neque dignum ſatis Hulſtum tot periculis peti. Sed flagrantiſſimus tribunorum Claudius Barlota, homo Belga, contra exſurgens travectionem cohortium, Hiſpanis ducibus detrectatam, ſibi depoſcit: Quod cæteros ad metus pertineret, dandum aliquid audaciæ & fortuito hoſtium errori aut formidini. Staturas bellorum vices, ſi paria altrinſecus conſilia & virtus in ſingula fingerentur. Res in præſens diſſimulata paucis conſciis firmatur, quo facilius hoſtem fallerent, quem ſuſpectis locis inhærentem amovere primum erat, nec eventu caruit. Nam Ronæus ponte impoſito Scaldis flumini, Brabantiam inferre ſigna juſſus, quo Bergis aut Bredæ terrorem faceret, Mauritium compulit relicto ad Hulſtum præſidio, quod Solmenſis regeret, reliquo cum agmine anxium ſequi. Modicæ tum, ſiquando alias, Fœderatorum copiæ: quia parcendis ſumtibus fines duntaxat tueri placuerat, cujus conſilii rationem hic præcipue annus improbavit, & damno & impendio gravis: pars militum Anglicanæ claſſi conceſſa aberat: pars in Galliam profecta liberando Cameraco; quod reſtabat in præſidia ferme abſumto. Miſſi quippe Germani nuper, nec novæ cohortes conſcriptæ. Duo vix penes Mauritium millia, queis incertos hoſtium conatus ſequeretur; ſed repetitus e Gallia miles mox advenit, octodecim centuriæ erant. Barlota interim (cui Biſſa aderat ſpem præfecturæ præcipiens) lintres e proximo Flandriæ caſtello per ſtagnantia ripæ obſcura nocte in alveum adigi jubet. Mille quingenti aut paulo plures ſequebantur, Walonica Barlotæ & Germanica Teſclini cohors, armis & dierum aliquot alimentis graves, undas inter & cænum lapſantibus veſtigiis. Tandem impoſiti navibus (nec enim vada aderant) tranſitus inultos habuere, ſilentio ſuo & Batavum claſſicorum indiligentia, qui ut periculis intrepidi, ita cuſtodiæ ſegnes, hoſtem per aquas volutantem, quod promtum fuit, ſcaphis non turbavere. Iam vero tela per tenebras vana; nec in tempore oppido proruptum: ſed modico ad ripam munimento triginta milites, quos locum ſervare juſſus & ratio fuerat, temere egreſſi cæſique, hoſtem machinarum & receptus egentem

Perſuadet Barlota.

Exigua tum Fœderatorum copiæ.

Barlota in Hulſtum ducit.

Batavorum indiligentia tranſitum habet.

tem utroque inſtruxere : ſecuta mox pugna, ſed nocturna, 1596.
eoque turbida, haud internoſcentibus ſe ſociis aut hoſtibus, primo tamen impetu Germani, qui cum Barlota venerant, cæſo Teſclino duce, vertere terga, ac fruſtra retenti augeſcentibus aquis & obſcuræ morti occurrere. Reſtituit fortunam obnixus cum ſuis Barlota, voce clarum intonans, redactique in oppidum aggreſſores. Numerum cæſorum utrique in majus celebravere, pro victoribus agentes, Solmenſis quod ſigna, illi quod captivos abduxerant. In ſupplementum Germanorum milites nonnulli, quos ultra flumen Claudius reliquerat, illecti pretio ut tranarent, peremtorum ſpoliis ornabantur. Tum ſi quid juxta editum (namque intus aggeres adverſus augmenta fluminum intercurſant, haud perinde ac Mauritius juſſerat cuſtoditi) nocturno ſubitoque opere hoſti occupatur. Hæc ubi per Brabantiam ſonuere, duces ambo diverſis itineribus eodem ruunt : Princeps ut creſcentem turbam inſula depelleret ; ille, ne pauci, qui intraverant, copiis hoſtium aut fame circumvenirentur. Nam ſola illis, quæ humeris ipſi aſportaverant, alimenta : curribus, navigiisque nulli aditus. Sed fruſtra laboratum Mauritio recuperare inſeſſa, quia Ronæus trans Scaldim raptas cohortes quinque, Walonicam ſcilicet, Neapolitanam & tres Hiſpanicas, haud ſane illæſas, invexerat ; reliquo cum exercitu Albertus ipſe ulteriorem opplebat ripam. Mauritius ultima Zelandiæ ora Cruningæ ſubſedit, inde quantum poterat militis oppido immittens : nam Zelandi acriter ſocios obteſtabantur, ne ſe negligerent ; in quos & validus & victor exercitus, propinquo ex Gandavo & Antverpiâ commeatu, vi tota incumberet. Igitur Transrhenanis urbibus, & queis locis hactenus formidabatur, excitus miles : finium cuſtodiæ tyro conſcriptus auctoratusque dimidiatis ſtipendiis. Decretum inſuper, ut juſtorum militum per Britanniam delectus haberetur ad duo millia : rogata Regina tantundem ut ipſa huic neceſſitati contribueret. Rex vero Galliæ oratus ut vacuo ab hoſte tempori inſtaret, ultroque ipſius fines incurreret, pacis, quam jam ſperare cœperat, conſiliis tardabatur. Interim Hulſtano agro eques Hiſpanicus, Batavus, hac, illac inductus, ſubitum terrorem & cladem miſcuit. Major vis penes Batavos, & quoties æſtus campos inundabat, navigiis impune vehebantur. Tum oppidum inter & contiguum oppido caſtellum, quod Scaldim atque

Noctu cum illis vario Marte pugnat.

Loca edita aggeresque ſubito occupat.

Albertus & Mauritius accurrunt.

Hic fruſtra laborat recuperare inſeſſa.

Zelandorum apud ſocios obteſtatio.

Novi Fœderatorum per Angliam delectus.

1596. adeo hoſtem ſpectabat, contemtis munimentis dabant ſe in apertum; quo velut ludibrio irritati hoſtes, cum refugis inſtarent, oppidanorum telis & denſiore eruptione turbabantur. Tormentorum inopia hæc evenire, ſine queis nihil profici, manifeſtum: in transvehendo difficultas erat. Paulatim virgultis faſcibusque ſolidantur madentia: in æſtuario devinctæ inter ſe naves ea firmitate, ut pontis uſum præberent, & in ultimo ripæ regiæ lunata munitio. Hinc machinæ oppidum contra & caſtellum excutiebantur: cum vero duæ, quæ primo inceſſu obvenerant, inſula in ipſa, & ut cæterarum quæque traducta, in hoſtem diriguntur. Poſtquam aliæ aliarum præſidio complures pervectæ erant, tutandos ad commeatus caſtellum, quod diximus, oppido avellere, & ſibi vindicare flumen Ronæus aggreditur. Quod poſtquam modicis aſſultibus non ſucceſſerat, machinarum ac tubarum ſono, quo propalam confeſſus agitata pavorem hoſtibus, ſuis alacritatem inderet; dilecta inſuper concubia nocte, ire Italos mediumque aggerem, qui e caſtello ad urbem ducebat, inſeſſum munimento hoſtium perrumpere jubet. Exactæ tenebræ per vulnera & cædes, cæco ſtrepitu, dum ambigui quamvis ictus in confertos cadunt, nec ulla declinandi providentia eſt. Mane pulſum præſidium. Atque interim Germani earundem partium, quo vim aſtu juvarent, locis paluſtribus atque incuſtoditis eniſi, vallum caſtelli exterius penetrant, reſciſſo palorum ordine funduntur vigiles alieno periculo ſecuri. Sic dum partem alteram alterius auxiliis arcet, in utramque victor, toto eo die caſtellum machinis pulſat: &, ut erat aggere ſtructum uliginoſo, facile disrumpit. Incluſi haud pauciores octingentis, quanquam nec ruina ſatis pateſcebat, & nulla cominus arma ſenſerant, pontem hoſti captum & dubia caſuum, aut prematura formidare; illorum maxime contactu, qui nocturnis e præliis profugi cæteros ſibi miſcebant, nec quenquam integrum patiebantur. Projecta arma, vis, clamor, minæ in præfectos ni continuo dederent. Cum jam ſuppetiæ a Solmenſi ducerentur, ſero diei exiere, irriſi hoſtibus & apud ſuos impuniti: intantum ſcilicet corruptis ſæculi moribus, ut non mala ſæpe quam remedia formidabiliora ſint. Spe citius Hiſpanus facilem nactus præſtructumque aditum, quod foſſæ proximum ſiccabat: inde quæ foſſa ambiuntur munimenta dolis & impetu afflictabantur. Simul ope caſtelli jam

Obſidii Hulſtenſis Hiſtoria.

tutum

tutum inſtruere flumen, cingere copias, caſtra diſponere: levataque rerum pretia, quæ difficultas tranſportandi ad famem usque manipularium intenderat. Concupiverant obſeſſi pertuſis molibus aquarum vim in hoſtem vertere, ſed aderant derivandi artes, quique aggeres illorum in poteſtate exciti contra præſentes ad uſus. Igitur ad eruptiones verſi ſubter mœnia ſpecus duxere, quibus improviſi emergerent; multamque poſt cædem relata ſigna captivique, nulla redeuntium clade, cum vicinas inter adminiſtrationes ſecuros, in ludo interdum & alea deprehenderent, quæ nunc militaris otii oblectamenta ſunt: aut, ſi clamoribus excitus denſior hoſtis ingrueret, levi prælio, tardo receſſu periculum vitabant. Plurimum noxæ tormenta attulerunt, & miſſiles flammæ: quippe adverſus urbem procedentibus inanes corbes prætenti, qui viſum non & tela arcerent. Nec tantum qui machinarum pericula tractabant, ſed ducum haud pauci ſternebantur. Et hos inter Ronæus, quo conſultore pleraque per Galliam præclare geſta Hiſpanis; niſi quod eadem jubendo Albertus & Fontanus; & Parmenſis in ſe verterant. Gente erat Lotharingus, domo nobilis, ac Gallicorum motuum per initia Franciſci Valeſii fortunam ac partes ſecutus. Mox Guiſius hominem, non minus callidum, quam fortem, & qui nihil profuturum turpe duceret, largiendo ſuum effecerat. Annis ultimis multa Hiſpanorum conſilia clam Henrico ſignificaverat, velut reflectente in ipſum ſtudio: re vera quo majora conatuum occultaret. Caſtrorum præfectura, morte ejus vacua, Hermanno Herenbergenſi traditur. Oppidanos ſuæ inſuper anguſtiæ in vulnera impellebant, minaci circum aſpectu aggerum atque collium, quos Varax ei rei ſub Archiduce præpoſitus undique machinis armaverat. Ita nihil tectum extra turpes ſub humo latebras, aut quæ imminente vallo obumbrabantur. Solmenſis, perfoſſo crure æger, imperii munia per nuntios & tribunorum colloquia exſequebatur. Et ipſe Mauritius propinquo e littore cuncta inſpectabat. Tum qui defecti vulneribus, aut armis inhabiles, quinquageni prope per dies ſingulos, vicinas per inſulas atque aliarum urbium hoſpitia exonerabantur. Pironemque Zelandiæ tribunum vigilanti ſtudio exercitus labor valetudine feſſum dimiſit. Supplementa, & quæ bello aut victui neceſſaria indidem advenere, Erneſto Naſſavio, ac poſtremum Dorpio duce. Crevitque paulatim præſidium, donec in oppido ſex & triginta,

1596.

Ronæus occiditur.

1596. ginta, Naſſaviano in caſtello ſex centuriæ forent. Frumenti vero ea copia, ut, cum intra oppidum ſervari commode nequiret, pars navibus ſit impoſita. Id vero hoſti vix ferendum, commeare toties navigia ſe obſidente. Igitur portum verſus opera protendere, & modo hac, modo illa ex parte machinis inſequi: fruſtra plerunque, cum paludum interventu & ſpatii longitudine ictus elangueſcerent, atque ultro ipſe Naſſaviano e caſtello telis petebatur. Æſtus quoque aquarum ſubinde vehementior incommodum dabat. Inde Itali Marchione Trivici regente aggreſſi munimentum, quod recens oppidi portæ caſtra ſpectanti Solmenſis præduxerat. Primo fodientium nudi apertique impetus: at ubi ex vallo conſpicui telis urgebantur, ſtructis duobus aggeribus latera cinxere. Tum incuſſæ machinæ: ſcandentesque mox Itali in ipſam munimenti radicem, prælio dejiciuntur, unde reſurgentes Zelandorum manu denſaque vi glandium & miſſili igne fugabantur. Aſſumta aliarum nationum ſubſidia: & ſibi quæque conſtiterunt, quo virtus diſcretior eluceſceret. Quin & proprium e beneficiariis agmen progredi juſſum, præeuntibus ſignis, non militaribus modo, ſed quæ ſacris & ſuppliciorum ſolemnibus uſurpantur. Hiſpanis id ſolitum veteri exemplo, quoties profanam adverſus barbariem certaretur, & quia gens addicta religionibus non aliud majus audendi incitamentum habet. Contra nitebantur ſingulæ cohortes per vices cuſtodiarum, ac pene miniſtra bello oppidanorum turba tela ac faces ingerens. Ita tres per alternos dies acriter pugnatum, majore aggreſſorum pernitie. Etenim priorum ordinum milites, gravem per armaturam vice muri cæteris, ut glandibus impenetrabiles, ita ſi cominus tenerentur vitandos ad ictus immoti ſeque & cæteros impedierant. Tandem ab impetu ad artes ventum, & utrimque cuniculi, quanquam alteroverſum promoti, damnum æquaverant; pro oppugnantibus fuere, qui planitie diſſilientis ſoli, ac partim ſcandentis, ſuorum & hoſtium ſtragibus juvabantur. Ea vero dira facies, cum per iniqua exſtantibus tumulis loca & humum ſanguine lubricam, ubi calcandi commilitum artus, attoniti iris, inſtabiles gradu truderent, truderentur. Ad extremum coorti hoſtes defenſorem impulere, ac quo minus ſecuti una vallum irrumperent, quod multis ictibus hiare jam cœperat, agger lunata ſpecie & foſſa ſtructa interius Solmenſis providentia, atque eo conglobata militum manus, obſtitit.

Nec

Nec longius Hiſpano uſus munimenti, quamvis multo ſangui- 1596.
ne ac labore conſtantis. Nam quicquid ejus reſtabat obſeſſi cunicularі pulvere disjecerunt: quin & areæ, quæ eum locum vallumque inter patebat, ſpecum ſubjecerant, cujus obſcuro ore glandes in hoſtem jaculabantur, qui vix ſero cognita fraude, fauces obſtruxit. Sed cum retro quoque obſeſſores cavum occluderent, injecto prius igne compreſſa vis flammæ hoſtium aliquot terra obruit. Non ceſſabant illi interim quod reliquum foſſæ ſubductis aquis ſiccare, quatere vallum machinis, eo violentius, quia mœnium ruentia deſtitutis infra palis ſuſtinebantur, quaque defecerant munimenta oppidani faſces & aggerem inferebant. Nec levis oppugnantium labor in propugnaculum, quod portus aggerem contingit: verberare id machinis infeliciter cœperant; nam incenſus forte pulvis ei operi deſtinatus adſtantium plurimos rapuit, fragore ac tremore tanto, ut trans mare Middelburgi quoque ſentiretur. Vbi hoc caſu, ſive alias laſſi obſeſſores aliquantum remiſerant, ſexcenti, lecta Batavorum e centuriis manus, claro meridie, quo tempore undæ decreverant, ſcaphis vadisque flumen & quæ ultra ſunt æſtuaria ſuperant: improviſique adeo diverſis locis involavere, ut Hiſpani, qua ſe munierant, vallum ſuum intra cœderentur. Poſita contra navigantes tormenta, quia devehi non poterant, transfixa clavis; mox turmas & octingentos pedites in auxilium ſuis aut ultionem adventantes ita repreſſere, ut redierint egregio cum decore, nulloqe aut facili damno. Poſt & alibi nec minus proſpere eruptum. Inſtabat percutere mœnia Hiſpanus, unoque jam loco in vallum penetrabat, qua parte interior nulla munitio erat; quanquam fieri id Mauritius juſſerat: qui omiſerant, oppidanorum penuriam & tot ſimul laboribus imparem militem excuſavere. Hoc ſtatu, more belli, Albertus periculum denuntiavit obſeſſis, ni dederent; acceptoque reſponſo forti, non tamen impugnationem rurſus audebat, quia priora certamina duobus millibus haud minus demſerant: plurimique duces & fortiſſimus quisque ceciderant, dum continuas ad clades cunctabundum militem exemplo trahunt, novum apud rectorem decus ſibi & gratiam certantes. Sed & affectorum incredibilis multitudo, cum jam vicinorum urbes excluderent, campis procubuerat: quæ ſpectaculi fœditas miſerationi formidinem miſcebat. Occulta igitur foſſorum opera ſubducere vallum parat, haud ſatis certa ſpe,

quan-

1596. quamdiu recentes in oppidum vectari conſpiciebantur. His anxium fors antevertit. Nam ſuſpecta hoſtis tam rapidi quiete, ex obſeſſis alii inſulas & vada quæri, unde flumen ac naves invaderentur; pars erupturas ab imo in urbem inſidias, queis non frons, ut hactenus, ſed terga quoque intuta redderentur, aut per ruinas impetus ſubitos, ut multa invenit metus, ſibi, mox aliis figurabant. Facundi ſubito attollere hoſtium, ſuas imminuere copias; quæ diebus iiſdem feroces contemſerant, ut maxima malorum loquebantur. Concurritur ad Solmenſem, ubi frequenti conſilio (idque ipſum fuere qui reprehenderent, quod non apud ſe potius, aut cum delectis deliberaſſet) centurionis deditionem ſuadentis hæc fere verba fuere: Si non maxima pro hoc loco edita eſſent virtutis documenta, ambigerem & ipſe ſalutis an gloriæ viam rectius ſequeremur. Iniqua eſt fama, quæ ſatisfieri nondum ſibi patitur. Quoties hoſtem toleravimus in nos effuſum? quoties irruimus ultro? Sed ille nimirum cladibus etiam proficit: nobis ſupplementa nunquam tanta adveniunt, quantum vincendo perit. Totius menſis certamine detrita oppido munimenta: nudum aggerem cum hoſte diviſimus: interiora vallando humus quoque abſumta eſt. Quid igitur moramur? Venturumne exercitum ut hoſtem, quem arcere non potuit, præſidiis ac ſedibus pellat? procul hæc quidem exſpectatio: Gallia & ultimæ Gades ſpes noſtras tenent. Mille hic & quingenti ſumus, quos vocant prælia: mors cæteros habet, aut vulnera retentant. Circumſidemur viginti millibus, quorum nos armis obrui etiam poſſumus. Quid jam memorem depreſſas ſub terram inſidias, a quibus nulla virtus tuta eſt? Indefenſis & inultis pereundum. Enimvero a majoribus ita nos accepimus, forti vera pericula nunquam contemtui eſſe: temerarios nec apud prudentes laudem, & certe exitium ſequi. Tum vero longe alia apud nos atque hoſtem bellandi ratio eſt. Nos paucis ſtipati legionibus penſandum habemus obſequii alacritate quod numero deeſt. Ille dominator, opum inexhauſtus, prodigus militis, vili conſtare putat, quod ſanguine emitur. At quem eum in hoſtem futurum creditis, qui ſuos ita projicit? miſerum vero militem, ſi toties contemta morte vitam nondum meretur. Quid, quod & patriæ intereſt, ne dum pauca pertinaciter tuemur, cætera eidem furori tradantur inermia? Sit ſane ſuperior ille, quem validiorem negare non poſſu-

poſſumus. Habeat ſolum, ſed cruentum ſuorum cædibus. Nunquam ſe nimium hac victoria jactabit illis, qui tot hic duces, tot commilites requirent. Accurata timoris defenſio non omnes flexerat, præcipuo reſiſtentium Matthia Hellio. Is enim clamare, novum hoc prorſus belli nefas, ante oppugnationem vallum deſerere, & exitum ab hoſte precari eo ex loco, quo ſuis adhuc aditus pateret; ſpatium ſaltem vel ad deliberandum ſumerent: poſſe interim muniendo excludi hoſtem aut proruptione depelli, dum Ordines, dum Princeps conſuleretur, qui propinqua inſula, ſollicitus oppido, nihil dum tale exſpectaret. Prælata fortibus tutiora, & Solmenſis, qui paulo ante Mauritio duraturum ſe in extrema promiſerat, Ordinum quoque literis ac pollicitis in id ipſum animatus, nunc ſubito militi metuens, ſeu quia experimento cognitum eſt generoſos impetus & præliis invictos adverſus obſidium bellique tædia non idem valere, maturandam judicavit deditionem, ne, qui intus eſſet rerum ſtatus, transfugarum indicio proderetur. Conditiones pene ipſi præſcripſerunt, avidiore gaudii Alberto, quia non ſperaverat. Sub finem Auguſti menſis, cum centuriones non minus ſexaginta militum haud minus quinque millia obſidio imputaret, traditum in poteſtatem ejus Hulſtum, Naſſavianumque caſtellum armis intactum: reliqua ripæ munimenta effugientes præſidiarii corrupere. Graviter ferre Batavi jacturam oppidi & tributorum, queis Flandria in partem onerum vocabatur: accedebat metus a victore exercitu, cui multum adhuc anni ſupererat: & quam poſthac urbem ſubſtituram, ſi tactum ab hoſte vallum ad deditionem ſufficeret; ſi tria hominum millia pugnando morari hoſtem non auderent? Apud multitudinem atrox in Solmenſem rumor velut emollitum uxoriis amoribus, ut fere vulgi ſolatium eſt, unum publicis cladibus reum deſtinare. Nec Zelandi diſtulerunt gravem jamdudum, quia imperioſius agebat, ſuarum cohortium demovere præfectura; non egere ſe opera ejus profeſſi, reliquum diſſimulabant: ſed ipſe, ut audiret, conſcius voce ac ſcripto occurrit, neceſſitatem excuſans. A fœderatis Ordinibus novam accepit cohortem, Zelandis haud prohibentibus: teſtatusque eſt tredecim ſe annorum militia eum in res Batavas induiſſe animum, ut acceptas a paucis injuriis facile publico condonaret. Vberrimo ſuorum plauſu Cardinalis excipitur; quia non infœcun-

1596.

Hulſtum Alberto deditur.

Cujus jacturam Fœderati graviter ferunt.

Atrox in Solmenſem rumor:

A Zelandis præfectura demovetur;

Novam ab Ordinibus cohortem accipit.

1596. cunda virtutum Auſtriaca domus, & ipſe Gallici limitis & Flandriæ reſtitutor, ſeptem poſt annis reverſam, ac tum forte continuam, felicitatem triplici victoria impleverat. Sed favoris & gaudii præſens uſus; ſequentia haud ad eam ſpem fuere. Bello propere defunctus, cum exhauſta partium militia, ſimul & ærarium, quietem anno daret, efferendis aliter finibus oculos animumque adjecit: miſſo fratrem ad imperatorem Franciſco Mendoſa, qui regio nomine multa poſtularet: Vt Veſontio libertatem ſibi ſub imperii Germanici reverentia jam olim vindicans Burgundiæ, quæ ſub Hiſpanis, adjiceretur: ut Aquægranenſes parere decreto cogerentur, quod jubebat Romanæ religionis accipere magiſtratus, ac proinde diverſos ritus diſpellere. Illud vero quaſi pro Anſiaticis urbibus, ne impune Anglos mare prædando infeſtum habere permitteret. Vtque Hiſpanus ad conſcribendam in Germania juventutem, quod ante permiſſum duntaxat, publica auctoritate juvaretur. Sed præcipue in Clivios ac Iuliacum ſpes e longo jaciebantur, ubi rapta morte ſubita inſani ducis uxor novis ſuſpicionibus veteres diſcordias incenderat. Retinebant regimen conſiliarii, plerisque indigenarum procerum invitis, & revaleſcentis ducis falſa fama fruebantur. Hi, quia ſtatim uxorem duci aliam Lotharingici ſanguinis deſtinabant, crediti prioris necem optaſſe aut ſtruxiſſe, proſperisque jam rebus Hiſpanicis eo ferociæ venerant, ut Brandeburgici & Palatini Neoburgici procuratores finibus juberent excedere. Quin & ad Fœderatos miſere, audacter ſciſcitatum, ecquid ab ipſis exſpectandum haberent. Ordines, & ſuæ imbecillitatis & hoſtilium virium conſcii, modeſte reſpondere: amicos ſe & Brandeburgici & Neoburgici; nec eo minus tamen ipſis quoque pacem ſervaturos intra pacis jura manentibus. Monitos tamen velle, ne in Germaniam magno malo vires externas accerſerent. Mox iidem illi Brukium comitem, & qui alii Proteſtantium, ut conjurationis reos, accuſabant, parabantque dejicere honoribus: quin & Alberto excuſatum miſerant, quod diſſimulare multa & in ſecundiora occaſionem differre cogerentur. Effecit Mendoſa horum ut auctoritas imperatoris decreto firmaretur: pluraque cum poſceret, & imperator oſtenderet Proteſtantium ſe metuere offenſam, quorum ad Turcicum bellum neceſſaria ipſi eſſet opera, dixit Mendoſa, ita longinquis armis obviam eundum, ut ne propiores injuriæ interim tolera-

Albertus magno plauſu excipitur.

Mendoſæ ad imperatorem miſſi poſtulata.

Hiſpani in Clivios & Iuliacum ſpes jaciunt.

rentur. Pacis, quanquam ſpe nulla, mentionem tamen ut gratam Germaniæ Hiſpanus admittebat; ſcripſeratque Albertus Philippo eam in ſententiam. Itaque imperator ad Ordines miſit virum nobilem, qui venturis legatis commeatum poſceret; quod cum illi excuſarent, ex voto Hiſpani, onerabantur recuſatæ pacis invidia. Nec minus tamen Albertus parentes ſibi populos ſpe pacis detinebat. Atque hi dum circa Belgicam caſus eveniunt, Anglorum interim Batavorumque claſſis, cujus ante memini, Hiſpanico mari victrix ferebatur. Cauſa mittendi, quia compertum Reginæ vim navium Philippo contrahi, qua portum in Gallia aliquem, aut juxta, prehenderet. Nec dum illæ octo ante annis minæ exciderant, & quod Hiberniam Tirono duce imperium exuentem Hiſpanus auxiliorum ſpe tunc cum maxime animabat. Vires defenſandis finibus paratas, quia ſumtus & occaſio aderant, cunctantem in hoſtem vertere ultro placitum. Coierant e Reginæ navibus ſedecim, & minores quadraginta, ſed bello idoneæ. Quinquaginta additi ferendo militi & commeatibus. Copias omnes regere jubetur Robertus Eſſexius comes, ætatis decore Reginæ haud ingratus; curam navium Carolus Howardus maris præfectus accepit: pari uterque jure, quod auſis ejuſmodi anceps & eventu noxium apparuit. Et diſpar utrique ingenium. Iuvenili calore Eſſexius imperatorium ſibi nomen ac gloriam quærens, Reginam impenſas muliebriter fugientem, periculi oſtentatione, in arma pellere ſolitus. Quoque magis claſſis procederet, ipſe de ſuo non parum contulerat, auctor conſanguineis & familiaribus, ut ſequerentur exemplum. Howardus ætate & rerum uſu cautior, contra tendere, & quantum poſſet moram afferre claſſi: cumque parata jam eſſet, tum quoque Reginæ perſuaſerat, Eſſexium ut literis hortaretur, deſiſteret ancipiti cœpto, quæque impenderat ab ipſa reciperet. Ille ni plane vetaretur, navigaturum ſe bona cum ſpe reſpondit. Nec æmulum ſibi adæquari imperio recuſavit, gnarus valere apud nautas auctoritate, minuſque reprehenſurum queis gerendis ſocius foret. Quin & alios, quotquot poterat, inimicorum, ne domi gravius nocerent, honorum ſpecie, Comites aſſumſerat. Additi utrique in conſilium viri militares, & valere juſſum, quod pluribus placuiſſet. Præcipua Reginæ cura, ut claſſis in Angliam aut Hiberniam ſtructa, & quæ in id uſui eſſe poterant corrumperentur. Præterea ſi & India adven-

1596.

Imperatoris legatos de pace acturos Ordines non admittunt.

Eliſabetha interim claſſem in Hiſpanum mittit;

Eſſexii & Howardi ductu.

1596. adventuræ naves aut aliunde præda intercipi poſſet, inde bene meritis præmium foret. Batavis naves ex fœdere imperantur viginti quatuor, inſtructæ ad bellum pene omnes, queis rector datus Iohannes Duvenvordius Warmondus, ad quem per Hollandiam rei maritimæ imperium poſt Principem ſummum pertinebat. Etiam delecti Britannicis e cohortibus, quæ per Belgicam militabant, robur claſſis, & exemplum tyroni poſcebantur. Nec Ordines negare ſuſtinuerunt, etſi exhauſtis nummis mala, quæ acciderunt, metuebantur, quo inſenſiorem Reginam tali officio placarent. Profectus eo cum milite Ludovicus Naſſavius Iohannis filius, Philippi & Erneſti germanus, clara poſuit virtutis rudimenta. Plimutho XXIII Iunii die evecti duces præconio edixere, nulla ſibi niſi in Hiſpanos arma, populosque Hiſpanici juris, & qui eos navibus, machinis, milite commeatuve inſtruerent: cæteras itaque gentes tutius facturas, ſi claſſem ſequerentur, aut mari decederent. Promiſſa & transfugientibus impunitas. Spes omnes & paratus ad prædam magis, quam bellum erant; quia procul domo, procul auxiliis, infeſtas inter terras, ambigua maria & implicitos tempeſtatibus commeatus nulla mora ſatis tuta eſt. Nec id veteres tantum annales docebant, & Luſitanica haud ita dudum expeditio, ſed & anni prioris per Americam ſucceſſus longe infra vota. Ex eo potiora videbantur, quæ ſubito impetu vim hoſtium haud leviter affligabant: incognitumque illis qua parte peterentur, paulo antequam ad Gades perventum eſt. Huc convenire naves omnes juſſæ arcanis literis, quas obſignatas præfecti acceperant, hac lege, ne aperirent, niſi diverſos a claſſe procellæ tuliſſent. Nobiliſſimam hanc urbem prima a tempeſtate (Tarteſſum tunc nominatam haud pauci volunt) & mox Tyriorum coloniam, dictam terrarum terminum, neque priſcæ opulentiæ nunc etiam degenerem, indicaſſe ſufficiet: ſitum & cætera innumeri tradiderunt. Hodie quod inſula non eſt, ponti debetur, quem Suacum vocant. Is namque diremtum modico æſtuario Hiſpaniæ litus conjugit, qua parte cultores olim Vandalos regionis nomen teſtatur. Vltra eſt fretum illud, quo primum Oceanus terras irrumpit; citra ſinus occultandis navibus commode pateſcit. Ac tum forte claſſis ingens partim Americano accincta itineri, partim in bellum parata, ſub ipſis inſulæ caſtellis deſidens, non tam Anglis exſcendendi difficul-

Batavi imperante VVarmondo viginti quatuor naves Anglis adjungunt.

Ad Gades claſſis convenire jubetur.

Vrbis ſitus.

Claſſis Hiſpanica ingens apud Gades.

1598.

difficultatem, quam ſpem prædæ uberioris, fecerat. Galeones erant quatuor, Epidauriæ duæ, armatæ omnes machinis quinquagenis aut amplius, hominibus ferme ſeptingenis. Regis ipſius naves bellicæ una & viginti, onerariæ ferme totidem, ſed & ipſæ machinis vicenis. Fregattæ tres, octodecim quæque machinas expeditas habebant; oneratæ pluribus in uſum. Claſſis, quæ Vliſſippone, ac per alios Hiſpaniæ portus, armabatur: nam maritimarum Hiſpaniæ virium pars duntaxat tertia hic erat. Aderant & privatorum naves ex Hiſpania, Italia atque aliunde, inermes aut leviter inſtructæ quinquaginta. Nec procul ab urbe naves longæ una & viginti.

Hanc ſine mora impellendum cenſenti Eſſexio reſiſtit Hovvardus:

Flagrabat Eſſexius, antequam formido exoleſceret, turbidos impellere, ne componendis viribus aut conſiliis ſpatium daret; quod ſi obtinuiſſet, & ſane Batavi annitebantur, plurimum gloriæ prædæque partum erat. At Howardus creditas ſibi naves, regias præſertim, quas Eliſabetha periculis objici ſatis deſtricte vetuerat, vento, tum forte ſævienti permittere verebatur, qua anguſtum maxime pelagus & vadis inſidum erat. Ita res dilata, amiſſa occaſio eſt.

Quo ſaveni occaſio amiſſa.

Poſtridie (Calendis id Quintilibus fuit) quo minus ſtatim prælium coiret, maris receſſus obſtitit. Ineuntibus fretum a læva portus eſt Regalis nomine, huc ſe Hiſpanicæ naves retulerant: Galeones præter & longas, quæ propius urbem auſæ conſiſtere, qua litus in linguam excurrit, quam Punctale indigenæ vocant.

Claſſis Hiſpanicæ expugnatio.

Sed aggreſſus has levioribus cum navigiis Franciſcus Verius, mox & Eſſexius, ita preſſere, ut pontem Suacum petentes, & poſito ibi machinamento ſublatæ, in fretum, atque inde interius mare evaderent. Galeones Eſſexius & Howardus per horas quatuor tormentis verberaverunt, hoc acrius quo creſcens maris æſtus propius eos admovebat: evenitque hoc tempore ut navis Hollandica, centurionis Petri Henrici ſuo igne ac pulvere per incuriam diſſiliens, breve hoſti gaudium daret. Nam ſtatim Galeones non auſæ prælium exſpectare præciſis anchoris in vada impactæ, elapſis vectoribus. Pars abductæ, pars arſere ſuo aut hoſtium igne. Anglorum una ſimul conflagravit.

Qua territus Philippus undique ſubſidia petit.

Nec parum terroris inde in Hiſpanos datum, ſolitos moli navium fidere: adeo ut rex Philippus accepto hoc nuntio ſtatim Neapolim, Genuam & in Siciliam miſerit, ut quæ illic erant naves longæ ſubſidio accurrerent. Rogati & Melites Inſulæ equites auxilium ferre: ſed qui illic militabant Galli, quo minus

R parc-

1596. pareretur, interceſſere. Poſt navale prælium Eſſexius vergente jam die, ad Punctale obſiſtente nemine expoſuit militem, & nautæ Hollandi, irrupto caſtello quod mari imminet, ſigna extulere. Miſſi alii, qui pontem Suacum rumperent, ne inde auxilia adventarent, imperatum effecere. Defenſandam ad Vrbem concurrerant Hiſpani nobiles, qui circum colunt, pedites ſexcenti, totidem equis advehebantur. Quos adverſum mittitur Ludovicus Naſſavius cum haſtatis quadringentis, voluntario Brittannorum agmine; nec longum prælium in armorum inſuetos. Prima cæde impulſos nulloque ordine in urbem refugos perſecuti victores, dum recens terror, pars mœnibus, pars effractis portis irrumpunt. Gaditani initio ſummam tectorum planitiem inſiſtere: inque hoſtem per vicos palantem jacere lapides, pondera ſaxorum moliri. Mox, ubi forum & curia tenebantur, in arcem conglobati, tum oppidani, tum centuriæ militum dux haud diu reſtitere; quippe & præcluſum ad ſe aditum, ponte quem diximus, inſeſſo, intelligebant. Ita obſides dati primores civitatis in centies & vicies mille ducatos: qua pecunia vitam tantum pepigere: ſed hi obſides avecti mox in Angliam, cum redemtionem Regina non permitteret, novis injuriis irritata, in cuſtodia perierunt. Actum & inter Petrum Herreram mercatorem Hiſpanum & Eſſexium, de redimenda oppidi ac navium populatione, vicies centenis florenorum millibus, haud averſante Eſſexio, quod prædam cerneret inter milites perituram nullo in cætera uſu. Sed improbavit pactionem Mediniſidonius oræ proximæ curator, maluitque & Regem claſſe & decem civium millia fortunis exui; id tum in diſpendio lucrum ratus, ſi nihil inde hoſti accederet; oppidum igitur direptum eſt, haud levi etiam in mercatores Batavos damno, quorum plerique longinquas per negotiationes hoſtibus miſcebantur: qui jacturam hanc trecentis millibus æſtimavere. Quin & navis Batava cum fiducia edicti ad Anglos transgrederetur, quinquaginta florenorum millibus ſpoliata eſt, hoc obtentu, quod hoſtilis eſſet pecunia. Simul Americana claſſis mercibus onuſta navium triginta duarum, cum præſidiariis aliquot ab Hiſpanis exuritur. Haud minus tum pretio centies centenis florenorum millibus flammæ datum. Hinc inter duces certatum, monente Eſſexio retinere victoriam: dum major ex improviſo fama vicinos portus ipſamque Hiſpalim terrore concuteret; poſſe perfodi

Angli & Batavi Gades irrumpunt.

Navium oppidique partam redemptionem improbat Mediniſidonius. Oppidum diripitur.

Americana claſſis ab ipſis Hiſpanis exuritur.

1596.

Eſſexio retinendam victoriam monenti iterum reſiſtit Hovvardus:

di anguſtias, quibus demtis urbs ipſa inſula fieret: paratum ſe dictitans, ſi abirent cæteri, cum quadringentis militibus aut egregiam patriæ præſtare operam, aut hoſtili in ſolo fortiter occumbere; ſi non aliud moræ pretium, prædas certe navium aut vectigal immenſum oſtentari e freto, quo Europa atque Africa proxime coirent. Sed Howardus, velut famem metuens Eſſexii gloriam premebat, cui res & nomen parta Gadibus captis navali alterius ſucceſſu neutiquam æquabantur. Et verum erat Anglos haud multo cum penu domo egreſſos, ipſaque in urbe profuſa temere, quæ multos in dies ſuffeciſſent. Sed nec Warmondus audiebatur in menſem alimenta ſuis e navibus claſſi offerens: poſſe interim, ut ventus tuliſſet, Italia aut Britannia commeatus peti: ne Pœnos quidem negaturos, quibus aſſiduum in Hiſpanos bellum.

Cui neque VVarmondus auditur.

Incenſis Gadibus victores vela faciunt.

Incenſo oppido facta vela, & quanquam iterum demonſtrabat Eſſexius onuſtam argenti claſſem America abusque ferentem non minus ſeptuagies centenis Florenorum millibus, & India alteram remeare, parabilem prædam, ſi, quod ſecundum Gades optimum erat, Azores inſulæ ſub æſtivum ſolis pulſum, quas Belgæ popularibus quondam ſuis habitatas inde Flandricas vocant, peterentur, interceptis celeritate auxiliis & rei fama; prælata tamen alia, quæ ſpecie acccuratæ providentiæ fortiſſima plerumque auſa corrumpunt. Quin ne obviis Hiſpaniæ portubus naves detraherentur, eadem quæ ante invidia periculum ſuarum navium & victus inopiam præferebat: tantumque apertum littus & infirma oppidorum in raptus inglorios ceſſere. Ita factum ne ſpolia & cineres Gaditanæ urbis minimum ejus conatus eſſent, cum offerret ſe Hiſpania terra ac pelago vaſtandam, niſi concors nunquam æqualibus imperiis poteſtas obſtitiſſet, & fruſtra usque blandita Eſſexio fortuna. Batavorum induſtriam laudarunt etiam, quos uti piguit, ipſaque Regina datis ad Warmondum literis grates exſecuta eſt. Nec parum tamen afflixit ruentes jam opes Hiſpanicas, exuſta ad Gades claſſe, anni ſequentis vectigal perditum, imminutæ maritimæ vires, machinæ abſorptæ ad mille ducentas, & quod maximum erat, patefactum orbi, quam domi eſſent invalidi, qui peregre timerentur. Quæ ſuper damna vetus malum fœnebre publicos reditus merſerat. Nam Philippus annis ante viginti cum fidem minuiſſet, implicitus adhuc Batavico bello, neque regna aliena extra ſpem ſuam ſinens, aut eroga-

VVarmondo Reginæ gratias agit.

Opes Hiſpanicæ magnopere afflictæ.

1596. tiones cum fructibus comparans, dum avidos nimium conatus gravibus verſuris alit, inopiam producebat. Nam cæteris potentiam debitoris ſuſpectantibus reperti Genuæ & per Germaniam negotiatores, qui regii commercii periculo pecunias auctitarent. His traditum pignori fere quantum erat vectigalium: qui maris bellique incerta, trajectionis incommoda, fœnus ipſum ſine modo imputantes, venturos in longum reditus præverterunt. Ita obſeſſo a creditoribus ærario, unde nomina expungeret, aut armorum ſumtus toleraret, nihil Regi ſuppetebat; donec ejus aulæ ingenia, præſentium magis ſollicita quam provida futuri, artem parum decoram inveniunt: quam Rex ſecutus menſe Novembri longa edicti circuitione differit atrocitatem fœnoris; jacere agros, jacere mercimonia, regni vectigalia, decimas ſacerdotum a Pontifice ſibi conceſſas, tributa populorum, cuncta detineri iniquiſſimis pactionibus, quas metus pejorum extorſiſſet. Plane tot ſuos pro re Chriſtiana labores perverti, ni tantis neceſſitatibus ſubveniretur. Haud alia verborum ſpecie exemta vinculo pignora, Regi ſuæ poſſeſſiones, fœneratoribus ſpes relicta: & hac quidem lege, ut, quod ſupra legitimas uſuras depenſum erat, ſortem minueret. Pars interim magna provoluti facultatibus, quanquam & alii falſa paupertatis ſpecie ad quæſtum abutebantur. Et per Belgicam nonnullos connexu rationum eadem calamitas implicuit. Archidux certe perculſus rei nummariæ inopia inter inexplicabilia damna traxit annum ſequentem: cum tandem ad vetera reditum eſt, non tam pudore appellantium, qui fidem periiſſe clamabant, ſi pactis poteſtas regia miſceretur, quam quia tempora proventuum varia, &, qua pecunia tranſiret, iter prædonibus infeſtum, at belli onera præſens remedium poſtulant. Non tamen ante redditis pignoribus fides refecta eſt, quam in menſes continuos octodecim millia Ducatorum quater centena ad ſortem veterem promiſſa adjici, quorum pars tertia in Hiſpanis, reliquum mutatione nominum intra Belgicam numeraretur. Apud Batavos vero quantum Italiæ fames remiſerat, tantundem privati publicique reditus minuebantur. Queis ſupplendis Hollandi, veteribus vectigalibus octava ſui parte adauctis, novum inſuper inſtituunt, quo luxum creſcentem indies coercerent, aut certe in uſus verterent. Indicta eſt pecunia his qui ſericum & id genus alia pretioſa veſtium ferrent. Sed ubi exactor quaſ-

Vectigalia fœneratoribus oppignerata contra fidem Philippus vinculo eripit.

Fidem reficere neceſſe habens reddit.

Novum apud Batavos inſtitutum. vectigal a civibus non admittitur.

quaſque per urbes exercere leges cœperat, voces primum detrectantium, inde vis & vulnera. Qui victus diurni onera haud gravate ferebant, pro ſupervacuis, quaſi pro libertate, certabant. Sed ignominia hoc, non vectigal, videbatur, retuditque publicam auctoritatem multorum contumacia, haud tuto contra tendere. At apud Friſios, qui urbes quique agros curabant, diſcordes adhuc, dum ſuas quisque poſſeſſiones contra tributa tutantur, apertum fecere queis maxime morbis laboret commune regimen, ubi non communis utilitas. Sed præcipue intenta Procerum cura ut cum Gallis Angliſque ſocietas legibus ſanciretur. Nam hactenus ex ſuo quisque uſu præſtabant auxilia, aut flagitabant: unde querendi inter ipſos vices & præripiendæ pacis minæ. At Batavi quibus perpetua belli cauſa, & ut plerumque ſocietas inferiores ſuperurget, dum copiæ militant Gallis, aut Anglis navigant, ſibi Hulſtum periiſſe & Flandriæ tributa, curante nemine, dolebant, tacebantque. Galli interim de Caleto, tardiſque auxiliis non diſſimulare, eluſam querentes Regis fiduciam, qui ad Faram ſedens iſtis ſuorum viribus nulli parti minus, quam oræ maritimæ metuiſſet. Et creverant illis ſpiritus, ex quo Meduanius & earum partium alii externæ ſuperbiæ commercio Regis veniam prætulerant: jamque indicto Rhotomagum totius Galliæ conſilio, legitima regni facies apparebat. Nec abhorrere a ferendis conditionibus Philippi animum ut verum erat, ita filiam Borbonio nuptum dari, Hiſpanicæ primum fraudes, dein falſus rumor adjecerat. At regina Eliſabetha miſſis ad ſe legatis e Gallia Bulionio ac Sancio, quo tempore Caletum Albertus ceperat, difficilem ſe primo præbuit, ut viginti quinque ſcutatorum millia mutua ægre a ſe impetrari pateretur. Sed mox propius introſpecto periculo, legatos ipſa detinuit ultro, interpellavitque de certiori fœdere, cujus & conditiones ſcribi tum cœpere. Interim in Gallia, crebreſcentibus de pace ſermonibus, Rex Fœderatis Ordinibus, & hoc nomine, & mutatam ob Regis religionem ſollicitis, ſignificavit, pontificis Romani gratiam ita ſibi quæſitam, ut in ſacris diſſentientium amicitias ſalvas excepiſſet: nec mirum, ſi ſpe aliqua pacis vulgi animos lactaret. Cæterum ſi ſocietas firmaretur, paratum ſe præter nobilitatis ſuæ vires, octo hominum millia in fines Atrebatum ducere. Verum, cum Hulſto paulo poſt obſeſſo talis opera maxime deſideraretur, Galli quie-

1596.

Friſii propter tributa inter ſe diſcordes.

Eliſabetha cum Gallo de fœdere agit.

Promiſſa Fœderatis ab Henrico auxilia non mittuntur.

1596.

Promiſſa Fœderatis ab Henrico auxilia non mittuntur.

li quievere. Quin & Bulionius domum reverſus, iterumque mittendus in Angliam feriendo fœderi, totos tres menſes detinebatur. Induciæ quoque Caleti Bononiæque inter præſidia convenerant. Hæc Galli ita excuſabant: exercitum educi non potuiſſe, quod & Gallica nobilitas meſſis tempore ab armis vacare conſueſſet, & proxima Belgarum finibus peſte vaſtarentur: fœderi moram acceſſiſſe, dum per cunctos Galliæ ſenatus circumfertur deliberatio. Inducias mox abrupere.

Multum quoque illis negotii cum Eliſabetha, æs ſuum intempeſtivius repetente.

Plus Batavis cum regina Angliæ negotii, quæ jam duos per annos veniri ad calculos & æs ſuum ſibi dependi poſtulabat: non ſine ſpecie æmulationis enumerans belli ſucceſſus, & ſuperbas urbium ſtructuras, ſuasque contra neceſſitates, quas non perpetuis metallorum venis, quales Hiſpano proventus, ſed ſola civium benignitate expleri: & Hibernicus tumultus ut corrogandæ domi, ita foris relegendæ pecuniæ præſcribebatur. Contra Proceres cum præfatione gratiarum, ut fœderi ſtaretur oraverant: conqueſti perbrevem uſum fuiſſe eorum, quæ duodecimo ante anno convenerant: nec enim pactum ad numerum præſtari militem: unde ipſi, qui, ut neutiquam dubia fide, ambigua tunc conſilia ad bellum inclinaſſent, nunc incerto virium ad irritos conatus toties revolverentur: quo intempeſtivius in medio armorum æſtu id a ſe exigi, quod pace demum firmata ex conventione deberi inciperet. Neque vero ita mutatas res, ut non miſeratione eſſent, quam invidia, digniores: nam ex eo, præter opulentas Brabantiæ urbes, amiſſa ad Moſam oppida & quod oræ Flandricæ vectigalibus terra marique oportunum fuiſſet: tum auctas erogationes etiam vincendo tuendoque. Nec parum, poſt depulſam Britannia Hiſpanicam claſſem, tot nauticis Anglorum expeditionibus impenſum; juvandæque Galliæ, non alio ſtudio, quam ut bellum propulſaretur, & amotis litore hoſtibus maria pateſcerent. His addebantur naufragia, naves detentæ aut captæ, rupti aggeres, quotidiana mala pro infortuniis. Diſceptatum ſuper hoc aliquamdiu cum Bodleio, qui res Anglicanas apud Batavos curabat; ſed durior indies Eliſabetha primum prolatando, dein miſſis itineri Gaditano ſuppetiis delinita eſt. Conſumto hujus obſequii fructu rediit certamen; & miſſis in Angliam legatis Sebaſtiano Loſæ, Iacobo Valkio & Abeli Franquenæ reſpondit Regina, non eam fœderis ſententiam, ut Batavi bellum ſibi, ſumtus aliis ſine modo ac fine prorogarent. Sed

pacem tum ſperatam, quam ſi damnoſam ducerent, at nec ſibi utile duodecim per annos, & quantum adhuc reſtaret, ſe populumque exhaurire perpetuis auxiliis & urbium pignori datarum cuſtodia. Quod enim iſtud conſortium fore, cujus omnis nexus alterius ex arbitrio penderet? Quin ſi leges inſpicerentur, uti Reginæ placeret, nec ultra conveniſſe. Conceptum quidem ſic erat, ſed verba honori data captabantur. Addebat Burgleius Hiberniæ motus, & proprium Angliæ metum ſatis juſtas eſſe cauſas, cur pactis Regina diſcederet, cum privata quoque fides inexſpectatis eventibus liberari ſoleret. Ergo juris diſceptatione, ut inter impares, fruſtra ac in ſpeciem uſurpata, Batavi ad vetus præſidium recurrunt, oſtentando periculum circumjacentibus imperiis, ſi fracti per ſe animi civitatum ejusmodi poſtulatis dejicerentur, tantumque maris & divitiarum Hiſpano accederet. Super quæ, cum anceps rerum ſtatus, & haud congruens ineundis accepti & expenſi rationibus excuſaretur, aliquam ſaltem debiti partem inferre Angli jubebant, & adverſus futura pericula remedium non veteribus pactis, velut cogendo, quærere, ſed nova beneficia teſtatione gratiæ demereri. Obtulere legati multum deprecantes, ex præſentibus anguſtiis pecuniam annuam, & reſiduum confecto bello. Quod Regina, ut exiguum, contemſit: dilato interim terrore, dum rumor hoſtilia in ipſam & majores ſolito paratus ab Hiſpania nuntiat. Rerum utrarumque ſapientes judicabant, nec Batavos inopia magis premi, quam id curare, ut ſocietatem ſibi neceſſariam magnæ jacturæ periculo illigarent, & Reginam viciſſim pecunia carere æquo animo potuiſſe, ni conſilium ipſi Batavos ſubinde flagitando ſubactos admonere ſuæ poteſtatis; neque vero pati, ut ſecunda fortuna ſui debitores alienis ſe amicitiis inſolentius jactarent. Interea miſſo in Angliam Bulionio tractum diu fœdus inter duo regna in hæc convenit. Fœdus & ſocietas belli propulſandi inferendique regi Galliarum, hominibusque Anglis, his legibus & conditionibus eſto. Veteres pactiones ratæ manento. Operam dato uterque, ut principes gentesque aliæ idem in fœdus coeant. Ac cum primum res domi ferent, communis ſociorum exercitus in terram hoſtilem arma transferat. Pacem totiusve regni inducias alteri ſine altero pepigiſſe fas ne eſto. Arma & quæ bello uſui inter ſe bona fide juſtoque pretio communicent. Militi commeatus præ-

1596.

Fœderis inter Henricum & Eliſabetham leges.

1596. beant ſine dolo malo: commercia ſacroſancta, & hoſpites eodem jure quo ſubditi ſunto. Rex Gallus ab Anglis omnem religionis vim arceto; & quando nunc ille propior injuriæ, promiſit Regina milites Anglos quater mille, qui Normanniam Picardiamque ipſi proxima defenderent, ſemeſtre per tempus datis ſtipendiis, acceptis obſidibus: quod ſi longior uſus placeret, id Regis fiat impendio: qui Reginæ viciſſim neceſſitatibus idem auxilii reſpondit, ſed circa littus, aut quinquageſimam intra leucam. Mercede conducere ad quatuor millia liceat. Imperium in militem ejus eſto, cujus intra fines bellum geretur. Hæc palam ſpecioſa: nam ſecretioribus pactis imminutus eſt numerus militum, quos in hunc annum Regina mitteret. Regina in hoc fœdus juravit: ab Rege qui exigeret jusjurandum profectus comes Sariſberienſis. Inde in Batavos Bulionius tranſiit accipiendæ fidei. Pactis ſanciendis adfuere Paulus Buſanvalius, qui perpetua Regis apud Proceres legatione fungebatur, & Georgius Gilpinus Anglicanus in Senatu adſeſſor ex veteri fœdere. Sumtoque Principis Mauritii & Senatus conſilio, Ordines fœderati eadem in verba adiguntur: niſi quod propria hæc fuere. Vere primo rex Gallus militem ad Picardiæ & Atrebatum finem habeto, & parte ex altera Ordines peditatum ad octo millia, equites mille quingentos, ut ancipiti contentione medius hoſtis diſtrahatur. Iccirco Ordines cohortibus auxiliariis duabus, quas Regi ſuis ſtipendiis exhibuere alteras adjiciant duas: quod ſi tamen hoſtis in ipſos vim omnem belli verterit, revocandi jus eſto. Et Gallus viciſſim ſuis melioribus rebus cohortes totidem Batavis tranſmittat, equites adhoc mille. Suo quiſque in ſolo jus imperii in auxilia obtineto. Quæ olim convenere & quorum præſenti fœdere nihil novatum reperietur, ea uti fuerint ita ſint maneantque. Civitates Fœderatas, hominesque ejus fœderis Rex commendatos habere velit, & ante alias domum Naſſaviam ob immortalia ejus in Rempulicam merita. Itus, reditus, commercia libera utrinque ſunto: nec vectigal alteri apud alteros gravius quam cives pendant. Reſciſſæ inter ipſos & leges quæ advenarum hæreditates in fiſcum vocant, reddito teſtandi & ſuccedendi jure. Prædam in mari ſibi vindicent, qui priores navem hoſtilem invaſerint. Batavi quo voluerint cunque naviganto, etiam in Occidentis regna. Clarigationes, pignerationesque nullæ, nec publice debiti a privatis exactio ſit; jure ac judiciis diſceptanto. Naves in præter-

In quas utrinque juratur:

Quod & Ordines faciunt. Propria inter Henricum & illos pacta.

terveɥione aut appulſu retentare, onus ut exponatur venumve eas ſubigere quenquam ne liceat. Signatæ hujus fœderis tabulæ pridie Calendas Novembres. Quæ publicis fœlicitatibus teſtandis ſolennia, eorum nihil prætermiſſum. Nam præter quod firmandæ concordiæ erat, etiam ad decus ac majeſtatem Reipublicæ novitatis invidia laborantis plurimum pertinebat, inter reges æquo fœdere conſpici. Quod ut fieret, Gallus pervicerat, dum ſuis id rebus & Batavorum in ſe beneficiis congruens exiſtimat: quanquam pugnaverat Eliſabetha veteres ut ſocios ſua ſub tutela complecteretur; ſatis id affirmans, nec quicquam cauſæ, cur egreſſæ alienum imperium civitates ſummæ fortunæ nominibus inſererentur. Erant qui antiquas neceſſitudines repeterent, Francos Vahali olim & iis ſedibus degreſſos, quarum nunc partem Geldri colant, Batavorum inſulam tenuiſſe, nec aliunde Merovæum regibus nomen: & miſſos e Gallia Hollandis rectores: tum vero & Anglos ſermonis ſono Friſicam originem fateri: mox utrique regno per connubia devinctos principes: & longius, validiſſima re Romana Batavos armis ac fide & ſimplici libertate meruiſſe, ut imperatoris terrarum populi fratres atque amici vocarentur: eosdem, Romanis jus & æquum exuentibus, Civili duce oppoſuiſſe arma, & Germaniarum Galliarumque ſocietatem Alii viciſſitudinem rerum propius notabant, quod, quorum legatos ante annos aliquot Galliæ reges Hiſpani ob reverentiam audire vix auſi fuerant, cum his nunc Gallia publicum fœdus contra Hiſpanum paciſceretur. Sed Batavi cohortium, quas ex fœdere debebant, loco, volenti Henrico ſtipendia potius miſere, pecuniæ magis quam hominum laboranti inopia. Sed id quoque Angli ſequius interpretabantur: nec quenquam Regina dignata eſt mittere, qui cum Batavis Galliæque legato Germanos principes circumiret; & quo minus in ſocietatem plures accenderent, nihil magis quam iſta æmulatio obſtitit. Atrocior hinc Gallis ſuſpicio incidit, æternum apud ipſos bellum ab Anglis concupiſci: nec alio animo laboratum Reginæ, ut Turcam inter atque Auſtriacos pax coaleſceret. Neque multo poſt inſtituto Diepæ colloquio, quæ belli gerendi ratio in annum ſequentem placeret, offendit iterum Gallos Anglorum poſtulatio, ut ſi Caletum recipere poſſent, præſidium ipſi imponerent. Illi manere penes Hiſpanum urbem malebant, ſpe majore in poſterum ab illo extorquendi per vim aut pa-

1596.

Fœderati cohortium loco Henrico pecuniam mittunt.

Gallorum in Anglos ſuſpicio.

Gallos offendit Anglorum poſtulatio.

1596. ctionem, quam ſi Britanni potirentur. Eodem tempore ab Henrico impetratum, ut, quæ Lugduni Batavorum eductis apud ſe ingeniis teſtimonia perhibuiſſent diverſarum artium profeſſores, per Galliam valerent. Olim eam liberalibus ſtudiis ſedem Arauſionenſis legerat, ne metu ſumtus longinqui populus inter arma natus feritatem atque inſcitiam indueret. Eodemque remedio civitas adverſus obſidii clades recolebatur, quæ clara fidei & conſtantiæ, oblata tributorum remiſſione, hoc præmium maluerat. Præcipue movebat religio, columen partium, cujus explicandæ munus opifices hactenus, aut e rudi plebe literarum inexerciti ſibi ſumſerant: dum labor ipſe honorum exſpes & certus paupertatis, docentium diſcentiumque penuriam facit. Brevi, quanquam & Friſii Franekeram eodem inſtituto extulerant, Batavorum Schola & fama præceptorum, & ſuæ externæque juventutis accurſu multum præfulſit. Civile ſtudium doctorem habuit Hugonem Donellum, qui, Connani & Duareni veſtigiis inhærens, legum diſciplinam in ordinem artisque modum compoſuit, reciſis quæ ſuperioris ævi ſecura nimium imperitia turbarat; non tamen ut recentiori inertiæ accederet, quæ nudo verborum cultu ipſam ejus ſapientiæ vim infregit. Sed hunc contactu Liceſtrianarum partium eo abreptum, ut ſui ſtudii haud minimum, quæ & privati & inquilini officia, oblivilceretur, & inde vilem Altorfia excepit. Romanos mores veteraque tempora interpretando plurimum claritudinis Iuſtus Lipſius ſibi locoque addidit, amœna morum gravitate ſupra profeſſionem ſpectabilis; & ſua quadam eloquentia pleroſque alliciens: nam cum floridum ipſi & profluens natura haud abnegaret, alterum maluit dicendi genus, conciſum quidem, nec ſine feſtivitate; ſed vere novum obtentu antiqui: quod cum imitarentur, quibus ingenii judiciique non idem fuit, ad corruptiſſima quæque deventum eſt. Cum vero Lipſium metus publicus & privata injuria mutandas ad partes impuliſſet, accitur e Gallia Ioſephus Iulii filius, qui Scaligeræ nobilitatis & paternæ ſapientiæ vim ad cuncta gentium ſæculorumque noſcenda contulit, invictus ſtudiis ad ſenectutem continuis, cujus ingens ſolatium habet gliſcentem prima ab adoleſcentia famam. Sed & literas Orientis Franciſcus Raphelengius, Græcas Vulcanius non ſine laude interpretabantur. Nec parum acer in ſacris diſputator Franciſcus Iunius, & callidus adver-

Academia Lugduno-Batava deſcriptio.

Donellus.

Lipſius.

Scaliger.

Raphelengius.

Vulcanius.

Franciſcus Iunius.

adverſariorum ſubtilitate adverſus ipſos uti. Claruerat & Hadriani Iunii Batavi eruditio, cui phyſica & medendi uſus obtigerant. Nec quod reliquum eſt ſapientiæ deſerebatur. Maximum acceſſit lumen Aldegondius, otium illic Divinæ legi in patrium ſermonem transferendæ quærens; & egregius noſcendis herbarum viribus Carolus Cluſius Atrebas. Inter primos, quos curandis regendisque ſtudiis Ordines impoſuere, Ianus Douſa fuit, cui genus, geſtique honores, & toleratum Lugduni obſidium apud poſteros carminum gloria prementur: in queis tamen ejuſdem nominis filius præcellit, idem patri annalibus Hollandiæ condendis ſocius, & par majoribus meditamentis, ni mors immatura juvenem ſummæ eruditorum exſpectationi abſtuliſſet. Talibus magiſtris atque exemplis juventus excita in eam multitudinem excrevit, ut artes communi & privatæ utilitati propiores, quæ antea per infrequentiam jacebant, alendis ingeniis non ſufficiant: quanquam & ultro alii literatura aut verſibus nomen ſuum vulgare præoptant, haud ſterili ejus eloquentiæ Batavia, ut quondam Petri Nannii & Iani Secundi, ejusque fratrum, tum hiſce temporibus multorum etiam adoleſcentium ſcriptis compertum eſt. In ſummam tamen cruda gentis ſtudia & lucri propera inſpiciens, nondum Eraſmi, nondum Longolii patriam agnoſcas. Sed me magnorum nominum reverentia, & tranquillioris ſapientiæ reputatio a Republica & armis longius tulit, quæ nunc repeto. Miſſi ad Chriſtianum, ea appellatione quartum, legitima jam ætate regnum Daniæ capeſcentem, qui Patrum gaudia & vota ferrent, non ante tamen, quam ſolemnia tranſierant, ne celebri aliarum legationum conventu de loco certaretur, cum invidia, aut, ſi ſponte cederent, imminutione dignitatis. Tantum abfuit, ut auxilia communi Hiſpanicæ dominationis metu exorarentur, privilegia ſolis Amſtelodamenſibus firmata ſunt, improbatis quæ Scidami & Enchuſæ civitates priſcis a Regibus ſibi conceſſa dictabant. Legati tamen cum honore & muneribus dimiſſi; atque adeo haud multo poſt ab Hiſpano eodem adveniens Iohannes Baptiſta Taxis majora quanquam dona adferens, haud æque comiter exceptus eſt. Cauſa creditur, quod Hiſpanus, qui non ita pridem trecenta Ducatorum millia annua Dano promiſiſſet vice vectigalis, ut fretum Batavis clauderet, hoc non impetrato, convictus deinde fuerat, voluiſſe arces freto impoſitas dolo

1596.
Adrianus Iunius.
Aldegondius.
Cluſius.
Ianus Douſa Academiæ Curator.
Fœderatorum ad Danum legatio.
Auxilia contra Hiſpanum non impetrantur.
Taxis legatus Hiſpanicus minus comiter a Dano excipitur.

1596. dolo invadere; cujus rei indicia Ordines fœderati in Daniam miſerant. Poſt Hulſtum cuncta circa Batavos quieta, extra leves nec memorandos equitum concurſus. Nam & ipſis exhauſta militia, & hoſtis vix Belgarum extrema adverſus Gallos defenſabat. Ineunti enim autumno Henricus pollicita explens ſpe facili & multa apud ſocios gratia, Bironium haud contemnendi equitatus ductorem in Atrebates miſerat, quod ipſum tuendæ Picardiæ videbatur. Varembonius flagrans creditam ſibi præfecturam a rapinis vindicare, duodecim cum turmis invehitur Gallos numero tum minores, victus nihilominus capitur cum Montecuculo Comite Italo & aliis, quibus pro redemtione pretium grave imperatum eſt. Statimque victores non Atrebatum modo, ſed Flandriæ quoque finibus infuſi, cuncta raptando, majorem intulere vaſtitatem, quam Caroli olim & mox Philippi in Galliam bellis contigiſſe ſenes meminerant. Ruſtici in urbes profugi non egeſtatem modo, ſed & morbos illuc intulere. Defenſando ſtatim limiti miſſus novo cum robore Cimacenſis, ſed hic quoque actus in fugam imperia ipſius detrectante Ambroſio Landriano equitum magiſtro, qui mox captus eo nomine, pecuniaque & ignominia mulctatus eſt. Ita jus agrorum penes Gallos manſit, qui equeſtribus præliis ſuperiores, vim peditum vagis itineribus eludebant. Propius inſtante jam hyeme rex Galliæ, ut & in Hænovios aliquid auſurus, Ordines rogaverat ipſi quoque alia parte ſecuritatem hoſtium turbarent. Parentes poſtulato Fœderati ſpe non alia, magniſque incommodis, militem in navibus ad Bergas habuere, donec intellectum eſt Regis conatus incrementis amnium impeditos, omnemque vim Gallicam metu frigoris Belgarum finibus exiiſſe. Paupertatem Archiducis aliud quoque haud inſolens malum ſequebatur. Germani quippe ipſius in ſacramento, ſtipendiis non ſolutis, Herentalium occupant, miſſiſque Hiſpanis qui imitationem ſui moris ulciſcerentur, & acriter repulſis, incenſa ſeditio. Et in Walachria Scotus, Iohannes Womis nomine, capite plectitur, qui, Vera ejus inſulæ oppidum ut Hiſpano traderetur, alios ſollicitaverat, ipſe ab Ieſuitis inſtigatum ſe ferens. Increbreſcebant nuntii regem Hiſpaniæ, quanta poſſet corrogata pecunia, eniti ut claſſem expediret: retinerique eos in uſus peregrinas quaslibet naves: ſed Batavos præterea ſermonis indicio explorari, & ad ſupplicia abripi. Placuit edicto

Bironius in Atrebates miſſus cæſis quatuordecim turmis Varembonium aliosque capit.

Atrebatibus & Flandris magnam infert vaſtitatem.

Cimacenſem quoque in fugam agit.

Germanorum militum ſub Archiduce ſeditio.

VVomis Veram proditurus capite plectitur.

ćto vetare, quod ob pericula non ſatis cavebatur, ne quis 1596.
in Hiſpaniam frumentum ferret, eo ſane juſtius, quod gravi anno Polonia quoque & Boruſſia meſſes ſuas retinente, eadem opera domi vitata fames in hoſtem mittebatur. Obnitente Amſtelodamo, cujus præcipue quæſtus hac travećtione ſtabat, conſenſus aliarum urbium valuit: ac ne domeſtica peccata Anglis Gallisve in prædam cederent, ipſi naves bellicas freto Morinorum diſpoſuere, quæ illac exeuntes pertentarent. Menſe Novembri, claſſis Hiſpaniæ, velut iræ impatientia ultionem Gaditanæ injuriæ in æſtatem differre non valentis, navibus centum ocťo & viginti, militum quatuordecim millibus, & inter hos equitibus nonnullis, ſub Martino Padilia mari immittitur, fama comitante Cornubiam peti, qua Britannia procurrentes in meridiem terras Galliæ Hiberniæque interſerit. Addebatur rex Hiſpaniæ purgatam religione Angliam dićturus filiæ dotem, ne metus externi imperii ſtudia averteret. Qualicunque conatui idem qui ſæpe alias Deus intervenit, in brevia quadraginta noćte una impaćtis navibus, quinquies mille hominum & pecuniæ inſuper multa pernitie. Nocuit Hiſpanis ſua diffidentia; nam Germanos & Belgas gubernatores, quos in claſſem aſſumſerant, aliam viam inſiſti monentes, ſtrićto ferro coegerant ſequi male præeuntium ſigna. Tandem apud poſteriores navium Hollandus quidam nauta fidem invenit, qui & anno retro oćtavo multis Hiſpanorum ſervatis præmium aſſecutus, tanto nunc fidelius par officium præſtabat. Superſtites huic malo (Artabricum circa promontorium evenerat) domum rediere. At in Belgis Dunkercani hanc claſſem exſpećtare juſſi interim quieſcebant. Ita ſine damno maritimo annus hic Batavis exiit, contraque ipſis naves duas, quæ Neoportum ad oppidum ſtruebantur, urere licuit. Hiſpanicæ negotiationis in locum inquies populus inſulas adibat Æquinoćtialem ultra circulum nullo hominum cultu ſalis feraciſſimas: Guineam quoque comparando auro, ebori, piperi; ligno Braſiliam, Thomæ inſulam ſaccharo, lucri cauſa contra Regis edićta diſſimulantibus Luſitanis. Sed imprimis mira ſunt, & cui par quicquam non veterum tradiderunt, non hujus ævi experientioris monumenta, quæ ſine hujus anni ac ſequentis primordio Batavi pertulere, cum jam tertium Septentrioni pœnas darent, cujus ſecreta rimabantur. Meminerant illi diu magna quæri, non cunćta novi Orbis ſimul per-

Fœderati frumentum in Hiſpaniam ferri vetant.

Ingens a Philippo claſſis mari contra Angliam infelici iterum eventu immittitur.

Batavi apud Neoportum duas naves exurunt.

Negotiationis ergo ad loca diſſita navigant.

Navigationis tertium a Batavis verſus Septentrionem inſtituta mirabilis Hiſtoria.

1596. percognita, etiam Luſitanos multum circa Africæ frontem hæſiſſe: monſtrabantque naturæ prudentes certiorem viam per aperta Oceani, quæ contra vim frigoris liberi fluctus & æſtuum reciproca defenderent. Naves duæ relictis Orcadibus & Norvagia, procul in altum evectæ, inde vela in diverſum tenuere: in Septentrionem ambæ, ſed altera Orienti, altera Occidenti propius. Iacet illo in mari tellus herbida, quod mirum eo ſitu, ac læti viroris, unde octoginta in partes (quales ab Æquatore ſurſum nonaginta veteres poſuere) attollitur. Pelago circumluatur, an alias retro terras attingat, tunc haud exploratum: Groenlandiam inſulam nautarum quidam exiſtimabant, celebrem quondam Venetorum, Norvagiorum, Belgarum commerciis, nunc tantum nomen auditur; aſſcribit illam regnis ſuis Danus, nec invenit. Socordia hæc illorum, qui nota olim memoriæ ac ſcriptis negaverunt. Et nos longiſſime remota ſequimur, quid tam propinquo itinere Deus diſcreverit, ſecuri. Diligentior poſthac inquiſitio per Islandiam facta docuit Groenlandiam aliquanto longius a Septentrione abeſſe. Huic vero quam deſignavimus terræ nullis habitatæ hominibus repertores monumenta e palis lapidumque congeſtu poſuerunt, & nomen Spitsbergæ, ab acutis montium jugis, quo ipſo in famam tabulasque venit, futura quondam ubere per multos ſinus balænarum captu inter Batavos Anglosque diſſidiorum haud levis materia. Gigni illic & volucres compertum, noſtro cœlo haud incognitas (anſerum genus eſt) quas Scotiæ arboribus in ſtagnum depluere ignari originis tradiderunt. Curvato paulum in Auſtrum curſu, conata hinc in ortus proficiſci navis tempeſtatibus retro in Ruſſorum littus adacta eſt. Inferius altera ab inventis ſibi inſulis & ea quæ repertoris Willugbæi nomen retinet, curſus in Semblam rexit: qua cœli vertex ſex & ſeptuaginta graduum ſublimitatem obtinet. Vbi dum notas oræ ac primi itineris vocabula nautæ recognoſcunt, ventis, inde gelu, impediti quo minus profundo remearent, difficiles inter moras, hominumque & navis pericula vix Arauſionenſis inſulas ſuperavere: quippe cum modo continua glacie firmare ſeſe ut ſolido cogerentur, eademque rupta iterum & in ſe rediens cuncta in diſcrimen daret: quæ vera quidem, ſed haud minus ſtupenda Græcorum fabulis. Paulum progreſſis in alterum Semblæ latus atrocior indies vis frigoris hinc Scythicum mare, inde Naſſavicum in fre-

tum iter præcluſerant. In ſpem denique ultimam qua venerant revertentibus, hæſit puppis ſuccincta glacie, nec procul littore; quo factum eſt, ut poſtea, etiam cætero mari liqueſcente, navem gelu non dimitteret. Nec jam aliud reſtabat, quam ut in Sembla hibernantes, meliora tempora opperirentur. Ita raptis e navi tabulis ſibi ſuiſque rebus receptaculum ſtruunt. Ac forte vim lignorum maximam, incertum quibus e terris, eandem in oram æſtus adjecerat: quod tanta in ſolitudine tegmen, & ignibus alimentum fuit. Quotidiana interim cum urſis prælia, qui ſæpe clamoribus, &, ſi acrius furerent, tuborum telis profligabantur. Carnem eſu inſalubrem (quippe ſola illic ferarum terreſtrium alimenta maritimæ ſunt feræ) haud ſine noxa didicerunt; adeps uſum nocturni luminis dedit. Miſerrimos mortalium feras inter ſterili in ſolo poſt cuncta hominum bona Sol etiam deſeruit, quem ſtato anni ſubire terras, nec niſi poſt longum tempus reſurgere alibi memoravimus. Cum tenebris auxit horror, aeriſque intemperies. Cumulatas immenſum nives, ne habitaculum obruerent, ægre amoliebantur, frangebantque in gradus, tanta cœli circumſiſtentis aſperitate, ut egreſſis parumper ad tumorem uſque artus adureret. Atque intus etiam denſus adeo rigor parietes, hominum amictus, ipſamque flammam obſederat, ut torrerentur quæque facilius quam caleſcerent. Igitur dum clauſis foribus certant cum frigore; pene incautos exanimavit prunarum vapor. Balneum imitari, aut candente ferro ſaxove cubilia fovere optimum e præſenti copia repertum eſt. Vacua urſis loca (namque urſis obtuſior viſus, atque eo tenebras metuunt, ſpecubus abditi) vulpes occupaverant, quæ per inſidias captæ, exuviis & victu profuere. Infelicem diu patientiam ſpes anni melior erexerat, cum velut divina miſeratione Sol etiam celerius, quam mundi ratio ferebat, vultu toto emicuit. Nam noctis ſpatium trimeſtri brevius fuit, quod ſeptuaginta in partes depreſſus orbis longius depoſcit: ſive in loci ſitu, aut cœci temporis menſura erratum eſt, quod vix credibile ipſorum diurna faciunt, ſive ipſo haud procul infra terras labente denſa nubes Solis ſpeciem repercuſſit, ſeu quædam naturæ adhuc latentia mirari ſatis eſt. Tum primum auſi prorepere, & languida corpora in labores firmare, qui difficillimi inſtabant. Vocabat enim apertum mare, qua Septentrionem ipſum, non qua Scythiam ſpectat. Quo argumento haud pauci credidere Scythicis fluminibus deferri glaciem,

1596.

1596. ciem, littorumque magis quam Poli vicinia frigus increſcere. Nam nec calores ſtatim minui quantum ab Æquinoctiali receſſeris. Quare aperto mari ſub ipſum Septentrionis ſidus urgendum iter, ſi quis illac poſthac auderet perrumpere. Alterum hujus ſententiæ firmamentum erat, quod inſula, quam herbidam memoravimus, intra Semblam jaceat, cum ipſa Sembla nullo gramine vireſcat, ideoque & animal quod tali utatur pabulo nullum ferat. Sed tum navis adhuc glacie hærentis exitum fruſtra nautæ morabantur. Cunctantesque prope alimenta modice hactenus in dies & viritim partita defecerant: corruptus gelu potus nivem compulerat liquare, &, ſi diutius hærerent, hyems rurſus ac certa pernities imminebant. Scaphas expedivere: & quanquam ægri plerique, cunctis tot nuper mala & egeſtas vires attriverant, omni moleſto fortior animavit neceſſitas, ut glaciem in juga ſurgentem ferro panderent. Hac via pulſæ in mare naviculæ tandem fluitaverunt: neque dum laborum finis, crebro retenti gelu, veliſque & remis, ſæpe & manibus vix eluctati, inde proxima litora coguntur per inediam interviſere: namque ova ibi reperiebantur, & volucres faciles capi, quia morem ignorabant humanæ aviditatis; & paſſim locorum inſequentium argumento compertum eſt, quod ab animantibus aliis fugimur, non illis deeſſe, ſed nobis manſuetudinem. Ægri interea, expoſiti imbribus & cœli rigentis injuriæ, pereuntes ſociis dolori aut etiam invidiæ fuerunt; cum ſuos illi caſus, quem ſors exitum daret pavidi, reſpicerent. In mortuis & Wilhelmus Barentius fuit, navis infeliciſſimæ rector, invita etiam fortuna non minus dignus qui noſcatur, quam Veſpucius & Columbus. Pauci ſuperſtites modo per glaciem navigia trahebant, modo eliſa reparabant: ita cum vires contra imminutas labor increſceret, non ultra operi pares clementior ventus in ultima Semblæ & noſtro obverſa Oceano tulit. Primos illic hominum toto poſt anno Ruſſos nautas conſpexere; & forte eoſdem, quos ſecunda navigatione, fretum propter, invenerant. Illi igitur, ut gens eſt minime irreligioſa, vultu, & quantum intelligi poterat, voce miſerari, quod ſpecioſæ quondam claſſis iſtas reliquias intuerentur: quin ultro alimentis juvant. Reperta hic ſalutaris herba ſolutæ membrorum compagi, quæ propria navigantium peſtis frigore inhorruerat; æquitate naturæ erga mala remediaque. Britannica Plinii putatur, quam Friſiis monſtrantibus

bus a Romanis adverſus id malum uſurpatam diligentiſſimus 1596.
ſcriptor memorat. Mox retenti diu obluctante vento Ruſſici maris in faucibus, & quoties extrema fames urgebat fortuito navium occurſu, poſtremo Lapporum, qui id littus incolunt, refecti hoſpitalitate, cum & ſcaphas tenebræ ſegregaſſent, pariter Quilodunum inſulam pervenere. Ibi intelligunt (toties res perditas caſus corrigebat) vicino in portu navem, quæ ſecum Hollandia ſolverat, in eas partes rejectam tempeſtatibus, reditum in patriam adornare. Duodecim fuere, principe Iacobo Hemskerkio, quos ab ultima mundi ſolitudine Amſtelodamum reduces tanti laboris miraculum illuſtravit.

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS

LIBER SEXTVS.

SVMMARIVM.

Mauritii apud Turnholtum victoria. Alberti anxietas. Portocarrera Ambianum capit. Vrbem retinendam cenſet Albertus. Henricus Ambianum obſidet. Varia loca fruſtra utrinque tentantur. Diſcordiæ inter Groningam & agrorum habitatores ſopiuntur. Componitur & inter Hollandos Zelandosque nata contentio. Legato Polonico ferociter pacem apud Ordines urgenti generoſe reſpondetur. Mittendam eandem ob cauſam ab imperatore & Germaniæ principibus legationem modeſte Ordines recuſant. Dano repudiatæ pacis rationes reddunt. Anna Hovia viva Bruxellæ ſub terram defoditur. Fœderati excurſus in Germanorum agros excuſant. Maritimæ Eſſexii expeditionis infelix exitus. Gravior infelicis iterum Padiliæ caſus. Batavorum prima vice ab Indis redeuntium de India ejusque populis relationes. Ambianum Henrico deditur. Mauritius capta Alpa Bercam, Mutilianam, Murſam, Grollam, Brefurtum, Othmarſum, Oldenſaliam, Lingam aliaque loca expugnat: Clandeſtinis ſororis offenditur nuptiis. Hiſpani militis ſeditio. Philippus cum Henrico de pace agit, quam apud Eliſabetham, atque Ordines hic ſibi neceſſariam cauſatur. Philippus tentatis Ordinibus novis ad pacem invitamentis filiam Alberto deſpondet, dotem Burgundiam & Belgicam illi dicit. Belgis fœderatis omnia ſuſpecta. Belgarum Hiſpanienſium ad literas Philippi reſponſum.

1597. MEdia adhuc hyeme felix caſus Batavis egregium incipientis anni auſpicium dedit, reditumque fortunæ, quæ poſt Groninganum decus interquieverat: Albertus enim, poſt liberatos Gallorum metu Atrebatum fines, militem in præſidia dimiſerat, majore tamen parte Brabantiæ per agros relicta, in queis cohortes quatuor belli veteres & ſupplementis recentes, ut ſuper quatuor millia pedites eſſent, cum turmis quinque equitum centenorum ad Turnholtum morabantur. Haud ignobilis Brabantiæ is vicus patentes undique campos proſpicit, olim principum in delitiis, cum venatus & innoxiæ remiſ-

Mauritius quatuor millia Hiſpanorum peditum, & quinque turmas ad Turnholtum cadit.

remiſſiones ſatis placebant; tunc occultandis conſiliis legebatur, quia locus ipſe ad multa medius nullum itineris indicium præbet: unde gravior Batavis ex incerto metus; dum proximis Brabantiæ urbibus & Zelandorum inſulis timetur, ſuſpecta maxime gelu, quo amnes, quod iſtis partibus validiſſimum munimentum eſt, facilem quovis aditum oſtentant. A factis aliena non erat conjectura, ibi potius conſediſſe, ut uberem agri annexum vice ſtipendii popularentur. Monuere Principem qui vicina præſidia curabant rapiendæ occaſionis, ut, priusquam illic augeſcerent copiæ, perverſo quod penes hoſtem roboris erat præcipuum, etiam in futurum formido exſolveretur. Spem addebat ſucceſſui dux illic copiarum hoſtilium Varax Comes, Varembonii frater, qui bellorum inexpertus, neque certa ipſe providentia, nec admodum volentibus imperabat. Sed contra terrebat, quod ſparſo in oppida milite longum copias machinasque in unum contrahere, impeditum iter gravi hyeme, nec ita tamen frigida, ut viæ dureſcerent: interea exauditurus hoſtis, peritura conſilia. Spes vicit; & difficultatibus, qua potuit, ſubventum, ſecretis ad duces imperiis, paratisque omnibus quæ feſtinationem adjuvarent. Iuvit & fortuna reſoluto aliquantum gelu & ſicco tamen cœlo. Locus, quo prædicta convenirent, placuit Gertrudisberga, ſitu remotus haud ultra ſex horarum iter, & quia plurimus circum eques, cætera amne Moſa devehere ac ſubvehere pronum erat. Indictus dies coeundo periit. Poſtero Princeps quinque peditum millia, equites octingentos educit, qui nocte adulta Ravelam pervenere, cum tormentis muralibus duobus, campeſtribus totidem: crepera luce, ut ſe dediſſet occaſio, aut munimenta oppugnaturi leviter excitata, aut in aperto auſuri prælium. Vnius namque hinc ad hoſtes horæ iter reſtabat, qui præcurrentibus nuntiis exciti, an forte conſpectis ignibus quos refovendis corporibus Batavi ſtruxerant, diverſas in ſententias iere: pars intra munimenta opperiri, pars rectius cenſebant occurrere ultro feſſis itinere & cœno madentibus, neque vero hanc Mauritio relinquendam gloriam, quod miles vetus & qui famam belli ſuſtineret, adverſus haud multo majores copias prælium detrectaſſet. Sed plerique timori honeſta prætendebant: cedendum potius integris viribus, cum non procul eſſet Herentalium fido receptu; nec virtute nec fortuna prodige utendum. Quo cum & Varax pavore confuſus accederet, prævaluit conſilium turpius idem & periculoſius. 1597.

 Nam

1597. Nam & hoſte tam propinquo ſerum id erat; & quanquam præmiſſis nocte ultima impedimentis, & ubi illuxerat, ordinato agmine itineris quam fugæ ſpeciem fecerant, non tamen vitabant, quin perſequi fortioris videretur. Iam & juſſa ſilentia, non tubæ ulli, non tympanorum ſtrepitus; inania quidem, ſed apud militares animos multum in deterius valuere. Quo Princeps comperto, non jam de pugnæ eventu, ſed ne elaberetur hoſtis ſollicitus, hoc magis, quod & camporum ſtagnantia, & rivum intercedentem moram ſibi latura præviderat, cum turmis, &, quod in cohortibus expeditiſſimum erat, ad ducentos, in campum (Tilenſi nomen eſt) mane ſummo properat, juſſo pedite longe ſubſequi cum tormentis. Aderant Comes Hohenloius, iter tum forte Germanicum accinctus, ſed quanquam Princeps vocare omiſerat, ipſe, quod parabatur conjectans, rei bene gerendæ occaſionem privato ſuo antehabuit: & Eberhardus Solmenſis intentus famam anni prioris adverſam novo merito purgare, tum Angli Franciſcus Verius, & Robertus Sidneius Fliſſingæ cuſtodiendæ præfectus; Belgarum Marcellus Baxius fortiſſimæ turmæ dux, & inter primos itineris hortatores: inde alii. Verius levi cum pedite miſſus ſilvas excutere, ne quid latere inſidiarum, ad rivum prægreditur campis interfluentem, qui longis vadi anguſtiis, ligneoque Ponticulo vix ſingulis tranſitum dabat, & militem tuborum vi depellit, quem hoſtis moræ offerendæ eo loci reliquerat. Inde agmen hoſtile conſecutus ultima abeuntium terga aſſilit & retentat: nec enim procul arctus callis coeuntes inter ſaltus Herentalium ducebat; quem ſi penetraret hoſtis (& jam impedimenta intraverant) non dabatur prælio locus. Interim Hohenloius, cui equites quadringentos ſubſidium peditis Mauritius attribuerat, ad latus hoſtium conſpiciebatur. Confligere nondum licebat ſtagnanti valle intermedia, nec ea planitie, qua modica acies pateſceret. Ibant ſub Varace cohortes juſto intervallo, novenis undeniſque ordinibus. Prima e Germanis erat comitis Sultii, ſecunda Walonum, vetus Lamotæ & Coquelli miles tum Aſchicurtio regebatur; alteram ejuſdem gentis Barlotus curabat. Tergum Neapolitani clauſerant, Marchionis Trevici manus, qui tum per Italiam aberat. Siniſtra agminis arboribus continuis muniebantur, & rivo qui Turnholto delabitur: eques tribus catervis modo in fronte, modo dextrum latus prætexebant, imperitante Baſta, & ſub illo Cordubenſi, Dracone, Grobbendonco,

co,

co, Gusmanno. Loco ſignoque ad irrumpendum datis, Hohenloius prætervectus cæteras hoſtium cohortes primus invadit. Eques objectus tutando lateri ante impetum cedit, & peditem ſuum turbat; ita Germani facile perrumpuntur. Ne Itali quidem immiſſum in terga Verium, cum parte equitis, quem penes ſe Princeps retinuerat, ſuſtinuere: quibus fuſis profligantur & mediæ cohortes, rara vincendi celeritate. Tam facile locum a vetere milite proditum, ipſi qui vicerant mirabantur. Sed præter quod dilapſus eques pavorem intulerat, ipſæ cohortes haud prudenter ſatis ordinatæ. Non enim denſa haſtatorum omni ex agmine confertorum ſeries tegebat cæteros, ſed rari ſparſimque circumſteterant, ut facile irrumpendi ſpatium Mauritianis darent; eoque impunius, quod & jaculatores non alternatim, ſed pariter cuncti tubos exploſerant. Accuſatus poſtea Baſta, quod non terga potius peditum clauſiſſet, mandata Varacis oſtendit. Irrumpentium mortui quatuor duntaxat, ſex vulnerati, novæque armaturæ inſigne documentum is dies dedit. Nam Mauritius equites non lanceis, qui mos valebat hactenus, ſed carabinis armaverat, id tuborum longioribus militare vocabulum eſt. Igitur, quæ primum jaciuntur, vitatis, priuſquam haſtas protendendi ſpatium ſit, tam certa vulnerum vis irruit, ut non arma hoſtes, non ordines retineant. At turbatis pulſiſque nulla jam effugia: quippe arbuſta & aquæ præſidio futura pugnantibus, contra ipſos verterant. Sed & victores nimia prope fiducia periculum adierunt. Nam dum cædibus nonnulli, cæteri prædæ inſiſtunt, Baſta paucis ſuorum comitatus, cum fugienti ſibi viarum anguſtias curruſque obſtare ſenſiſſet, coactus fingit audaciam, retroque effuſis frenis ruit. Complures Mauritianorum ſpoliis affixos, & impedimenta ſcrutantes, quod genus pavidiſſimum eſt, tam repens novitas ut terga darent ſubegit. Sed præfecti peditum, quorum pars major ac tardior pone ſecuta tum forte adventabat, occurſare paventibus, retinere cedentes, &, ni in hoſtem redirent, majus a ſe periculum intentare. Eodemque pavore captivi aliquot, qui Principem deprecabundi circumſteterant, metu mutantis fortunæ abacti transfodiuntur. Providus talium Princeps jam ante turmas quatuor exemtas diſcrimini præſidium ſibi victoriæque poſuerat. Sed turmæ unius rector ſuam juſſus ducere, male excepto imperio, cunctas pugnæ miſcuerat, ſponte etiam prædæ quam obſequio promtiores. Tamen ad ducem 1597.

 con-

1597. concurſantibus, queis major officii aut famæ reverentia, vitatum diſcrimen: hoſtes iterum refugi ſuorum ſtragibus & anguſtiis viarum conflictabantur: nec ultra inquietarunt victoriam, tam facilem paratamque, ut vix decem e victoribus deſiderarentur: & peditum agmen in partem duntaxat ſpoliorum advenerit. Sepulti hoſtium ſuper duo millia: captivi ferme quingenti, pars magna ſigniferi; quidam vulneribus defecere. Sequente die accepta in deditionem arx Turnholtana cincta foſſis: pedes in præſidia remiſſus: eques quoque juſſus continuo abſcedere, ne inſequendo feſſum recollectis viribus hoſtis noctu invaderet. Inde ovans Mauritius inter feſtas populi gratulationes erepta hoſtibus ſigna centuriarum octo & triginta, turmale unum, quod Draconis fuerat, Hagæ in Capitolio ſuſpendit. Nec minor victoriæ fides, ipſius Varacis inter primos proſtrati corpus exanime cum litteris Alberto tranſmittitur: qui prolixe gratias egit; & cum nuper eques Mauritianus ab hoſte ſuſpenſus ſimili alterius ſupplicio vindicatus eſſet, ſervaturum ſe in poſterum belli commercia promiſit, alieno ipſi ab omni ſævitia ingenio. Id primum ſui experimentum collatis ſignis habuit Mauritius, decem jam per annos imperator: neque tam militi ex eventu crevit in hoſtem fiducia, quam illum fecere caſuum caventem quæ viderat; non ſatis firmata ſubitis exercitus diſciplina, & levi animorum momento Mars ambiguus, inque ipſa victoria tantum periculi. At Albertus perculſus ſimul & pecuniæ inopia, & tanta clade, per dies noctesque conſultans, ægre malo utrique remedia inveniebat. Effuſus antea non ſolvendi ſed donandi quoque, ita ut uno Hulſti obſidio plus in largitiones, quam tribus annis Parmenſis exhauſerit, ex eo tempore ſtipendiis quoque numerandis defecerat. Ita qui paulo ante per uberiora præmia multos ad transfugium illexerat, ſuorum tunc deſertionibus nudabatur. Germani, pecuniæ avida natio, conſcribi quos juſſerat equites peditesque, aut negabant operam, aut ut advenerant dilabebantur. Seditionum metu urbes atque Ipra imprimis præſidia accipere recuſabant. Inopiæ, qua poſſet, obviam iturus, ſuam ipſe ſupellectilem pignori dederat: orabatque civitates nummos ut mutuos conferrent, auſis negare Bruxellenſibus. Volebat & cum Fucqueris paciſci: ſed terrebat fides incerta, & edicti nuper Hiſpanici exemplum. Cætera hyems primumque ver, nullo adhuc exercitu, inter ſubita &

Magna Alberti propterea anxietas.

dolos tranſiere, dum parvæ manus res magnas audent. Ferdinandus Tellius Portocarrera Durlanium Hiſpano regebat, quo oppido haud ita longe Ambianum abeſt, Picardiæ caput, urbis inter Galliæ maximas, opum potens, belloque tum & commeatibus opportuna, allabente amne, cui vetus Samaræ nomen. Parebat Henrico civitas, ſed excluſo præſidio commiſſaque magiſtratibus cuſtodia, per ſpeciem privilegiorum negligentius uſurpans jus inviſæ dominantibus & periculoſæ apud hoſtem libertatis. Quæ poſtquam Ferdinandus exſulum monitu ac præcipue monachi cujusdam, ſitumque locorum miſſis exploratoribus didicerat, milites ab Alberto accipit peragendæ fraudi. Promtiſſimi duodeviginti dubia luce, cum primum ingreſſus patet, poſt alios alii mittuntur, agreſti ſpecie, poma ferentes; pars & plauſtrum agebant onuſtum pabuli, quo portæ penſiles abſciſſis, ut fit in periculo, retinaculis, adverſus caſum ſuſtinerentur. Cuſtodes aditus occultis ante armis aut prima ex cæde raptis conficiuntur: celerique accurſu eorum qui proximis urbi locis abditi ſubſederant, fit via inſequenti agmini, quod pedites bis mille, ſexcenti equites complebant. Forte eo ipſo articulo temporis (Quadrageſima erat) quidam in ſacra ad populum allocutione peccata ipſis ſua exprobrans & rei ignarus, meritos dicebat ut in Hiſpanorum venirent poteſtatem, & venere: nam valida quamvis & numeroſa civitas quatuordecim haud minus hominum millibus habitata, non diu reſtitit, ambigua in Regem fide, an pavida ex priori ſecuritate & imperii egens: quin & præfectus Sancti-pauli Comes audito tumultu parte alia diffugerat. Rebus tutis auctum præſidium, corrupta flammis quæ contigua urbi erant, exarmati cives direptique, egregia in militem præda, ſed & in ducem; quia Rex vim magnam machinarum omnemque belli apparatum paulo ante indiderat. Miſit ad Philippum Albertus rei bene geſtæ nuntium, monuitque unam eſſe ac præcipuam earum urbium quas ad Samaram ſitas Burgundionumque ducibus poſſeſſas orbæ virgini quondam Gallus extorſiſſet: laborandum nunc, ut bello partum, etiam pace, ſi qua coiret, retineretur. At tacebatur ea oppida a Francis pignori quondam oppoſita & redempta, & ſi quid ulta armis aut neceſſitate expreſſum fuerat, armis amiſſum extinctumque legibus. Magnum id damnum Gallis, nec ſine fructu tamen. Nam conſpecto dure haberi ab Hiſpano Ambianos,

1597.

Portocarrera aſtu militari Ambianum capit.

Albertus miſſo rei bene geſtæ ad Philippum nuntio, urbem retinendam monet.

bianos,

1597.

Ambianum Henricus obſidet.

bianos, etiam qui in Gallia Romana ſacra ſectabantur obſequentiores Regi, præſidia non ut ante recuſabant. Rex ipſe pacis cogitatione ad tempus diſcuſſa totum ſe ſociis dabat, ita ut quas nuper de Caleto conditiones Angli tulerant nunc accepturus videretur. Interim unius diei fortuna longum recuperandi laborem Gallis præbuit, circumfuſo ſtatim equitatu, inde ſub Bironio creſcentibus in Ambiani obſidium copiis, donec Rex ipſe coram advenit, illectusque ut vicem reponeret, Atrebatum urbem, accenſo pulvere, quo muri diſſilirent, ſcaliſque, infeliciter aggreſſus eſt. Nec meliores Gallorum in Cameracum Durlaniumque inſidiæ. Sed & Hiſpano ſpes irrita in Gravewartam inſulam Rheni divortio ſitam, rurſumque in oppidum Stenovici, quo Tubantum e præſidiis mille pedites, equites quadringenti, deviis itineribus convenerant. Hi ſuprema nocte palis, qui obſtiterant, reſciſſis, in aggerem enitebantur; utque primos conatus ſilentio juverant, ita, quo terror per tenebras ingraveſceret, truci clamore ſignorumque cantu diverſas mœnium partes oppugnabant. Sed excubitores haudquaqum turbati inanibus, ſeſe objecere: idque cæteros advertit procul remotos (nam plerique ſtructis prope vallum tuguriis continebantur.) quorum pars intecti, ut ſtratis exſilierant, ſaxa in ſcandentes moliri, ſemermes alii egreſſos in vallum hoſtes gladiis fodere, aut glandibus ſuccedentes propellere, propulſos ſequi. Ita reſumtis aliquoties animis aggreſſores tandem ceſſere, multam cladem devectis peremptorum corporibus diſſimulantes. Sub idem temporis, velut æqua in omnes fortuna, Mauritius peditem & turmas aliquot Noviomago ductans, nulla interpoſita ad quieſcendum mora, haud abſurdo capiendæ Venloæ conſilio eventum contra habuit; navibus duabus adverſo flumine militem miſerat, priore egreſſi jam portam occupaverant oppreſſis cuſtodibus, & adjuti unius atque alterius intra urbem conſcientia. Sed navem alteram, centum onuſtam militibus, ventus remittens vadumque in amne detinuit: atque interim clareſcente mane oppidani concurrerant, primumque portam interiorem obmoliebantur: tum aucta multitudo eos, qui extima tenebant (nec plures erant quinquaginta) eruptione depellunt. Et fugientes nautarum e Leodico illic agentium telis petebantur. Mathias Hellius occubuit jam tertio virtutis experimento, nec ibi minus quam Bredæ Nordamique ſpectandus. Cumque eo Schalkius

Atrebatum urbem aliaque fruſtra tentat.

Hiſpanis quoque ſpes irrita in Gravevvartam & Stenovicum.

Haud feliciori eventu Venloam Mauritius adoritur.

Hellius occumbit.

kius navis rector. Capiuntur alii, &, quod jus belli conſenſu valuit avertendis id genus periculis, ſupplicio damnantur. Vnus qui portam tradiderat ſalubri audacia per urbem diſcurrens velut communi pavore, nec agnitus, averſa parte oppidi evaſit. Quin & in Flandricum littus miſſi cum claſſe milites re infecta redierunt. Bulionius interim haud magna manu populabundus Hænoviam & proximos Moſæ campos perſultabat. Et Mauritianus eques ex victoria confidentior, Brabantiæ & Geldriæ præſidia egreſſus, uterque locis diverſis hoſti circumventus funditur. Tam leves intra conatus æſtas circa Batavos tranſmiſſa eſt, de Ambiano retinenda ſollicito Archiduce; & quia Fœderatæ gentes, dum otium arripiunt, belli occaſionibus incurioſæ, ſatis habent auxilia ſociis mittere, nec ipſæ laceſſi. Sed & diſcordiæ fatigabant, quanquam non ſupra fœdus, at alieno tempore & eo ſuſpectiores. Groningana civitas, & qui patentes agros Lavicam intra atque Amaſium colunt, vetera & bello indurata odia adhuc ſpirantes, haud facile coaleſcebant, dum civitas, quæ ſibi regias partes ſecutæ Parmenſis non quidem perpetua lege, ſed interdicti in morem, conceſſerat, pertinaciter urget: contra accolæ omnem cum ea ſocietatem, ut libertatis imminutionem accipiendo, quo ſua ſeorſim agerent, vetuſtum cum ea fœdus abrumpunt. Verum erat, ut totius quondam Germaniæ, ita Friſiorum diu populos diſcretas habuiſſe ditiones, ut, niſi ſuo arbitrio, in medium non conſultarent: Translavicanos autem & ipſos pagis diſcretos adverſus interna externaque mala vires ſibi vicinæ civitatis paciſcendo adjunxiſſe, cui & mercatura & judiciorum ſanctimonia florenti, magnam in utrumque poteſtatem, præmium ſocietatis vicini volentes detulerunt, conventus eo indicere ſoliti. Sed quod initio liberum fuit, longo uſu multisque pactionibus, in vim juris tranſierat: neque vero hoc erat tempus, quo vincula amicitiæ utcunque indicta reſolverentur. Et Hiſpano quidem olim pars viſa potentiæ, nihil definiendo alere ſubditorum certamina: at vis Fœderatorum concordia nitebatur. Igitur tranquillandis controverſiis judices dati: tres primum; & cum horum ſententia agrorum habitatores offenderentur, novem alii, quorum decretum a concilio nationum comprobatum eſt. Ordines ergo ex urbe agroque collecti jubentur conſtitutum utraque ex parte corpus, ut unam rempublicam regere, majora conventu diſceptando, minora per legatos: eo-

1597.

Mauritianus eques funditur.

Diſcordia inter Groninganam civitatem & agrorum habitatores.

Datis ab Ordinibus judicibus ſopiuntur.

1597. rum curæ ſubdita communia tributa, quæque principis aut ſacerdotum fuerant: paribus ſuffragiis, ut prior civitas, non ſuperior foret. Attamen cautum, qui judicia per agrum regerent (Hovetmannis nomen eſt) ab urbano ſenatu, more, quem Geldris probatum Auſtriaca domus ſervaverat, legegerentur; cæteri ejusdem curiæ ab Ordinibus. De mercimoniis ita temperatum, in agro nata, facta, exportare ne liceret, niſi Groningæ proſtitiſſent: neu cereviſiam (aqua farre cocta eſt, Germanicarum gentium potus) præterquam Groninganam bibere, excepto ab utraque lege, quod uſus familiaris cauſa haberetur: externis vero mercibus adjudicata libertas: & alia ejusmodi, quæ etſi magnis diſſenſibus agitata, ut inſtituto minora, exſequi piget. Sed enim Hollandorum cum Zelandis contentio eo gravior, quo horum maxime opibus corporis univerſi concordia continetur. De vectigali certamen erat, quod mercibus exteras ad gentes aut hoſtem transvehendis deſcribitur. Id nationes ſingulæ non ſibi proprium, ſed commune fœderis in rationes onerum maritimorum, quæ ipſæ uſu publico poſcente privatim ſuſtinerent, accepto ferebant. Zelandi ultra tetenderant, coactis mercimoniis, quibus Hollandia evectis alio per ipſorum inſulas iter eſſet, alteram vectigalis partem apud ſe pendere: quod, quia arceri non poterat, pacto inter duas gentes temporario firmatum. Sed eam conventionem Hollandus renuntiabat, fretus Ordinum fœderatorum edicto, ubi onus imponeretur, ibi ſolvi jubente portorium. Super hoc Zelandi accuſabantur, quod imminuto vectigali & commiſſi pœnis rem communem ſui juris facerent, alienaque commercia & utilitates ea fraude in ſe verterent, contra fidem & leges tam neceſſariæ ſocietatis. Quibus cum illi referrent, Hollandos ſuis cupiditatibus Fœderatorum juſſa, ut alias Senatus aut Principis nomen obtendere, uni controverſiæ plures miſcebantur. Nec ceſſantibus utrisque ſuis in bellum meritis aliorum opponere ſegnitiem, &, ſi fœdus exueretur, latenter oſtentare vires, quibus privatim ſe tuerentur aut alerent, Zelandisque eo provectis iræ, ut tributum fœderi inferre negarent. Poſtquam & populi minores pernitioſum exemplum ſequebantur, vix tandem convenit, ut, Zelandiæ commodis quibusdam relictis, ſalva eſſet in poſterum Fœderatorum concilio ſua auctoritas. Auditæ interim legationes externæ, & pacis laudes, & de bello querelæ, curante Hiſpano, non tam ſpe ulla concordiæ,

Hollandorum cum Zelandis de vectigali contentio.

Componitur.

quam

quam ut negantes odio objiceret. Auditus cum admiratione parum grati ſermonis Paulus Dialius a Sigiſmundo miſſus Poloniæ rege, qui Latino ſermone clarum intonans, cum de officio ſubditorum in principes multa jactaſſet, certum Batavis exitium ab Auſtriaca magnitudine minabatur, ni culpam faſſi mature veniam expoſcerent, regem ſuum deprecatorem offerens. Sed & Philippi bonitatem & fidem celebrabat, idque coram Arauſionenſis & Egmundi filiis generisque: nec minus Chriſtianum nomen, & Turcæ vis discordibus longe imminens prætexebantur, cum proxima Polonia metum pace redimens communi ſe bello ſubtraheret. Nec ignarum Ordinibus Polonum Hiſpano junctum neceſſitudine, &, quod propius vinculum eſt, Ieſuitis regiam obſidentibus. Modeſte reſponſum de cauſa & pacis periculo, & acrioribus Hiſpani in Chriſtianos quam in Turcam armis præ nimia dominandi cupidine, quæ curæ eſſe Sigiſmundo debere, præ domeſtica conjunctione. Et cum ille nihilominus ferociret, velut commercia abrupturus, iunuere qui colloquebantur, ſi jura humanitatis violarentur, non ſe Polonicæ meſſis, quam Polonos ſui nummi indigentiores. Sed & Imperator Principesque Germani & primæ civitates locum magnificæ legationi popoſcerant, quod Ordines, ſuſpecto tantæ auctoritatis paratu, excuſabant. Quare alteras literas miſere, Carolo Nutſelio ferente, acerbius interrogantes hæcne Germaniæ cognationis reverentia, hanc tot beneficiis gratiam referrent, ut amicis negaretur, quod apud omnes gentes etiam hoſtibus licuiſſet? Neque vero legatos duntaxat de pace acturos, quæ tamen ut fida ac ſecura foret, ſi qua daretur occaſio, diligenter ſe curaturos; ſed de multis gravibus rebus, quæ tractari Batavorum haud minus quam Germaniæ intereſſet. Interpretabatur id Nutſelius de priſcis fœderibus inſtaurandis. Nec minæ aberant, nemini majeſtatem imperii impune ludibrio fore. Humiliter ad hæc Ordines honori Germanico & reverentiæ datum demonſtrabant, ut præmonerentur, ne ſe irrita legatione fatigarent: rerum ſuarum, & quid ipſis expediret, non alios ſe peritiores. Serius aliquanto Arnoldus Witſeldius regni præſes, & Chriſtianus Barnicavius, a Dano venere, qui cum, ut plerisque creditum, hanc operam magis negare non potuiſſet, quam ſponte præſtaret, Naſſaviæ ſe ſtirpis & Batavæ gentis amicum paternum, ac ſinceræ purgatæque religionis con-

1597.

Regis Poloniæ ad Ordines legati ferox & ingratus ſermo.

Ordinum modeſta pariter ac generoſa reſponſio.

Mittenda ab imperatore aliisque Germaniæ principibus ad Ordines legatio excuſatur.

Miſſi a Dano legati quoque de pace apud Ordines agunt.

1597. conſcium, nihil poſtulaturum prætulit, quod aut huic aut illis fraudi cederet: ſed quoniam pace & numen divinum purius coleretur, & publicæ privatæque res extra belli aleam tutius conſiſterent, ejus ſperare haud ingratum ſe auctorem fore. Tot ſimul concordiæ hortatoribus verbis diverſis in eandem formam Ordines reſcripſere: ad Danum tamen quam ad cæteros accuratius. Rationes jam aliquoties memoratas breviter repetam, ne, quod ipſi ſæpe eadem audiendo dicendoque faſtidii cepere, id in legentem tranſeat. Docebant ſocietate Gallica Anglicaque, deinde ſummis Mauritii virtutibus ſe obſtrictos privatim pacis leges nec ferre poſſe, nec accipere. Quod ut nefas, ita & noxium ſe arbitrari, quia pacis quanquam vana commemoratio cunctos mortales in bello remiſſiores, in libertate & civitatum fœdere etiam diſcordes facit. Detectæ ſimul literæ Wilhelmo Clementio ſcriptæ Hiſpanico apud Imperatorem oratori, quæ ſpes tales proderent, quæſitamque ex pacis mentione Batavis apud Germanos invidiam. Iungebantur exempla eorum quæ Bredæ, Gandavi, Agrippinenſi in urbe acta, & apud Brabantos Flandroſque hoſtiles inſidias promoverant. Poſt quæ nullum ſe belli exitum ab Hiſpani fide, ſed primum a Deo immortali armorum moderatore, tum, ſi forte, Belgarum e conſenſu opperiri. Pro cauſa nonnihil: quam renitentes & qua impulſi neceſſitate ad ea veniſſent, quorum nulla pactio ſecuros facit. Intereſſe & vicinorum, ne bello tanto levatus Hiſpaniæ Rex deditorum viribus augeſceret: quo ille impetrato, centum hominum millia ſemper in armis habere poſſet, nunc huic nunc illi opprimendo. In ore eſſe Hiſpanis, hæreticos hæreticorum ſanguine vincendos: nec eo vocabulo Reformatæ magis, quæ dicitur, religionis, quam Auguſtanæ ſectatores & ipſorum & Pontificis judicio comprehendi. Et quia Reipublicæ vocabulum nunc non minus inviſum quam olim populo Romano præpotente regium nomen erat, ac tamen cum illis gentibus res erat, quæ principatum amant proximum libertati, neque tam naſcendi ſorte quam cooptandi judicio, quod Poloni apertius ſervant, Germani & Dani imaginem retinent, ſuo de regimine eundem in modum loquebantur. Belgæ, inquiunt, ſerviere nunquam, ſed imperium legibus. Legum cura his credita a majoribus, quos virtus monſtrabat. Iuſtitia regendi provocati affectus a parentibus in liberos tranſiere: ne tum quidem infinita po-

Dano repudiatæ pacis rationes accurate reddunt.

teſtas,

teſtas, ſed intra conventiones ſtetit, quare & regio nomine abſtentum. Manſit fides principibus populoque, donec Philippus non tantum judicia vertendo, inconceſſa exigendo, ſibi jurata infregit; ſed contra fas omne Dei hominumque ſacra legationum contemſit, innumera cæde ſe inſontium cruentavit. Quod cunctis animantibus natura imperat, ſuam ut ſalutem defenſent, id nos fecimus: neque vero promiſcua licentia, ſed ductu principis Arauſionenſis. Longæ interim preces, & ambiti reges qui Philippi animum mitigarent. At poſtquam ſub pace diſſidium & ultio latuere, haud novum populis, etiam qui regnantur, cuncta principatui contraria facientem imperio demovimus, decreto publico, vulgatisque cauſis. Ac rurſum aliis viſum regis Galliæ fratrem rebus imponere, alii Arauſionenſi obtemperare haud ante deſiimus, quam ille Hiſpanico ſcelere procubuit: delataque ad Mauritium regendi ſucceſſio, qui nunc egregio ſubnixus regum fœdere fines armis propagat. Hæc ideo expreſſi, quod ſepoſitas apud gentes ea tum fama noſci ex uſu rerum præſentium videbatur. Nec contenti pacem diſcutere Batavi, ultro ad arma alios vocabant, regnorum aviditatem Hiſpanis & poteſtatem nocendi objectando, exſoletas jamdudum criminationes, & quas magna imperia nunquam effugiunt. Faciendæ tamen fidei præter manifeſtum Galliæ Britanniæque exemplum proferebantur, Alberti poſtulata adverſus pleraſque Germaniæ urbes: & quid de religione ſperandum eſſet, documentum e Brabantia recens. Anna Hovia virgo famulari miniſterio vitam tolerans cum ſororibus Rampardis, quibus inſerviebat, ſuſpecta diſſenſionis circa Pontificum ſanctiones, & in carcerem protruſa fuerat. Cumque illæ victæ aut minis aut precibus amicorum ac vitæ illecebris, quibus & viriles animi franguntur, imperitiam fatendo veniam meruiſſent, hæc una nihil moveri: modeſto interim ſermone obteſtari, fœminam ſe & ſexu & ſorte extra turbas, ut ipſa crederet, recte ſentientem; ſin minus, erroris ream, cui par eſſet ignoſci: at illud ſcelus non hominibus, ſed Deo vindicandum, ſi quis contra animi ſententiam metu ſubactus, quamvis vera dicendo, mentiretur. Conſultante Senatu, an judicium redderet, Albertus reſpondiſſe fertur, exercendas leges. Illud juſtius mireris, quod tam acerbum, infeſtumque etiam ſpectantibus, ſupplicium placuit. Viva Bruxellæ ſub terram defoſſa eſt; auctores ejus

1597.

Anna Hovia diſſenſionis circa Romanam religionem ſuſpecta viva Bruxellæ ſub terram defoditur.

ſævitiæ

1597. ſævitiæ pœnitentiam exſpectaſſe credibile eſt. Sed illa jam in ſpecum deſcendens, inter mortem poſita & proritantes venia ſacerdotes, ſuperfuſam humum imperterrita, tantumque Deo ſupplex, accepit. Ea mulieris conſtantia magna Belgarum miſeratione celebrata eſt, augente famam rei novitate, cum olim multa cædium millia brevi auditu transmitterentur. Et poſt Albertus id genus crimina ſatis habuit minis, aut ſi urgeretur, pœnis ſecretioribus compeſcere. Atque interim Batavi ejus invidia fruebantur, cunctos, queis religio curæ, prævertendam ad ultionem incitantes. Egere & regibus gratias, quod pro Belgarum otio ſolliciti forent, reſque ſuas ſingulis commendatas voluerunt. Legatis hoſpitium & ſumtus e publico, abeuntibus dona acceſſere. In literis ad Germanos excuſati incurſus vicinos in agros, comparatione hoſtium & belli neceſſitate, cui unum remedium foret, ſi Hiſpani quam longiſſime pellerentur: adverſus quorum inſolentiam in occupandis Germaniæ locis auditos ſe ſæpe, adjutatos nunquam. Vnde cogi ſe hac quoque de re ſpem omnem ſuis in armis collocare, quæ tamen pacatis populis fore innoxia. Ideo & ſtipendium ſe militi nuper auxiſſe, quo arctiori diſciplina frænaretur. Dani ſeorſim poſtulaverant, ne ipſis grave eſſet bellum non ſuum, neu commerciis Hiſpanicis arcerentur. Quod regina Angliæ & Danis & Polono, legatis iiſdem, qui in Batavis fuere, ad ſe miſſis, negaverat: & naturam laudantibus, quæ mare cunctis & jus permutandi patere voluiſſet, reſponderat, nihil eſſe tam congruens naturæ hominumque moribus quam periculum propulſare; quare haud paſſurum ſapientem ulla ope eum juvari, qui ſuo exitio immineat. Nec arma tantum, ſed & commeatus omnes vetabat: quippe aſſerens conſtituto belli judicio hoſtem vel fame domandum, ut pacem accipiat. Idem veterum Anglorum pacto cum Anſiaticis civitatibus, aliorumque Principum exemplis tuebatur, Paulum Dialium inſolentius agentem irridens, ut feciali quam oratori propiorem, nec Sigiſmundo parcebat; ignarum nempe regii moris ob juventam, & quia electus imperaret. Patrem certe avumque ipſius Moſcho cum bellarent, alia in Anglos jura ſtatuiſſe. Sibi vero, quæ legatorum ſuorum opera & Ruſſico bello Sueciam, & Turcico Poloniam liberaſſet, egregiam hanc ſcilicet gratiam referri. At Batavi haud æquum æſtimantes aliis ſe leges duriores quam ſibi præſcribere,

Fœderati incurſus in Germanorum agros excuſant.

Regum Poloniæ & Daniæ Legatis commercia cum Hiſpanis negat Eliſabetha;

Concedunt Batavi.

non intercedebant, quo minus cæteræ gentes pari jure cum Fœderatis Occidentem & hoſtilia littora viſerent. Maritimæ hoc anno expeditiones fuere, magnis initio conſiliis, ſed inani ſpe per tot incerta. Allubeſcente Gaditanæ expeditionis ſucceſſu Angli novos hoſtium paratus in ipſis navalibus opprimere, Azores inſulas inſidere, opulentas naves rapere, longinquo ex orbe venientes capere certabant. Naves armis validas Regina ſedecim, in quibus ad Gades captæ erant duæ, vigintique ſuas Batavi Warmondo duce attribuerunt. Sexaginta ferme inferioris magnitudinis aderant, belli inſtrumento & militi ferendo. Nam & machinæ oppugnandis urbibus una vectabantur, & ſex hominum millia, quæ in terram exponerentur; audito quanquam & peditem in maritimis Hiſpaniæ oris paratum haberi. Summa imperii in militem ac naves Eſſexio tradita, vitandis malis quæ diſcors nuper imperium dederat. Iulio menſe exiêre. Ac primo placidi fluctus & lenis aquilo ferre vela, mox adulta vis venti, & ubi claſſis in alto, Gallæciam contra, cœlum pelagusque in auſtrum verti, qui mixtus horribili procellæ naves ipſas ducumque conſilia in diverſum tulit. Quidam expeditioribus navigiis obliquos curſus in conſpectum Hiſpaniæ produxere; plerique pertæſi maris & periculorum, quo citius in patriam redirent, ventos ſponte ſequebantur. At quanquam Eſſexii fractis arboribus navis teneretur, hiſcerent compages, vix undæ irruentes exhaurirentur, ipſe adhuc obniti & contra tendere: ſed & proſpectus atro nubium, & aures clamore trepidantium, fluctuum colliſu, fragore cœli, impediebantur; metusque præſens officia nautarum & imperii reverentiam abruperat. Ita victus comitum conſenſu naves pleraſque rimis fatiſcentes, vix ut maximo labore aquæ educerentur, ſalvas tamen omnes, decimo poſtquam exierat die in Angliam refert. Vbi dum ſocii exſpectantur & flatus adverſi in portu detinent, alimenti inopia ac ſubeuntes morbi cogunt onerarias ac militem dimittere, una cohorte retenta, quam belli exercitam concedentibus Batavis Verius abduxerat. Contracta cum copiis & conſilia, omiſſaque ſpe belli terreſtris, adventantem India claſſem excipere Azores juxta Inſulas placuit. Sed per obvias iterum tempeſtates laceris aut disjectis Anglorum navibus, Eſſexius luſtrato diu mari, per inſulas populabundus, mox explorantium errore devius abducitur, & alia parte vagatur Ralegus imperii

1597.

Expeditionis Eſſexii maritima infelix exitus.

1597. imperii minus patiens. Hiſpani Angram interim portum averſa in parte Terceræ, quæ Azorum potiſſima eſt, ſubeunt, divitias opimas ferentes; Britannos venti reflantes & prominentia juga diſtinebant. Tres tamen naves, eæque ſegreges exitio datæ aut in prædam ceſſere: pravumque certamen exortum eſt, Batavis Ralegum parti claſſis Anglicanæ præpoſitum incuſantibus, quod captam ſibi navem, dum perſequuntur alteram, per vim eriperet. In eodem itinere modica quædam ac ſine munimentis oppida ab Anglis incenſa, ut Caracca ex India veniens a ſuis, ne in manus hoſtium perveniret. Fruſtrati duces, & cum hyematuro jam mari in Angliam rediiſſent male volentibus irriſi, inter ſe quoque æmuli pridem, nunc inimici, infauſto eventui recta conſilia & ſuos labores præſcripſere. Fortunam nec præſtari a ſapiente, nec ab æquo homine exigi. Gravior Padiliæ caſus, qui paribus, ut nuper, mandatis, ex Hiſpania Britanniæ nociturus mittebatur, centum & octo navibus, in queis militum octo millia; multumque proceſſerat, cum turbidis ſeptentrionibus galeones tres, ſex naves aliæ, virumque & auri vis magna mergitur. Reverſus domum Padilia, imprudentiæ, an infelicitatis jam ſæpius expertæ, reus, claſſis præfectura demovetur. Datus ei ſucceſſor Didacus Brocarus.

Gravior infelicis iterum Padiliæ caſus:

Præfectura demovetur.

Hæc æſtate naves Hollandicæ quatuor, quæ vere ante tertio exierant, primæ omnium ab Indis revenere. Nec major civium lætitia quam admiratio fuit, audientium circumciſos genitalia velatosque, cætera nudos agere, qua in Orientem Africa vertitur, inſulæ Madagaſcaris populos: hi quomodo Deum noſſent ignorarentque: quanta infelicibus geniis illic licentia: tum vero ipſos non ſe nominibus, non tempora diſtinguere; moris noſtri adeo ignaros, ut e ſtanno cochlear bove mutarent. Narrabatur & periculoſa tantis periculis nautarum ſeditio: tum infida Barbarorum ingenia, quos paſſim, & in Iava maxime, Luſitani emerant, ut ſpecie pacis cædem & prædam occultarent: hinc prælia & moræ. Nec nulla in Batavis culpa: nam miſſos eo a parentibus aut agnatis, quos æs alienum malive mores patria expulerant, vitia ſua comitabantur. Ac tanta quorundam ſtupiditas fuit, ut ſuſpicaces inter populos Bantamenſis portus profundum claro die explorarent. Inſulam eſſe Iavam, Britanniæ ferme parem, non, ut quibuſdam creditum, Auſtralis continentis partem, circuitu patuit. Reges habet plures:

Primæ Hollandorum naves ab India redeunt.

Harum de India ejusque populis relationes.

pars

1597.

pars falſa numina more avito colunt, pars Mahumeticos ritus non ita dudum accepere. Viſa & Sumatra, major Iava, & minor Balis inſula: inque reditu alia, cui Helenæ nomen eſt, multarum rerum ferax, ſed nullo hominum cultu. Ex eo piper & fruges aliæ cœli calidioris a Batavis peti cœpere, quod commercium Venetis olim lucroſum per Ægyptiacas trajectiones centum fere per annos Luſitani, Oceani iſtius repertores, longo navigatu & dono Pontificis, ſoli uſurpaverant. Primum iter plurimas poſt difficultates, damni tamen exſors, ſpem lucri in poſterum fecit: ac per Hollandiam plures Zelandosque & exſules Brabantos impulit, ut idem majori navium numero auderent. Ab ipſo vere multos jam in menſes protrahebatur Ambiani obſidium, dum Rex, quamvis haud invalido cum exercitu millium quatuordecim, parcus ſuorum ſanguinis, nec avidus alieni, caſtra munit adverſus internam externamque vim: primumque conjurationem civium, *&, ea poſtquam patuerat, replere foſſas, ſuffodere vallum, incruenta & longa agitat, haud ſatis gnaris talium obſeſſoribus; nec obſeſſis virtus aut artes deerant, quibus in ſpem auxilii moras ducerent; ſuſpecti civium ad ter mille ejecti: eques, dum coit hoſtis, ingreſſus augebat præſidium. Peſte quanquam afflictabantur, crebra proruptione pro mœnibus pugnatum, varia fortuna, quæ claros utrimque, & ipſius doli auctorem Portocarreram abſumſit: & flumen objectu molis oppidani in hoſtem fuderant. Sed repulſis ſæpe, qui per neglecta intrare urbem & numero firmare mittebantur, ipſe ſub autumnum Archidux, veteribus novisque copiis & avitum in morem excita Belgarum nobilitate, quæ in pedites & turmas compoſita ibat, famæ major quam ſpei ſupervenit. Primo aſpectu apparebat, nec munitiones regias perrumpi poſſe; nec venturum hoſtem, ſolito jam cautiorem, ad prælii incerta. Parvæ manus temere concurrebant: & jam Picardia vaſta bello penuriam victus, inde morbos vulgaverat. Hæc, ut diſcederet, Archiducem perpulere, languentem & ipſum dolore amiſſæ urbis, quæ, elapſis octo dierum induciis ex pacto, ſi auxilium interim hominum plus mille non penetraret, Henrico redditur, & hic, quo minus inſtaret ſucceſſibus, Dorlani ab obſidio, metu hyemis, alimentorum penuria, detrahebatur. Mittit mox partem militis Albertus, qui Oſtendæ exitus obſepiret caſtellis, oratu Flandrorum, quando obſidium, loci explo-

Batavi piper aliaque a Venetis & Luſitanis antea haberi ſolita ex India petunt.

Portocarrera Ambianum defendens occiditur.

Fruſtra Ambianos obſidio liberatum proficiſcitur Archidux.

Henrico ſe dedunt.

Albertus Oſtendæ exitus obſepit.

1597. exploratis munimentis, quæ terra marique aderant, & infirmitatis in præſens conſcientia nondum audebat. Interim coercitæ populationes, queis Eduardus Noriſius præſidio impoſitus impune per agros graſſabatur, terribilior hoſti, ex quo nuper Alvarum Agilarium Dunkerkæ præfectum alia cum præda abduxerat. Vnam hanc rerum ſeriem finem ad anni producere libuit, ut quæ Batavis interim acta, nec iſtis continua ſeorſim ponerem. Quieverant in multam æſtatem, dum pecunias Gallia, militem Britannia detinet, exſpectantes aut alia negotia, aut ſeditionem hoſtium. Avocatis in Ambianum Alberti copiis, placuit agendi occaſio; ſed qua parte bellum gereretur, certantibus in diverſa nationum ſtudiis, Principi ac Wilhelmo Senatuique arbitrium permittitur. Placuit his excutere hoſtem præſidiis, quæ non multa Hiſpano reſtantia Transiſalanis in partibus Fridericus Herenbergenſis cuſtodiebat, ut bello intra Rhenum redacto, quicquid agrorum ultra patet, hoſtilibus tributis eximeretur. Id quo tutius proveniret, (nec enim copiæ pares domi ſuppetebant, & metuendum, ne Hiſpanus mutato conſilio recurreret) viſum eſt iter auferre ſecuturo, præceptis qua Rhenus transiri poterat. Idem ad famam egregium tuendis ſimul finibus erat, utque in Germaniam commeatus pateſceret, ab hoſte interclufus non levi in mercaturam damno; dum mari accepta per amnes differre aliaque reportare prohibetur. Tum primum Henricus Fridericus annum agens quartum & decimum, Lugduni ad eam ætatem liberalium ſtudiorum primordiis operatus, ad belli rudimenta aſſumitur. Quo comite, pluribusque ſuæ domus, Princeps & cæteri duces, clam habito conſilio, ita ut cui loco potiſſimum caveret hoſtis diſpicere non poſſet, Gravewartam contendunt. Peditum ſeptem millia, equites ducenti ſupra mille correpti eodem, Rhenum pontonibus, inde Vahalim connexis ratibus tranſiere, currus & ſarcinas ſecum trahentes. At naves impellente vento flumina ſubvehebantur, in queis tormenta muralia quadragena, & cætera ad hanc copiam. Procedit agmen ſecundum ripam quæ Gallica olim, ſive & Romana dicebatur: in itinere Alpa arx & municipium modicum, conſpecto exercitu & machinis, (ſolent enim convehi leviores) ſine mora deditur: eodemque veſpere miſſus eques qui Bercam ambiret. Sunt qui olim Tiberiacum dictum putent, & reſtare veſtigium contracto in barbarum vocabulo. Exiguum id oppidum, ſed

Transiſalanis præſidiis Hiſpanos excutere aggrediuntur Fœderati.

Henricus Fridericus Mauritium comitatur.

Capta Alpa Bercam obſident.

ſed opulentum portorio, quia Rheno imminet ex ea, qua dicimus, ripa; Xantemum ſupra*, quæ Vetera creduntur, Legionum olim obſidio belloque Batavico nobiliſſima. Sed ex obliquo Veſalia aſpicitur; tergum citima Geldriæ, latus utrumque Clivia ac Iuliacenſis regio includunt. Ipſa in ditione eſt Agrippinenſis epiſcopi; ſed Parmenſis per ſpeciem Truxiani quondam belli multum certato inſederat: ex eo, præter ingenium loci & vetera operum munimenta, præſidio non minus mille hominum e Belgis Germanisque ſervabatur. Parte ſupera fluminis inſula, ambitu patens in tria millia paſſuum, oppido adhæret, ſolo amne diſcreta, qui parvam modico ambitu circumvenit. Huic Princeps quantum ſatis erat militis imponit, & pontem alveo, quo pabulis & commeatui proſpectum foret. Dein, pluvio quanquam cœlo, caſtra locat, locis maxime duobus: ſed, nequid pateret, media perpetuo aggere & foſſa ab utraque fluminis parte juſſa concurrere. Ita clauſum oppidum, quia naves Rhenum obſederant: at paſſim viarum & ignobiliorum fluminum munimenta caſtrenſium cuſtodiarum vicibus firmabantur. Quæ poſtquam diſpoſita, alter fodiendi labor oppidum verſus tutos meatus moliebatur: nec obſeſſis audacia opus hoſtile eruptionibus turbare; telorum ſe jactu eminus vindicabant; non alterius rei major illis copia, cum nullius indigerent. Inventæ enim in urbe machinæ ferme octoginta: his munitiones, his ſiquid in oppido arduum compleverant; præcipua tales ad noxas turri, quæ palatio eminens amni proxima infeſtabat. Hinc multis cadentibus in caſtris miſeratio, metus, ira: quippe & Ludovico Naſſavio in tibiam inciderat globus, & Principis periculum cognoſcebatur trajecto forte tabernaculo. Obſeſſores contra tormenta diſponere; exarmataque turris, nec quiſquam auſus inſiſtere. Sed hactenus per intervalla ac ſpiramenta: poſtquam & foſſa impleri, &, quanquam cœlo inimico, continentes per pluvias late ad aggerem procedere vineæ cœperunt, haud intermiſſæ machinæ, quæ portam flumentanam ex inſula, quam diximus; at averſa oppidi e ſolido concuterent. Miſſi qui deditionem obſeſſos poſtularent, ut jam manifeſto, non inanes eſſe minas, cum oppugnationi proxima tentarentur. Negatæ precantibus induciæ; & continuati eo die ictus bis mille. Atque interea Wilhelmus Naſſavius imminens amni lunatum munimentum ſupervaſerat; pulſis multa per tela propugna-

1597.

Ludovicus Naſſavius globo vulneratus.

1597. pugnatoribus. Perculit obſeſſos denunciatio acrior, inſtare extrema; nec, ſi ultra tenderent, veniam fore. Ita Berca decimo die traditur, egreſſo præſidio cum eo quod cuique ſuum: publicæ hoſtium machinæ & naves, ut ſemper, victori acceſſere. Sunt qui præmaturum timorem accuſant, cum maxime Hermannus Comes Herenbergenſis Geldriæ rector præſidio adventaret, ſive præfectus culpæ affinis, jactantiæ immodicus, & ante pericula inſolentior; ſive & miles, quem mox, ut exierat Geldra, in oppido ſeditione incenſum plerique retro arguebant. His perpetratis legati a pontifice Agrippinenſi & ſacerdotum collegio Principem, indeque Ordines adiere, repoſcentes oppidum liberum nec obnoxium bello. Movit Ordines loci maxima oportunitas, ut hanc ad formam reſponderent. Quanquam noſtrum videri poteſt jure victoriæ quidquid hoſtis poſſedit, non tamen vana vos cepit fiducia Batavæ æquitatis, cum quod Hiſpanorum violentiæ tam diu permiſſum eſt, id e noſtra manu vindicare non piget. Cederemus ultro, ni priora docuiſſent defenſando vos impares. Immerito miſer eſt, cui fraudem affert aliena ſocordia. Iam ſi ad Bercam Hiſpanus ducat, vobis eadem quæ ſuper Bonna & Noveſio cura: nos haurimur excurſibus: noſtra nobis terra & commune flumen eripitur; ita non reddimus urbem, ſed dedimus. Quin potius veſtram illam creditis, ſed nobis pignori conceſſam, nec tantum adverſus periculum, ſed impenſarum nomine, quas certe exſolvi æquum erat, ſi vobis vicimus? Cæterum vectigal, quod Epiſcopo dependi hic ſolet, ſalvum illi promittimus. His tum illi verbis dimiſſi. Nec tamen Bercam Ordines ut ſuam muniere; refecta tantum quæ oppugnatio corruperat, & data præſidio cohors cum modico equite; tum, nequid propter hoſti pateret, æquata ſolo Mutiliana, quia firmare, quantum ſatis, longum videbatur. Exciverat id caſtellum Rheni in ripa Camillus Sachinus Parmenſi militans, egregio ſitu; utque creditum in ipſis Aſciburgii veſtigiis, oppidi cujus originem ad fabuloſos Vlyſſis errores priſca etiam Germania retulit. Ipſe patriæ ſuæ Parmenſi ſolo ſitæ nomen indiderat. Nec dubium, quin iſto opere auctor in longum ſibi famam & memorem ſui poſteritatem promiſerit, quod tum præterequitante forte Hohenloio, qui haud magno comitatu in Germaniam proficiſcebatur, magna trepidatione deſertum, & Principis juſſu

Bercæ deditur.

Agrippinenſis pontifex oppidum repoſcit.

Ordinum reſponſio.

Mutilianam Fœderati ſolo æquant.

juſſu deletum eſt; irriſa multum hominis Itali arrogantia, 1597.
qui fundatam animi virtute (verba ipſa referam) & inexpugnabilem arcem inſcripſerat. Hoc tempore ad Neoburgicum ac Brandenburgicum ſcripſere Fœderati, maluiſſe ſe facto ipſis viam in Clivios aperire quam verbis polliceri. Superefſe ut ipſi opportuna vindicando juri tempora arriperent. Iisdem in partibus Murſa eſt Agrippinenſi in ſolo, ſed Cliviæ clientela. Comites, qui tenuere, vocabantur. Vltima gentis hæres Valburgis ſupererat, clara Hornani quondam matrimonio, & per Albani ſævitiam vidua, rurſumque Nienarii gentilis ſui nuptiis tradita orbataque. Ea in Batavis degente Hiſpani oppidum & arcem haud invalidam annos ante undecim capta præſidio tenebant, cujus auxerat numerum ſupra octingentos Hermannus Herenbergenſis ad Bercæ famam excitus, & irritus auxilii, neque par prælio: ideo quod reliquum erat copiarum ſecum trahens retro cedebat ipſe Moſam ultra. Seorſim a ripa jacet oppidum, quo facilior acceſſus hoſti ac plura obſidenti incommoda. Situ cognito binis Princeps locis, ſine vallo tamen, depoſuit agmen: accedere incipientem propius imbres fundens autumnus tardabat. Tertius dies ad foſſam perduxit, quæ tribus locis obruebatur. Nulla adhuc ruinis efficiendis tormenta ſonuerant, ſed ſtatui complura Mauritius juſſerat, pontemque parari velut impetum facturus, cum nec exſpectato præfectus oppidi arciſque (Andreas Miranda nomen habebat, gente Hiſpanus) ad pactiones venit, mutatis obſidibus: quanquam paulo ante per literas a Mauritio rogatus arcem ſi poſſet tutaretur, parceret oppido & extra jus belli poſitis civibus, ſuperba reſponderat. Permiſſum exeunti, ſigna, arma, & machinam unam avehere, dum Princeps inanium conceſſione moram belli redimit, & ille falſi honoris imagine dedecori ſuo blanditur, quanquam ſuper Bercæ exemplum prætendens pulveris nitrati penuriam: ſed & is comparari potuerat, & non defuerant trahendi artes, refecto modice oppido, ni formido præveniſſet. Dum Friſiorum robora Mauritium ſequuntur, Fridericus interim Herenbergenſis Linga aliisque præſidiis abducto milite in Septemſylvas (id parti Friſiæ nomen eſt) populabundus irruit; incenſæ villæ, abducti captivi & præda. Sed nihil privata incommoda publicis conatibus obſtitere. Rhenum itaque ponte tranſit Batavorum exercitus, qua Orſæum eſt vicus. Victores hactenus, hic quoque

Ad Neoburgicum & Brandenburgicum ſcribunt.

Murſam Mauritius capit.

Herenbergenſis partem Friſiæ populatur.

Batavorum exercitus Rhenum tranſit.

1597. quoque eadem fortuna ſecuta eſt, obvio nemine, dum in Gallico fine hærere Albertus eligit, eoque præſidiis paventibus. Etiamſi paria antiquis bella, & concurrentes in unum regni aut populi præpotentis vires tanta caſuum ſimilitudine & ſatietate memorarem, mirandum haud foret, ſi & ego copia fatiſcerem, & eorum, quibus talia viſerentur, tædium deprecarer. Nunc in tenui labor, & ne ſigna quidem collata; infeſtas acies, claras mortes, magna diſcrimina, referre datum: ſed obſidia oppugnationesque, nec illuſtrium oppidorum, conjungendæ obvenerunt; majore, ſi quid judico, uſu, quam oblectatione. Nam & alibi olim & majores apud noſtros numeroſi exercitus, quinquaginta ſæpe & ſexaginta millia, campo ſtetere, belli exitum ſecum tractura; qua tempeſtate ars fuit librare ictus, tenere veſtigium, hoſtem impellere. Sequens ſæculum ferociæ minus, ſolertiæ plus habuit, nec, ut ante, feſtinati caſus, qui de re ſumma judicarent; ſed muniendo præverſa pericula, & ex adverſo vis reperta, cominus, eminus, qua pateſcerent clauſa, & ſiccato ſi quid humidum, hiantia æquarentur, ardua deſcenderent. Quæ ſi quis indagare, temporumque & belli gnarus haberi velit, nulla exemplis terra ante hanc noſtram, qua urbibus crebriorem alteram, præſidiis firmiorem, diu & fruſtra quæras. Huc cuncta priſcis & recentiorum ingeniis inventa confluxere, trahente ad ſe belli diuturnitate externos undique ſpectatores, velut ad publicam armorum diſciplinam. Quippe hoc ipſo tempore duces comitesque & e Germania, Gallia, Britannia, longinquiorque nobilitas Principem Tranſiſalanum ad bellum proſequebatur. Ipſe Lippiam ultra amnem ibat, Germanico ſolo; naves Rheno, inde Iſala devectæ Duſoburgum venere. Haud multo interius Grolla occurrit Zutphanienſis ditionis, quæ & prima loco, & fruſtra biennio prius obſeſſa, ni cederet, exprobrare videbatur. Nec vulgaria oppido munimenta Caroli Quinti pro iſtis finibus curam oſtentantia: moles quinque ex aggere prominebant, eo flexu, qui oppugnantes undique ſub ictum daret. Haud amplum urbis ſpatium tuebatur Iohannes Comes Stirumbius peditibus octingentis, & turmis tribus; nec omiſerat, audito in ſe veniri, denſare munitiones. Queis nihil territus Princeps, quin lucro deputans incluſos equites, qui vias infeſtas tenere potuiſſent, contra eruptiones, tamen ſolito diligentior, foſſa perpetua caſtellis intervenientibus una no-

Grollam obſidet.

cte

ćte duas urbis regiones includit. Octingenti milites inſtabant operi, quos bis mille armati tuebantur. Proxima nocte regiones duas alteras pari ſedulitate circumvenit; diebus firmata opera: inde verſus oppidum per anfractus via ſcindebatur. Quæ dum fiunt, & mox aquis deductis, quas clauſtra continuerant, foſſæ oppidi humus ſuperingeritur: haud deſtitere obſeſſi recuſare deditionem, ac tormentis ſe ulciſci. Simul proruptum aliquoties, donec a machinariis Mauritianis injecti oppido ignes, & late paſti ſexaginta ædium incendio ad curam ſe ſuaque ſervandi ab operum impugnatione converterunt: nec tamen deficiebant, quanquam intus flammis & vulneribus, extra mali incogniti metu gravius conflictabantur: interiores quoque aggeres, quo ſe tuerentur, ſi præjecta fallerent, duobus locis orti. Sed poſtquam vineæ ſeptem ad oppidi proceſſerant munitiones, quas, ſubjecto pulvere, & deſuper tormentis viginti quatuor, convelli Princeps jubebat, ut undique patentibus incurſaret; oblata venia, acceptaque. Is erat obſidii dies ſeptimus & decimus. Dati qui deducerent cum equis ſignisque abeuntes: & ægris currus ac navigia: ſed lex impoſita, tres intra menſes cis flumen Moſam arma ne ferrent. Duarum ferme horarum itinere Grolla Brefurtum diſtat, ditionis ejusdem tenue oppidum, ſed tutela loci inter prima: quippe unus perpetuus agger oppidum permeat, nec alius præter hunc aditus, tenuem præter ſemitam. Cætera circum late ſepſere invia paludum & veſtigium recuſantia, quæ ut quisque acceſſit, hæret illuvie: non iter oppugnantibus, non caſtra manſuris. Nec reliqua ſegnius proviſa: murus antiqui operis foſſa præalta cingebatur, Martini Roſſemii opus, cum quadraginta ante annos illic bellaret: trecenti intus milites pro modico oppidi ambitu ſatis placuere. Sed hos in præfectum, cui Gardoto cognomentum, & oppidanos diffidere rumor inceſſerat, quo major vis externo terrori ſperabatur. Haud tamen auditi qui deditionem flagitabant, prægravante præfecti imperio, cui pro rebus præſentibus etiam nimium animi fuit, ſeu fiducia loci cætera concordes in hoc conſenſerant. Pertendente Mauritio commovit militem tanta laboris ſpecies, & gravius adverſus vaſtas paludes quam cum hoſte certamen, ignarum maxime, quos gurgites atque voragines fallax ſoli natura occultaret. Nam & quæ ſolida quondam, uvido tunc cælo, & continuis imbribus fluitantia

1597.

Grollæ deditio.

Brefurti obſidium & expugnatio.

1597. differebantur, itinerisque limoſa tenacia gravi cæno & ubique incerta erant; nec uſquam humus unde aggerem ſumerent. At ubi Princeps prætentatas ad Gertrudisbergam Covordiumque artes admolitus eſt, cuncta experiendo leniebantur. Et ipſe hortator, idem monſtratorque operis, parte copiarum ſub Solmenſi tribunoque Brederodio dimiſſa in utramque regionem, quæ portis reſpondet, quod medium ad Septentriones, difficillimumque ſibi ſumit. Humentia camporum virgultis advectaque humo & ſaxis infarta, tum aſſeribus ſuperpoſitis ſolidabantur, aquis altioribus ſcirpei faſces contexti natabant: ita facto ſolo impoſitæ crates ingeſta terra binæ modicis intervallis: id in lubrico munimenti erat, quo viſus magis quam tela hoſtium vitabantur. Perductusque agger tumulum usque non procul oppido exſtantem, inſigni nautarum opera, queis mos pericula contemnere. Ibi viginti machinarum ponderi fundata ſedes: tantumque octo intra dies laboris exhauſtum eſt, ut perventum ſit ad oppidi foſſam. Sed aquas hinc derivandi nulla ratio, cum late patentibus campis incidentes imbres, infernæque ſcatebræ plus ſemper ſubmitterent. Hac fiducia, & quod Fridericus Herenbergenſis trecentos ſe milites auxilio per vada miſſurum promiſerat, deditionem obſeſſi adhuc recuſavere. Res ipſa ad oppugnationem ſpectabat, nec deſinebant duces, Angli maxime, multis illic ſuorum amiſſis incitare Principem, ut poſt imbelles fodiendi labores aliquando militem ſanguine & præda animaret. Satis multa exſtare clementiæ exempla, dandum & ultionis: eſſe, ut rerum omnium, ita veniæ modum, & fines, quos intra repugnare liceat & ignoſcere, quando terror & moderatio in gloriam & uſum, nimia facilitas in deſpectum ac faſtidium vertat. Concedi ſane publicis armorum commerciis & honori virtutis militaris, ne infelicem fortitudinem pro crimine victor interpretetur: at non, & ſi quis minas certumque exitium contemſerit, pertinaces ſine viribus moras impune ſemper tuliſſe. Iam tormentis turres & propugnaculorum ſumma conciderant; & quæ portam extra munimenta verberata diu in poteſtatem venerant. Valli ruinas corporibus & armis obſeſſi tuebantur, ſaxaque & glandes jactabant. Sola impetum foſſa intercedens morabatur. Huc pons e ſubere, paratus in proximo, repente immittitur. Nautarum hæc quoque opera plena diſcriminis; ipſi etiam, ultra quam juſſum auſi, vallum

vallum ſubruere cœptabant, ſpretis ſuorum quoque telis, quæ eam in partem ferebantur. Ponte viſo velut miraculo attonita plebs oppidana, non animo, non manu competere; ſed deſerere alia, huc omnes concurſare. At ubi jam certo gradu, & velut per plana ingredientes vident adſtare retro aciem fulgentibus ſignis, trucibus oculis, minaci ferro, & ſtrepitus glandium loquendi audiendique vices ademerat, oſtentantur capitum tegmina, oratæ pacis indicium: ad quæ, cum Mauritiani præter vulnera nihil redderent, illi in arcem integram adhuc refugi objecere inſequentibus miſerabilem turbam fœminarum & infantium, quam in genua ſidentem protentis manibus, quamvis irato victori, ſexus aut ætas conciliabat. In fuga interempti fere ſeptuaginta; qui penetraverant continuo ſe atque arcem poteſtati Principis permiſere, qui lætus expleta ultione ſupereſſe veniæ locum, vitam dedit, pretiumque impoſuit, quod expugnatori militi ſolveretur; in id obſides dilegit. Sed oppidanis & hoc poſtea remiſſum; habitationi recolendæ adverſus incendium, quod ortum nocte globo ex ignito, qui extinctis aliis inobſervatus domos plerasque corruperat, vetante ſupprimi flammam ſtramenti copia. Atque interim præfectus non minus odii ſuorum ob acerba imperia, quam iræ hoſtilis conſcius, & metuens ne miles pertinaciam ſupplicio ducis expiaret, non communem cum aliis fugam intenderat, ſed ſpecu ſub oppido nigra deliteſcens molliora tempora exſpectabat; unde protractus in lucem, ubi Mauritio adſtitit, multum veteris contumaciæ retinens, incipit pro ſe diſſerere, de fide partium, quæque alia fractis rebus haud tuto jactantur. Ad ea cum Princeps contra ingenium modo ſævire coactus hoc ipſum illi imputaret, cujus proinde pœna juſtius quam plebis aut manipularium ſanguine tanta temeritas lueretur, & vox ſimul & vultus concidere; demiſſusque ad preces & lachrymas vitam retinuit. Pauci dies militi inter exhauſtos exhauriendosque labores renovandis corporibus dati, nec leve ex præda ſolatium. Nam vicini undique velut tutiſſimum in receptum ſuas illuc ſarcinas contulerant. Fœdo per imbres cœlo ſoloque Transiſalanum iter imminebat, ſævius bello, cujus pleraque terror confecerat: nec erant oppida, quæ prioribus comparares. Gova ſponte deſerta eſt: Enſchedæ præſidiarii, pars obvii in itinere conciſi; & qui remanſerant admota tormenta videre tantum, idque ſatis fuit. Diviſæ inde 1597.

1597. *Othmarſo, Oldenſalia, aliisque oppidis potitur Mauritius.* copiæ Othmarſum & Oldenſaliam petiere. Priſcam oppidi utriusque originem a Marſis Saliisque (haud ignobiles Germaniæ populi fuerunt) nominibus indicari exiſtimant. Othmarſum, quod quinquennio ante oppreſſum amiſſumque retulimus, redditum nunc ſtatim: nec moram milites faciebant, ſed ab hoſte impetraverant, ut mœnia tormentis percutiendo ſpeciem augeret neceſſitatis. Oldenſalia triduo perſtitit. Nam circumjecta oppido valla tria foſſasque centuriæ ſex impleverant, verbo magis quam numero, ſed quæ veteres ſtipendiorum majoris turbæ loco eſſe poterant. Celerem deditionem oppidanis ſe gratificari præferebant, ne ædificia nullo moræ præmio lacerarentur. Simul hæc oppida ceſſerant, decreto Transiſalanorum Ordinum dejectæ munitiones, quia perficere haud dignum, & metus erat, ne ſic relictæ hoſti reditum darent. Vnus adhuc, ſed arduus propinqua jam hyeme, reſtabat labor, quo omne dextrum Rheni latus pacaretur. Nam pars illa Germaniæ, quæ cum Belgis in nomen imperiumque coaluit, ad ſolem orientem accolas Weſtphalos, & prope littus Emdanos habet. In hoc *Lingam obſidet.* confinio Linga eſt, trans Amaſium flumen; Teclenborgiæ domus hæreditas: ſed imperator Carolus, quo bello fœdus Smalcaldicum perculit, Maximiliano Burenſi in præmium militiæ conceſſam poſſeſſionem inde in ſe traxerat; avidus tranſeundi veteres terminos, ut & interioribus præſidium obtenderet, & promineret ipſe in ripam ulteriorem, qua Hamburgum & Brema Germaniæ maritima adeuntur. Civilia per arma Arauſionenſis, quo tempore Belgarum ſecundiſſimis ſtudiis utebatur, inter cætera hanc urbem regionemque dono acceperat. Lingæ haud nimia firmitudo, quanquam Fridericus nuper Herenbergenſis transfugæ indicio prælocare munimenta cœperat. Arx validior dimidios in orbes quatuor pari ſpatio ſinuatur: præſidium id temporis ſexcenti erant, pedites plerique, modicus eques, ſed flos non dubie partium regiarum. Plures ne contraheret, obſtabat juramentum, quo, qui proximis exierant oppidis, militare trans Rhenum intra tres menſes vetabantur. Notant, quibus promtum ex eventu retro judicare, rectius facturos fuiſſe Hiſpanos, quando perrumpere obſidia ſpes nulla erat, ſi nudatis cæteris in unum locum vires contraxiſſent: nunc, cæteris perditis, ipſe Fridericus huc ſe contulerat, pro ultimo præfecturæ munimento cunctis viribus certaturus; ade-

rantque

rantque tormenta ex ære & ferro, aliaque ad tutelam aut ultionem. Hoc contra oppidum Mauritius, præmiſſis qui Dinclæ amnis tranſitum occuparent, ſubſecutus ipſe quarto die trans Amaſium ſtetit; ubi hoſtem invenit villas ac ſtabula incendio populantem, quo cogitur oppido longius per vicos militem diſponere. Ea tum caſtra fuere, nullo hoſtis externi metu: proinde neglecta terga, frons leviter muniebatur adverſus oppoſita tormentis tormenta, ſubitosque impetus, queis obſeſſi prorumpebant. Cœlum hac tempeſtate clementius, & humus in colles placide tumens opus occultum facile acceptabat. Penetrato, quod aquis maderet, ſpecus patuere depreſſi oppidanis in pernitiem ſupergredientium, ſed & globis ſuccedentes Mauritiani obruebantur, vi tanta, ut arx eorum ignibus colluceret: idque impunius tunc habitum, quia celerando itineri paucas machinas Princeps & leves convexerat. Majora juſſa Amaſii oſtia ſubire, tardo navium niſu, dum ventus eodem quo amnis rapit. Quæ poſtquam advenerant, bellum omne circa arcem hæſit. Nam & Herenbergenſis quod habebat roboris huc tranſtulerat, & Princeps oppido, ut mox ſuo, parcebat, ne oppugnando ex caſtris, & prius captum ex arce deformaretur. Præcipuus & hic labor aquam deducere, nam foſſam intra ſepto continebatur: cui munimentum præjacebat, defenſum obſeſſis acriter, ita ut & ſuffoſſa ejus cuſpide novam molirentur. Sed ubi id omne vis longa eripuit, oppleta foſſa, promotæ vineæ, tum demum fit denuntiatio, dilata hactenus ob toleratas prioribus obſidiis irriſiones, ſed additum, primam eandemque ultimam fore. Hoc audito Herenbergenſis, & acceptis ab Alberto literis, queis ſuam militumque vitam ſervare in uſus meliores jubebatur, obſidii die decimo ſexto arcem oppidumque tradidit, armis conſanguineis exutus omni imperio, quod hactenus obtinebat. Tum reductus in hyberna miles; clarumque Principis reditum, quod trimeſtri tempore, nec magnis ſane copiis, tanta agrorum itinerumque ſpatia hoſtium ſtipendiis aut prædis erepta, objectu amnium tuta in poſterum reddidiſſet, ut fama externa, ita majora ſolito patrum ac plebis ſtudia celebrabant. Ac fuere Germaniæ principes, qui minus tum forte proſperis Hungariæ rebus Turcico bello ducem ipſum palam in conventu deſtinarent. Non tamen integrum id illi gaudium fuit, ſed corruptum mœrore domeſtico, dum ſoror ipſius, etiam

1597.

Linga deditur.

Magnis Patrum plebiſque ſtudiis redux Mauritius excipitur.

1594. etiam ex matre, Æmilia nuptiale fœdus peragit, clam fratrem Ordinesque; amore ſaucia, & quia tale ad factum facilius venia quam aſſenſus ſperabatur. Intactam hactenus eo malo Germaniſque moribus Emanuel vultu & ſermone pellexerat, haud abſurdus inter obſequii ſimulachra & miſerationem ciere, quod juvenis regio ſanguine per vim atque injuriam paternis ſedibus exſularet: Antonium enim patrem oſtentabat, cui breve in Luſitanos regnum. Hic cum fratre Chriſtophoro Galliam Angliamque & cuncta Philippo hoſtilia oberrans, viſa virgine, & quoties libuit adita, (quam mos licentiam dabat, retentus ex veteri ſimplicitate, poſtquam ipſa periit) in ſpem Naſſaviæ affinitatis inciderat, quanquam, præter cætera fortunæ, religio utrique patria diſſidebat. Prohibiti conſpectu Principis novi conjuges, leniendæ ejus iræ Veſaliam conceſſerunt: inde regreſſi in Hollandiam, haud amplis facultatibus privatum intra modum vivere ſpectabantur. Id eo triſtius fuit in Arauſionenſi filia, Saxonum nepte, quod ante, atque etiam tum, Borboniæ ſorores auctoritate procerum & dicta e publico dote florentes in domos magnis ſolennibus deducebantur. Quippe Palatino principi, ex his qui Imperatorem legunt, Ludovica Iuliana nuptum ierat: Henrico duci Bulionio Iſabella: & Philippo comiti Hanovienſi, haud ſpernendæ inter Francones opulentiæ, Catharina Belgica cognomento collocabatur. Carolam vero, quam Brabanti quondam ſuo de nomine dixerant, ambierat Claudius Tremolia ſtirpe, Tuartii dux, apud Pictones claræ potentiæ: cujus conjugii ergo, ſimul ad viſendos cum matre Galliæ mores, regemque, Henricus Fridericus legationem liberam ab Ordinibus impetrarat. Hyems haud innoxia perruptis Hollandiæ, qui in aquilonem vergit, Groninganæque aggeribus. Etiam Amſtelodami renata ſæpe incendia ſuſpicionem doli hoſtilis fecerant. Apud Archiduces pecuniæ manante inopia, ſeditio militum latiſſime ſerpebat. Initio Geldræ facto Wachtendoncam exemplum tranſiit: mox Caletum, Cameracum, Ardea, Capella, Caſtelletum, Lira, Dorſtanium, Cluſa, Saxum Gandavenſe contage eadem tentabantur. Alibi exacti duces, alibi ipſi ſe ultro militibus junxere. Et ubi quibuſdam paulum numerari pecuniæ cœperat, id quieſcentibus adhuc incitamentum erat, ne inutile obſequium quam præmia licentiæ mallent. Hinc urbes præſidia abnuebant, atque ipſe

Clandeſtinas ſororis Æmiliæ nuptias ægre fert.

Magna Hiſpani militis ſeditio.

cum comitatu ſuo Archidux Venloa excluſus, quod hyemis 1597.
reſtabat, diverſis belli pacisque artibus in annum ſequentem continuavit. Emti proditores, qui Tholam inſulam Hiſpanum inducerent, impia & infauſta conſilia capite expiarunt. Et rurſus, miſſum agmen, quod propugnaculum Bergarum ad Zomam, haud dum conſummato opere, impetu caperet, & aliud quod Gertrudisbergæ portam irrumperet, exploratoribus indicata, abiere. At paci cuncta proniora. Nam & ipſe Philippus feſſus viriumanimique, dum bellum per Gallias externum, maritimum ab Anglia, in Belgica velut civile aſpicit, exemplis edoctus, ſpes alias aliis corrumpi, ſive & præceps morbisque fracta ipſum ſenectus ad mitiora conſilia inclinaverat, condere arma, aut diſtrahere firmatam nuper hoſtium ſocietatem cupiebat. Plerique exiſtimarunt potiſſimum illi viſum, Gallico Batavicoque exſolvi bello, quo ſe promtius de Britannia vindicaret, ſumtu breviore. Nam in Gallia Ambiano, circa Belgicam Transrhenanis urbibus amiſſis, auctæ hoſtium, ſuæ vires imminutæ: vaſtatum & ſolum: exhauſta fides: inde ſeditiones & nunquam conſtans ſine ſtipendiis diſciplina: &, ſi militis pars aliqua mitteretur, urgente hac & illac hoſte, ſuſpectis ob ante acta Belgarum & nobilitate, & civitatibus, quantum vix alias, inſtare periculum: cum Batavis ſecurus ager, ſed præcipue apertum mare, daret multa, plura promitteret. Alberti certe ad Philippum interceptæ literæ, quæ talia loquebantur. Sed a Gallo incipere placuit, quippe id ob ſpeciem etiam religionis haud indecorum, cum Pontifex Clemens ſæpe monuiſſet, ne, recepto Romana ad ſacra Borbonio, ſi ultra tenderet, priora etiam arma videri vellet moviſſe dominandi cupidine, quam cura pietatis: additis quæ pro concordia Chriſtiani generis, & bello Turcico magnifice dicuntur. Quæ Philippus diu ſpreta, probare nunc demum cœperat, poſtquam profuſas in Gallos largitiones, miſſos exercitus contra cecidiſſe videt, irritis quæ ſperaverat, &, quæ pœna nimia ſperantibus, his, quæ tenebat avita, excuſſus. Nec diſplicebat Henrico ſua recuperare, ut parto armis regno per otium frueretur, cunctaque diſſidiis corrupta per annos quadraginta legibus firmaret. Et trahebant huc cunctantem Romanæ religionis homines, adverſa quondam ipſi factio, nunc gratia primi. Quin per vias eunti objecta pauperum turba, quæ pacem ſuppliciter oraret. Conciliandorum regum honos obtigit Alexan-

Philippus in pacem proclivis.

A Gallo incipit.

1597. Alexandro Medicæo, Pontificis legato, & Bonaventuræ Calatagironi Siculo, principi ſectæ Franciſcanorum, qui non omittebant oſtendere Gallo, inter armorum ſocios, belli præmia ejus eſſe qui pacem præriperet. Nec ante tamen ad colloquia venire voluit, quam fides ipſi facta pacis leges ejusmodi fore, queis regnum Galliæ integrum retineret. Hac ſpe a Gallo Bellevrius & Brulardus, ab Alberto, cui pacis arbitrium Philippus permiſerat, Mendoſa, Taxis, Ricardotus & Marienſardus Fanum Quintini convenere, tarde admodum procedente negotio. Henricus interim, ne parum religioſe fœdus exuere videretur, Anglæ per Maſſeium demonſtrat, lento bello, non ut hactenus tabeſcere, ſed emori Galliam. Domos nobiles exhauſtas præliis: populum egeſtate oppreſſum: jacere oppida diruta, incenſa, ſqualleutes agros, miſerrimam principi ſpeciem. Extremum malorum, quod & remedia deficerent. Quare ni propere ſumtu ſociorum exercitus ſibi traderetur, qui poſſet uno impetu bellum abrumpere, quid ſe facturum, cum pacem & illi velint, quibus deferenda ſint armorum præmia? operam tamen daturum, ut quas ipſe leges paciſceretur, eisdem Reginæ ſociisque uti liceret: quibus ſi non idem videretur, at nihil mirum, aliter conſultare eos, qui ſalutem aut prædam bello quærerent, aliter, qui certa cum pernitie certaret. Quo minus fidem Regis accuſare poſſet Eliſabetha, & hoc accedebat, quod illa fœdere quatuor millia auxilio ipſi pollicita, nuper, pauciſſimis conſciis, ut duobus contentus eſſet extorſerat. Toleratumque id Gallo, dum vel vanæ ſocietatis famam cupit retinere, ſed ut meminiſſet injuriæ. Adverſus Batavos non æque facilis color. Miſſus tamen Buzanvalius qui promiſſa præſtitaque ab ipſis auxilia exigua diceret, ac plus Batavis pendere merces, quæ e Gallia avectarentur. Senſerunt utrique artes regis armorum pertæſi; Eliſabetha ſua in Batavos impendia memorare. Nec Hibernia tacebatur, quæ eo tempore, quanquam fractis rebellium rebus, Iohannem Noriſium & Thomam Borrugium, claros olim in Belgica duces, & illic etiam ægros æmulatu, non quidem prælio, at certe bello abſumpſerat. Itaque ſic reſponſum temperabat, ut ſocii bello pergentis neceſſitatibus ſe non defore, ita, ſi pax placeret, adfuturam audiendis conditionibus. Soli Batavi facile cernere, ſe, quibuscum bellum commune gererent, ab his pace diſtingui. Nam reges inter, lex certa concordiæ, abſtinere in poſterum injuriis,

Inter Henricum & Philippum de pace agitur.

Henricus Eliſabethæ demonſtrat pacem ſibi eſſe neceſſariam.

Idem miſſo Buzanvalio apud Ordines facit.

riis, factorum impunitatem accipere & dare: principem & populum ſi recomponas, alter rerum arbitrio potitur, alter luit, quod utrique peccatum eſt. Non ignari interim, quam arduum inirent certamen, ſi tota moles Hiſpaniæ in ipſos verteret, vim & fallaciam hoſtium jactare, his alios fruſtra deterrere, offerre omnia: & Regi adverſum Nannetas euntí præter ſocias cohortes, naves quantas vellet obſidendum ad Ligerim polliceri: majora inſuper auxilia, ſiqua Belgarum Galliæ proxima invaderent. Sed & ipſi novis invitamentis tentabantur. Rex Philippus cum filias haberet duas, minorem Sabaudo dederat, majorem Iſabellam Claram Eugeniam nomine domi ſervabat, quo plures ſpe tanti matrimonii ineſcaret: Rudolpho quondam Imperatori, Erneſtoque & Guiſio duci ſperata, poſtquam præcipuos fœcunditatis annos cœlebs tranſmiſerat, Alberto tandem Auſtriaco deſpondetur; indignante, ut multi tradiderunt, Rudolfo imperatore, quod non ſibi potius pridem petenti is honos habitus. Dotem Philippus Burgundiam cum Belgica dixerat: non tantum ut legitimæ hæredi adverſus fratrem minorem diviſione conſuleretur, ſed & conciliandis eorum animis qui deſciverant: ſi quidem gratius Auſtriacum Hiſpanico nomen; quod illius familiæ vetera benefacta, hujus gentis recentes injuriæ memorarentur. Vana cuncta & irrita apud populos tenaces formidinis & libertatis, qui tot illas unius domus neceſſitudines & involucra, tum vi retenta, traditum nomen Belgici imperii, ſuſpecta omnia arguebant. At partis alterius Belgæ ad literas, queis Philippus ſibi decreta tranſmiſerat, convenientia tempori reſpondere: invitos ſe avelli a Regis obſequio, cujus & juſtitiam & clementiam plurimis exemplis didiciſſent; niſi hoc etiam officii ſui æſtimarent, agnoſcere principis juſſu veram ejus effigiem. Inde in laudes dominorum recentium evecti, illius auditas, at hujus etiam viſas virtutes celebrabant, unum orantes, ne rebus jam cum maxime afflictis opem ſubtraheret. Quæ ipſi cura religionis, quæ miſeratio, externas etiam gentes innumeris obſtrictas beneficiis fateri. Quanto juſtius adverſus ultimam calamitatem, quam hinc hoſtis, inde proprius miles hoſte non minus gravis minarentur, conſultum iri optimæ filiæ, genero conſanguineo, populis avitis, quos ob id ipſum ſuos arbitrari debeat, quod fierent alieni? id ſi ipſi filioque hæredi fixum maneret, nihil recuſare Belgas, quominus quovis ſub nomine eandem ſemper maje-

1597.

Qui & ipſi a Philippo tentantur.

Alberto filiam Philippus deſpondet: Dos illi Burgundia cum Belgica.

Fœderatis omnia ſuſpecta.

Belgarum Hiſpanienſium ad Philippi literas reſponſum.

majeſtatem venerarentur. Inſtabant ſeorſim Brabanti, maxime & Flandri, ut pacis cum Batavo invenirentur rationes: quod ſi ille debitas jamdudum pœnas pertinacia accenderet, ambiendos Principes circum priſcæ religionis, & Sacerdotes, ut cauſam communem armis aut alio ſubſidio præjuvarent: nam & ſi qui magnitudinem Hiſpanicam formidoloſam habuiſſent, eos in ſejunctam potentiam æquiores fore. Quæ, ut vero falſoque permixta fuerint, rerum, quas jam tradere incipiam, ordo aperiet.

HUGO-

HUGONIS GROTII HISTORIARUM DE REBUS BELGICIS LIBER SEPTIMUS.

SUMMARIUM.

Ordines prohibitis cum Hiſpanis commerciis ducum ſuorum peculatibus fruſtra occurrere conantur. Batavici littoris vadis adhærens ingens balæna capitur. VVouda fruſtra tentatur. Diſcordia inter Germanos & Anglos origo. Germani Anglia exacti Middelburgi conſident. Batavi alienis malis fruentes latius navigatus ſpargunt. Muceronis infelix audacia. Ortæ Trajecti turbæ ſopiuntur. Fœderati pro belli continuatione oratores in Galliam & Angliam mittunt. Eliſabethæ reſponſio. Oldenbarneveldius Gallo pacem fruſtra diſſuadet; ejus in Fœderatos liberalitas. Pacis inter Gallum & Hiſpanum leges. Fœderatos iterum ad pacem hortatur Eliſabetha. Novum inter Anglos & Batavos fœdus. Philippus Belgicam Iſabellæ tranſcribit; varii ſuper tranſcriptionis legibus ſermones. Albertus pacem apud Fœderatos urgens non auditur. Militis Hiſpani ſeditio. Albertus in Hiſpaniam proficiſcens Andream Auſtriacum Belgicæ præficit. Mortis Philippi regis relatio. Diſcrepantia hominum de Philippi ingenio ac moribus judicia. Margareta Philippo tertio uxor ducitur. Comitis Friſiæ Orientalis novæ turbæ ſucceſſu carent. Reformati Aquarumgrani damna patiuntur. Mendoſa in Clivios & Iuliacenſes exercitum ducit. Nationum proxime Batavos Rhenum obſidentium deſcriptio. Orſaum & Mulhemum Mendoſa munit. Illato ab illo in Fœderatos terrori obviam eum exercitu proficiſcitur Mauritius. Magna inter Hiſpanos diſſidia. Sibylla Clivia undique in Hiſpanum auxilia concit. Pagorum Germaniæ brevis deſcriptio. Fœderati Germanos fruſtra in Hiſpanos inſtigant. Bercam fruſtra opem ferente Mauritio Mendoſa expugnat. Falkoſteinius contra fidem datam ab Hiſpanis trucidatur. Veſalia cogitur Romanos ritus admittere. Reſſæ & Emmerico Mendoſa præſidia imponit; Iſaliburgum irrumpit. Mauritius hoſti in VVeſtfaliam aditum obſtruit. Hiſpani in Germaniam hyematum abeunt. Emmericum ab hoſtili præſidio liberatum ſibi cum Sevenaria a Mauritio permittitur. Clara per Belgicam funera. Hiſpanorum in Germania execranda flagitia.

NAm fœderati certe Ordines nihil cunctabantur veteribus in hoſtem odii ſignis nova aggerere, promulgata lege, ne qua bello aut navigio idonea ad Hiſpanos ac populos earundem partium vectarentur: inde altera, qua retentæ fruges 1598.

Ordines commercia cum Hiſpanis vetant.

 ges

1598. ges vernaculæ, ne quæſito extra lucro domi penuriam facerent; at Flandria hoſtilis cunctis mercibus abſtinebatur. Quæ inter quæſtus avidos eoſdemque rerum compotes nunquam ſatis ſervata pax etiam Gallica reſolvit, ademto uſu & additis fraudibus. Tum habitis ordinandæ militiæ conſiliis deſcripta armatura, tam in eos, qui haſtis, quam qui tuborum majoribus ac minoribus, pede aut equo merebant; novæque turmæ compoſitæ e reditu agrorum, qui autumno proximo acceſſerant. At poſtquam ducum peculatibus occurri cœpit, jactata multum remedia experimento defecere, nec quicquam profuit turbam cujusque centuriæ circumſcidiſſe, manentibus ad fallendum latebris, per quas inaniti numeri; quo minores erant, eodem pernitioſius hiabant. Quin & ardentiſſimos militum, & quibus plurimum virtutis, quanta eſſe venali ſæculo poteſt, centuriones invitatos hactenus majoribus præmiis, dum ipſi avidius e publico ſumunt, contracta rapiendi licentia cæteris æquabant; unde crebra transfugia, & totas cohortes nudatura, ni hoſtium inopia repreſſi: quibus proſpectis, ſimulque Principis monitu proceres mala, quibus impares forent, agnovere. Alta interim trans Rhenum quies, quando tributa auxerat, movit nationes ut præfectos Mauritium ac Wilhelmum terrarum, aut pecuniæ, præmiis honeſtarent: etiam tunc repertis, qui grati animi teſtimonium ambitioſæ largitionis crimine inſectarentur. Iam in menſem alterum procedente anno caſus rarus magis quam admirabilis, quia vera prodigia non ſuppetunt, oſtenti loco accipitur. Piſcem e balænarum genere, adeo non ignotum, ut maritimi homines nomen ſæpius viſi memorarent, auditum circa littus Hollandicum piſcatores in ejus oræ proximum funibus pertraxerant. Berkheida is locus dicitur, Sceverinam inter alterumque vicum veterem e Cattis originem ipſo nomine teſtantem, unde non procul exitus medio Rheni alveo fuit, ac nunc etiam ſubverſæ arcis veſtigia refugus interdum aperit Oceanus, una operum Druſi illa, ſeu Severi fuit, cui ex adverſa Britannia vocabulum majores indidere. Hic bellua ſeptuaginta pedum ſpatio porrecta, quod fluctus inter & arenæ tumulos propter ſurgentis littoris patet immenſo corpore oppleverat. Affluebat ſpectaculo vis magna hominum nihil territa odore tetro, quem piſcis, poſtquam in ſolido exſpiraverat, ruptis jaciens viſceribus, ipſam maris auram ita infecerat, ut viſentium nonnullos morbis & exitio daret.

Mauritium & VVilhelmum præmiis honeſtant.

Balena 70 pedum apud Berkheidam vadis adherens capitur.

Vel

Vel mediocriter ſapientibus nihil minus mirum videri poterat, quam belluam unam, quales innumeras vaſto receſſu occultat Oceanus, hibernis fluctibus propulſam in vada, ubi æſtu relabente adhæſerat, irrita tantæ molis luctatione indicatam. Sed e vulgo, queis libido cuncta interpretari, ipſaque naturæ aut fortunæ opera in partes trahere, alii opima ſpolia vinctosque hoſtes præcinere Batavis immanis feræ domitoribus, alii dira his omina denuntiare, qui ſuo e pelago tam fœdis monſtris peterentur. Quæ tum etiam, cum ſcriptis ultro citroque certarentur, manifeſta vanitatis annus inſuper refellit, ſegnis, ſi prioribus conferatur. Quanquam & poſt aliquanto vitulam marinam in flumine, quod ejus novum videatur, captam Gorichemo haud longe, ad res ſequentium temporum iſto loco non procul geſtas fuerunt qui ex eventu haud abſurde retraherent. Hoc prope verum eſt, non alio anno plura contra ſpem cecidiſſe, facto initio ab hyeme traducta per inanes conatus. Nam ducibus præſidii Bergarum ad Zomam illectis ut pacto vigilis ſilentio Woudam irrumperent, quod caſtellum interius ſitum dimiſſo in æſtuaria regio milite amnes habebat infeſtos; ſtructor ejus doli, homo timidus non minus quam imprudens, ſimul ad diſcrimen ventum erat, ſuum ipſe conſilium fuga corrupit. At Mauritium claſſem in Flandriam expedientem nulla hominum culpa, vis major dejecit, cum ſine intermiſſione venti ſævientes projecta jam navigia everterent, cæteris non ſine periculo refugia quærerentur. Et forte acciderat proximis diebus, ut caſtellum ejuſdem oræ, quod Birflitæ inſulæ Zelandos ultra objacet, præſidiarii Galli Hiſpano emercanti traderent, tertio poſt anno, quam perfidia Walonis militis in Batavorum manus venerat. Ita penſatum dedecus & jactura. Sed & equites cædendis ad Limburgum centuriis inhiantes, vulgato itinere per altas nives vacui rediere. Iidem Iuliacenſi ſolo interceptos ad hoſtem commeatus ſuperventu turmarum, Buricum juxta, non ſine ſuo ſanguine dimiſerunt. Aliique Leodico & Treveris redeuntes hoſtili occurſu damna accepere: quæ levia & crebra partum anno priore Turnholtanum decus imminutum ibant. Pacis interim bona & aliorum bellis ignota Batavos non deſerere. Quin & Germanorum Anglorumque diſcordia ipſorum in uſus ceſſerant. Originem ejus certaminis, quando Belgicas partes eventu attigit, altius ordiar. Proximis ſæculis ſumma mercaturæ Germanicas penes

1598.

VVouda fruſtra tentatur.

Diſcordia inter Germanos & Anglos origo.

1598. nes civitates fuit, quorum quæ ad mare aut nobiles amnes ſitæ, diverſis e nationibus Venedis, Saxonibus, Boruſſis, Weſtfalis ad ſeptuaginta juſtis commercii legibus in corpus unum coiere, firmato fœdere, cui nomen Anſiatico factum eſt. Nec tantum ſuperna Septentrionis & Belgarum portus Germanica induſtria frequentabantur, ſed & Londini forum poſuere: ubi, poſtquam fide & utilitate in publicum claruerant, permiſſum a regibus, ut modico vectigali res venales commutarent. Sed eo etiam tempore paſcuus Britanniæ ager prope ſolo lanicii proventu externis advectionibus reſpondebat, nec rudia præter vellera quicquam ex inſula petebatur: donec Belgæ domeſtica pertæſi mala, & diverſis de cauſis exſules, ut alia alias gentes, ita purgandæ inficiendæque lanæ uſum Anglos docuere. Eduardi id principatu contigit, qui intentus novi quæſtus partem ad ærarium trahere, ſentiebat ſe Anſiaticis pactionibus impediri. Quæſitis igitur criminibus, queis olim conceſſa eriperentur, Britanni cuncta evertere, interim & offerre Germanis priſca jura, ſi pannorum onus pari cum civibus obſequio ſubirent, dictantes, nihil tam adverſum imperantis officio, quam ſuis gravem parcere alienis, etiam pares ſibi immunitates per Germaniam poſtulabant. Quæ contra Germani nihil profecere, reclamantes novis prorſus commentis empta ſibi tercentum annorum meritis & quatuordecim regibus jurata infringi. Haud minus irritabat inſtituta Anglorum ſocietas, quæ veſtem aliis gentibus ſufficiendo vetera illorum compendia interverteret. Hinc invidia & ad Imperatorem querelæ, præſertim quo tempore per Albani & Eliſabethæ diſſidia Angli Belgica exacti trans Amaſium conceſſerant. Corrumpere merces, & factione comprimere, indicio pretii ad alterum tantum adaucti, incuſabantur. Subditorum jurgiis, literiſque principum extracta tempora, donec per continuas mari prædas ingraveſcente Anglici nominis odio concitor talium Philippus recentibus controverſiis antiquas implicuit, Mendoſa & Clementio miniſtris cauſæ tutelam apud Cæſarem ſuſcipiens, nullo in Anſiaticos ſtudio, ſed quo offenſas accenderet & mare hoſti turbaret: quippe & Lubecam, caput fœderis, miſſa legatione, cujus princeps erat Florus Barlæmontius, quo tempore & Dani regis auctoritas flectendos ad Batavos ambiebatur, increpabat Germanos, qui, præteritis Belgarum aliis, ſolas rebellium opes commercio

attollerent, quod neutiquam medii animi, nedum grati adverſus tale Regis officium. Simul ad arma in Anglos ſumenda promiſſis auxiliis fruſtra ſollicitabantur. Miſerant hæc poſtuláta Germani ad civitates, quæ olim Anſiatici, nunc Belgici erant fœderis, cum literis offenſionem prodentibus, invidia adverſum populos mercatura validos, ſeu quia multis experimentis compertum, vicinas religiones acrius diſſidere, Auguſtanosque Romanis, quanto ſententiæ diverſos, tanto ſtudiis propiores. Hæc anno priore geſta; quo tandem Rudolphi imperatoris decreto Britanni, qui pannos exercerent, imperii Germanici finibus certum intra diem jubentur excedere: nec longius morandi ſpatium Regina Anſiaticis per Angliam indulſit. Initisque fruſtra colloquiis, cum convenire non potuiſſet, Angli Stado egreſſi, quæ præcipua mercatus ſedes fuerat, ex quo Brugis quondam Antverpiam translata negotiatio, inde quoque bellorum malis migraverat, Batavorum urbes, amoto ad limitem bello, quaſi alta pace agitantes, legendæ ſtationi circuibant, quarum æmulatione oblatis certatim præmiis diſtrahebantur. Tandem conqueſti plerisque regionibus aquas eluendæ lanæ inutiles, Middelburgi apud Walachros conſedere, quo loci pars ejuſdem corporis jam olim immigraverat, fractis obſidio & metu Antverpiæ rebus. Ordines, alliciendæ frequentiæ, quæ ad vectigalia & judicia pertinebant, petentium deſideriis aptavere. Quæſitæ diu Anglos inter Germanosque conditiones. Interim Batavi, quos jam ante Flandri domo extorres, Lugdunumque & Harlemum maxime inſuſi lanificio auxerant, alienis undique malis fruebantur. Quin & Luſitania profugi, pars Iudæorum eo in regno reliquiæ, ne patriæ religionis interrogarentur, pars ob ſpem lucri majorem, urbis Amſtelodami magnitudinem præferebant. At navigatus quanto per Hiſpaniam diverſis impliciti periculis, tanto alium in orbem latius ſpargebantur. Naves e Baltico mari ad centum & quinquaginta ventus idem attulit frumento graves, quod tanta mercantium aviditate aut ſuppreſſum eſt, aut eminus diſtractum, ut domeſtica annona nihil laxaretur: idque inter ejus Reipublicæ bona habitum, nec tantum ob quæſtus externos, verum quia neceſſitas onera ita diſtribuit, ut cuncti facilius degant, quam qui agros colunt. Navigatum & mare interius Bizantium verſus Syriæque & Ægypti

1598.

Angli Germania, Germani Anglia exire jubentur.

Germani Middelburgi conſident.

Batavi alienis malis fruuntur.

Navigatus latius ſparguntur.

1598. Ægypti portus, tum Ægei inſulas, auſpiciis Gallici aut Anglici nominis, quæ tuta Batavis fore Rex magnus ſanxerat. Nec tamen vitarunt, quominus aut Hiſpanis intercepti, aut ſi hos vitabundi Maurorum littora Turcarumve remigem incidiſſent, cunctis inter ſe hoſtibus hoſtium loco haberentur: ſæviore periculo, quia belli iſtius fortuna, cum maxime parcit, mulctat libertate. In quo mercatorum avaritiam merito accuſes, qui naves virum armorumque inanes tot periculis objiciunt, ac ne juris quidem ſui vindices barbarorum apud regias diſponunt, contenti illorum ad patrocinium confugere, quorum alteros ſibi adjungendo alteros ſentiant infeſtiores. Gallos quippe & Anglos Batavi ſecuti ſunt, ut ipſi quondam Venetos, ex quo Chriſtianis ſuæ diſcordiæ aut compendia ante ſanctiſſimam ejus nominis ſocietatem fuere. Eodem vere, & quæ æſtas continua fuit, naves haud minus octoginta juſtæ magnitudinis ad longinqua vectæ, pars auriferum Æthiopiæ littus petiere, pars Indos & Moluccas, Americam aliæ, vel quæ noſtro orbi objacet, vel quæ trans Magallanicas Oceani fauces aditur. Minime novum eſt multos conatus quibuſdam adverſis locum dare. Navis itaque Zelandicarum una, quæ ad Indos mittebantur, circa Britanniam clavo vadis adhæreſcente, ſeu quia ſaburra defuit inclinata, totis laterum foribus, ad quæ tormenta locantur (nam forte apertæ erant) accepit mare, ſubitoque merſa homines ipſos & vim argenti exitio corripuit. Damnoſa & Balthaſaris Muceronis audacia fuit, qui inſulam Æthiopici maris Bennino littori præjacentem prope Æquinoctii circulum, (principis ea dicitur) nec ſterilem ipſam, & prætervehentibus oportunam, Luſitanis regique Philippo mercator eripere aggreſſus eſt, novum ſibi imperium animo agitans, quod proceres ac Mauritius petenti in prædam conceſſerant. Ducenti milites nautæque ſpe ampla exciti, fore ut ſexcentorum florenorum vectigal annuum ſinguli poſſiderent. His præfecit Iulianum Clerhagium, inquieti animi centurionem, ac ne patriæ quidem, & magiſtratibus ſatis fidum, ut qui ſub Liceſtrio ſeditionibus non tam abreptus, quam frui voluiſſe argueretur, aliosque juvenes, nec rebus ſufficientes. Prima tamen blandiebantur, doloque per ſpeciem epularum illecti in naves inſulæ primores in verba privati hominis adiguntur, addita ſpe & Luſitanis æquiorem Batavam quam Caſtellanam amicitiam fore, & indigenis

Muceronis infelix audacia.

mitius

mitius ſervitium. Iamque injecta ſolo ſemina, & alia proſpere fluebant. Sed homines ſponte etiam inexperta omnia præ notis veteribus metuentes loci ſacerdos ad arma & cædes inſtigabat: quo concitore, & poſtquam is comprehenſus velut juris imagine occiderat, eo ſupplicio aſperatæ multitudini brevis interdum pacis acceptæque veniæ ſimulatio, perpetuum rebellandi conſilium fuit. At legati Muceronis alii ex inſidiis interemti, non ſine ſuſpicionibus in Clerhagium, ut inſpectores amolientem, & qui ſuperabant miſſa muniendi cura diſcordes inter ſe addebant hoſtibus inſurgendi audaciam. Tandem & cœli intemperie morbis graſſante, mortuo cum aliis Clerhagio, pauci incolumes, quibus præter nauticum victum nihil ſuppetebat, metu auxiliorum, quæ Luſitani proximis inſulis & continentis ora advocaverant, tarde negligenterque ſtructum præſidium deſeruere: cum ſero viri, arma, alimenta, quin & fœminæ, in ſpem naſcentis coloniæ, e Batavis adventarent. Nec Angli interea ceſſabant, e queis Comberlandus comes Vlyſſiponem quadraginta privatorum navibus prætexuit, magno in Batavos uſu, qui clauſis Luſitanis ſoli Indiæ commercia obtinebant, nec minus inſigni hoſtium confeſſione, qui unam prædonum claſſem non auſi ſuis littoribus depellere, antiquiſſimam penes ſe maris poſſeſſionem in poſterum deſperabant. Inde Fortunatas per inſulas Americam delatus auri regii transvectores terrore continuit: ſed mox irrupta inſula, cui Porturico nomen, nihil præter prædam expetiit, fractus ſuorum morbis ut abſcederet, an, ut ſæpe ejus gentis alii, victoria uti ignarus. Sed Batavis ſuo in Oceano damna reponebantur, hoſtibus mare ad furta tantum uſurpantibus, quos Dunkerca jam olim, nunc freto propius Caletum admovebat. Quo commoti dolore piſcatores, & ſi qui nautarum vim eandem ſenſerant, centuriones claſſicos criminabantur occurſus prædonum vitare, ut qui deſperata ſalute in mortem & ultionem dimicarent. Quæſita malo remedia. Et erant qui naves prægraves hoſtiles intra portus ſupprimendas crederent: ſed fluctuum ventorumque vis adjuta hominum manu quamvis molem disjectura metuebatur. Auctus igitur, exædificatis novis, numerus navium, quæ proxime littus hoſtium excubarent, ſervandis egreſſibus, quæque inermibus aliis præſidio adſiſterent. Pars juſſæ ſcrutari effugia, & mare velut decuſſando percurrere: Petroque

1598.

Batavorum ſuo in Oceano damna.

1598. Douſæ modica cum claſſe mandatur freti cuſtodia. Præcipua Ordinum cura, ut creſcente in ſe bello pariter reditus auctitarent: quod modeſte acceptum a plebe conſcia periculorum: niſi quod Trajecto in urbe multitudo nova onera ferocius recuſabat, quamdiu ſacri reditus, quos aliæ nationes in publicos uſus erogarent, privatim detinerentur. Principio inſtitutionis Chriſtianæ, & ſubinde gliſcente ſtudio, clara religionis civitas proventus collegerat, queis virum virginumque cœtus diverſis Divum nominibus ſepoſiti pio ſe otio ſuſtentarent, quod translatum exonerandam ad ſobolem, veterem certe uſum jampridem, at, verſo per hæc arma religionis vultu, etiam ſpeciem perdiderat, dum partim juventus literis operata ſolatium inde accipit, partim ignaviſſimus quisque gratia aut pretio partis per ſaginam & laſciviam abutitur: & tamen iidem eccleſiaſtico nomine in conventu, qui imperat, in conſeſſu, qui decreta exſequitur, ſententiam dicunt primi eodemque jure quo tota nobilitas, quo tertius ordo; cujus partem alteram urbs, alteram oppida faciunt. Vix Procerum fœderatorum Principisque auctoritas iram adverſus hæc vulgi, jam & exemplo metuendam compoſuit. Atque interim Rex Philippus re nummaria ut poterat conſtituta, una cum belli minis promotum ibat pacis illectamenta: ac quia per Belgicam, ut pecunia, ita milite opus, & maxime fidebatur Hiſpano, præter novos delectus, qui circa fines Belgicos agebantur, oppletas viris naves duas de quadraginta, partem ejus claſſis, quam Britanniæ appulſu per tempeſtates excidiſſe memoravimus, Caletum ablegat. Cohortibus (erant millenariæ quatuor) Sancius Leiva, ſummæ navium Pretendona imponitur: is vento obſecundante, & Hollandi perſugæ ductu, plerasque navali intulit, dum Batavos freti cuſtodes adverſus turbo repellit: qui vix obniſi paucas necdum portum intra receptas, littori impegere. Namque id mandati Hiſpanus acceperat, ut, ſi vi hoſtium urgeretur, contemtis navibus militem exponeret. In poteſtatem una venit: contraque morem maritimi belli captivis vita indulta eſt, quia inter conſultandum primi impetus tranſierant, & poſt ſævire inhumanius videbatur. At quæ penetraverant, pars Germanis Danisque docentibus ſuis oris exiiſſe & per Hiſpaniam occupatas, Batavorum conceſſu Oceanum tranſiere: cæteras armis inſtrui, ac majori claſſe, quæ ad Caraniam ſtrueretur, novum mari bellum inſurgere

Trajecti propter nova tributa orta turba ſopiuntur.

Philippus claſſem Caletum ablegat.

ſurgere rumor fuit, quippe mutata paucos intra dies Caleti poſſeſſione. Non multo poſt naves duæ dum e portu eodem furtivum in Hiſpaniam ſperant iter, in manus veniunt, opulentæ mercibus & multo milite, qui belli ac præmiorum ſatur in patriam ſe otiúmque retulerat. Inerant & literæ queis ſenſa noſcerentur, donaque civitatum Fontano deſtinata, quæ ad ipſum Mauritius remiſit. Adventus Hiſpani militis plebi haud usquequaque gratus, ſuo, bellique odio. At Archidux lætus indeptis, quorum egeſtas malorum ſenſu aut metu cuncta perculerat, coalitam Graviæ ob inſoluta ſtipendia ſeditionem Hermanni Herenbergenſis miniſterio diſcutit; quanquam his placatis offendi plures, & inter iſtas velut verſuras manere partibus inopiam captivi & literæ teſtabantur. Hic in utraque Belgica ſtatus ante ſecutam rerum illic mutationem fuit. Nam inter Galliæ Albertique legatos diu agitata colloquia in multam ſpem pacis jam venerant. Et Angla Cæcilium Burgleii filium ſuis arcanis intimum unaque Wilkeſium eodem miſerat. Quare ut legatos in Galliam deſtinarent fœderatos Ordines res ipſa hortabatur: nec minus Eliſabetha cupiens eoſdem libera poteſtate inſtrui, ut cum ſuis legatis pace ſuper & bello ex re conſultarent: quod diſplicuit, ne mox illi, ſi rejicere non liceret, vi regia premerentur. Sed bina decernitur legatio, honeſto comitatu, quarum altera in Angliam abiret. Eam obiere Warmondus, ſæpius jam dictus, utque illic etiam gratioſus ob Gaditanæ expeditionis memoriam, cum Hottinga Friſio & Iohanne Werkio e Zelandia. In Galliam miſſi Iuſtinus Naſſavius, maris Zelandici præfectus, & Iohannes Oldenbarneveldius Ordinum Hollandiæ princeps aſſeſſor, vir patriæ Reipublicæ ſcientiſſimus, ac proinde ea auctoritate, quantam quis ſummam ope ingenii atque induſtriæ in libero populo conſequi poſſit. Atque ego, cum alia multa, tum hoc mihi timendum video, ne ſi qui erunt exteri, quorum in manus iſta venient, mirentur hujus claritudinis nomina apud ipſos etiam celebrata in noſtram ſcriptionem tam raro incurrere. Verum me defendet iſtius imperii, aliorumque omnium nimia diverſitas. Nam ubi urbium acta referuntur, quas ſenatus aut populus regunt, ſi qua incidit ſententia fortitudinis aut ſolertiæ inſignior, ejus ſuaſoribus exſolvendæ gratiæ benigna occaſio eſt; nec in regnis magnarum rerum adminiſtri latent. In Batavis cuncta concilii nomine perſcribuntur, auctorum

1598.

Naves Hiſpanicæ duæ in Batavorum poteſtatem veniunt.

Archidux militum ſeditionem Graviæ diſcutit.

Ordines legatos in Galliam & Angliam mittunt.

1598. ctorum nulla memoria, quos etſi noveris, laudandi locum ambitioſe quæſiſſe videaris, nec plurium vires offenſas, quibus aliena gloria pro exprobratione ignaviæ eſt. Qui Angliam ierant legati multis argumentis Reginam a pacificatione deterrebant, etiam hortantes, ut, quod de auxiliis poſtulatum erat, Gallo aliquid gratificaretur, ipſumque ſua ſponte animatum per legatos ultra impelleret, veteres novasque injurias bello reparare potius, quam internas discordias in gentem inquietem accerſere. Flexoque genu in morem ejus regiæ, cum priorum gratias liberaliter egiſſent: Cuncti, addunt, qui juſtis ex armis ad pacem vocantur, conſiderare debent, verane ac ſolida pax, quæ offertur, an ſubdola atque incerta, bellumque contra ipſis formidoloſum aut anceps, an pace ſecurius ſit. Nam otii bona fruſtra diſferuntur, ubi quieſcere tuto non licet. Te, Regina, ad pacem ſollicitare dicitur Hiſpanus; cujus nos perfidiam cum immanitate conjunctam, & in cuncta dominandi libidinem accuſare nihil neceſſe eſt, cum ipſius magiſtri palam doceant, religionis discordibus nec fidem deberi, nec quicquam divini humanique juris; alii nec hoc diſſimulent, ordinem fatorum Occidenti rerum ſummam portendere, & ex uſu eſſe Chriſtiani Orbis, ut nullum usquam terrarum niſi Hiſpanum imperium ſit. Quod ſi aliis principibus demonſtranda ſit Auſtriacæ familiæ impotens ſuperbia, quæ illum gentilem ſibi angulum cum ultimis Gadibus per incerta fœdera in hoc jamdudum continuat, ut, quantum Europæ utrumque intra finem jacet, id, quatenus ſuum nondum eſt, pro hoſtili habeat, tibi certe quæ ipſa paſſa, quæque periclitata es, nihil attinet memorare. Nam, per deum immortalem, qui non ſemel hoc regnum claſſibus petivit, hujus imperii populos in rebellionem armavit, fas autem omne eousque contemſit, ut in tuum ſacrum caput percuſſores & veneficos immitteret, is quo nunc ſit animo dubitarine etiam poteſt? Manent veteres cauſæ; neque tu de pietate quicquam, neque ille de avaritia mutavit. Hic tibi juſta piaque mente æquam pacem quærere videtur, an ut bellum, quod nunc tuis geritur, ſuis occaſionibus gerat? Ille igitur, ut qui animo præſumtum habeat ſuper res præſentes majus ſemper aliud agitandum, temporibus inſidiabitur: nos autem tanto in diſcrimine ſocordi otio ineſcabimur, ut cum non poſſimus univerſi, reſoluto, quod ille unice optat, fœdere,

Batavorum ad Eliſabetham pro belli continuatione oratio.

dere, ſinguli capiamur? Melius olim populi ac reges, qui ipſi adhuc illaceſſiti, creſcentibus imperiis in tempore obviam ierunt, ne cæteri ſuam in perniciem vincerentur. Sciebant quippe bellorum alia geri ut pax habeatur, alia quia haberi non poteſt. Nam ut aquæ & ignis, quarum rerum contraria natura eſt, ita eorum, qui imperare omnibus cupiunt, & qui ſervire alteri nolunt, perpetua & immortalis pugna eſt: in qua vindicari ſerum, imminentem antecapere prudentis & glorioſum eſt. Non enim puniendis tantum injuriis, ſed prævertendis, maxime regimen principibus & arma cælitus data. Ne tuetur ſe quidem, qui tueri contentus eſt. Nocentes animos irritat impunitas. Sive ut nos ſubigat, ſeu quicquid de nobis fortuna ſtatuerit, Turcicum bellum aliaque prætendens Philippus ſemper armatus terræ marique incubabit: neque illo in armis agente Anglia eſſe poterit aut metu aut ſumtu vacua. Hoc tantum quæritur, timere, an propulſare fortius ſit; & juſtius inſumere civium tributa, an ex hoſte prædam. Societatem tibi noſtram, Regina, non jactabimus, immenſis ultro beneficiis obligati, quæ ne pereant, tua forte nonnihil, noſtra autem, qui grati & eſſe & haberi volumus, ſummopere intereſt. Ad ea ſi quid viciſſim fecimus, quod, cum per onera præſentia amplius non liceret, animi promtitudine commendaretur, id te meminiſſe, quam nos dicere, eſt æquius. Illud quidem compertiſſimum, majores etiam tuos de Belgicis nationibus, ob mores ac ſitum, ita æſtimaſſe, ut amicos aut hoſtes magnum in res ſuas momentum judicarent. Sed ex quo tu majorum decora, quantum aliis virtutibus, tantum miſerando ac bene merendo ſuperaſti, multæ Gallo, multæ nobis victoriæ, nec minus illuſtres tibi tuiſque contigerunt. Ventura ſors Dei bellorum potentis in manu eſt, quem etiam contra ſpes humanas ſecundum adhuc experimur. At quatenus futuri judicium ſapienti conceſſum eſt, cuncta quæ in bello fiduciam indunt, cives, pecuniæ, loci, virtus clara Imperatoris, nihil imminuta apud nos augeſcere etiam poſſunt: hoſtis, niſi ex noſtra diſceſſione, unde creſcat non habet: & quo latius regnat, eo expeditius in magno ac prægravi imperio populus aliquis jugum exuerit: quo caſu ſi quando ille occupabitur, promtum erit aliis regibus conſtituere, quem in poſterum eſſe modum ſuæ ſecuritatis velint. Quod autem contra dici aut cogitari ſolet, non debere ſe quenquam alienæ

1598.

1598. cauſæ & diſcrimini ingerere, haud dicam immiſericors ſententia eſt, adverſa humanitati, adverſa principum gloriæ, quibus quod maximum eſt tollunt, qui benefacere non permittunt: obtineat ſane, ubi quis non idipſum ſibi præſtat, quod alteri imputat. Verbo de nobis, re non minus de Anglia agitur. Nam qui periclitari Batavos ſine ſe, at ſupereſſe ſe propter volunt, hi parum advertunt non æque facile fortunæ, ut ſuis quemque cupiditatibus, finem imponere. Noſtrum igitur exitium vobisne ad vires addet aliquid, aut hoſti demet de libidine, an verius de eo nec dubitat quisquam, nobis depaſtis trajecturum ad Britannos incendium, quos ut divitiis non poſtremos, ita ad periculum ſecundos fore? Quapropter quid interſit conſiderate, Batavo in ſolo, an hoc in littore, his pro ripis atque arcibus dimicetis: nosque ſocios communi ſaluti defenſandæ vos habeatis, an nec volentes Hiſpanus miniſtros ad injuriam. Nam tribus e populis, qui hoc tempore mari plurimum pollent, ſi Batavi Hiſpanis acceſſerint, timendum eſt profecto ne durum Britannis certamen relinquant, quibus Oceanus & claſſis ſola regni munimenta ſunt: ſimulque ne opulentia regum nemo Philippo par ſit, ſi novi Orbis & Indiæ vectigalia, poſt domitam Luſitaniam bello hactenus infeſta, ſemel in tuto locaverit. Ita poſtquam ſuæ ipſi vires ſatis placebunt, quas habuit hactenus odio minores, non magis usquam eſſe Anglis licebit, quam nunc in Germania licet, unde vos emtis edictis, ut profanos & nocentes, totis finibus extorres agit, &, quantum in ipſo eſt, extra hominum commercia proturbat. Sed illud nobis ægre eſt, quod eſſe nonnullos audimus, qui clandeſtinis ſermonibus exempli invidiam nobis objiciunt, & quaſi coram Philippo defectionis reos agunt, quod cui gratificentur nihil nos attinet dicere: illud malumus rerum imperitia neſcire, eos, quod ſola novandi libidine per Gallias Hiberniamque audetur, ad id Batavos adactos excuſatiſſima neceſſitate; qua alioquin confidentia obtrectari auderent, quod reges armis, ſcriptis, fœderibus probavere? Bonum avitum obtinemus, libertatem: ne quis hanc vocem perhorreſcat, florentiſſimam eam credimus ſub legitimo principatu. Atque adeo nec externa imperia formidavimus: & nunc, ſiquis vim, non nomina, inſpiciat, uni ducimur. Nobis, tibi, & cunctis imperiis, Regina, non aliud retinendi obſequii vinculum eſt, quam docere ſub-

ſubditos, præſente ut ſtatu contenti alterum nolint. Atque etiam vide, quanto ille pernitioſius inſtituat exemplum, qui quomodo ipſe dominandi cauſa voluntarium in ſervitium conceſſit, cuncta ſceptra Romano ſacerdotio ſubmitti jubet, neque vero populos, quos ultro concitat largitionibus, ſed reges ipſos rebelles vocat. Huic cauſa & obtentus belli nunquam deerit: ſpes ut aliquando deſint, poſt Deum immortalem, in tua Regina eſt manu, ſi nobiſcum vincere, paratis pro ſociali fide ultima periclitari, quam amicorum ruina vim inimicam prolatare, tuamque conſtantiam tueri, quam beneficia deſtruere mavis. In conſultando diſcors regia, validis utriusque ſententiæ auctoribus, quorum mores & affectus noſcere haud abs re erit, ut appareat quomodo ſuaſorum ingenia publicis conſiliis dominentur. Eſſexius, uti ante diximus, juventa gloriæque cupidine flagrans, ultra patrimonium largitor, totus ambiendis nobilium, vulgi, militum ſtudiis effuſus, nullam in otio ſpem, multum in Batavorum amicitia fiduciæ habebat: quare dux ipſe bello per Britanniam impoſitus pro bello nitebatur, negans omitti poſſe, ni una Reginæ ſecuritas, exiſtimatio, factique ſumtus periclitarentur. E diverſo Burgleius ex privato olim ad aulam ſummumque quæſturæ culmen vocatus, attenta ærarii cura, jam ultima præſertim ætate, cum dominæ parſimonia congruebat, magnis privatim divitiis incubans experientiæ vetus, & hinc auctoritate alterius gratiam præfulgens. Hic gravibus verbis Chriſtianam laudans concordiam, diſſerebat, inter ancipites conſiliorum eventus, quod pium honeſtumque foret pro certo ſequendum: præſens denique commodum ante incerta ſuſpicionum poni debere, pacemque non hoſti magis quam Anglis incremento futuram. An vero adeo male notas patriæ vires, ut niſi volente Batavo ſalva eſſe non poſſet: cum interim & Gallus communi metu, & ipſi Batavi religionis cura, firmioribus ex neceſſitate, quam fœdere, vinculis adverſus periculum necterentur? Quin Hiſpanum infirmitatis ſuæ documento, & rebellionem Hibernam ac cætera facinora, nullo in pace ſubſidio ſponte quietura. Eliſabetha, ſeu vere ambigua animi, ſeu pacis metu alia omnia exprimere cupiens, reſpondit quæſito temperamento. Ab initio nihil ſe inconſultis ſociis ſtatuere voluiſſe: gratum viciſſim, quod mentis ſuæ copiam facerent. Nec leves tamen Gallo, ſibique belli exuen-

di

1598.

Eſſexius cum Batavis bellum probat:

improbat Burgleius.

Eliſabetha cum temperamento reſpondet.

1598. di cauſas, aut quo paci fiderent, amotis exercitibus fore: quippe cum Hiſpanus abdicatis Belgis, erepta Gallia, totque aliis cladibus ſpes priſtinas acciderit, &, ſi reſumere arma placeat, idem iterum deus & jus & vires in tempore ſuppeterent. Quod ſi in armis manere hortarentur, certiora offerri debuiſſe. Id primores Angli ita interpretabantur: nihil iniquius, quam fraudari reginam credito, modo per cavillationes, modo per falſas preces, quas palam urbium opulentia, & ad largitiones usque ſufficiens ærarium refellerent. Nec magis tolerandum, quod propter quos Angli carendum haberent Hiſpaniæ commercio, ipſi ſuum quæſtum præ hoſtium fame ducerent, atque ita bellum nundinarentur. Tandem pacificationi ea mora interponitur, ut legati ab utrisque res Gallicas viſerent. Miſſi eo a Regina memorati nobis antea Cæcilius ac Wilkeſius, quibus ex colloquio ad Fanum Quintini ſpes pacis aliquantum refrixerat. Prætulerant enim Hiſpani, ſociorum nomine, quibus pax Gallica prodeſſet, eos ſe demum velle comprehenſos qui Romana Sacra ſervarent. Paulo ſerius Batavi advenere, ventis reflantibus. Andegavi Rex ea tempeſtate agebat, pacandæ Britanniæ Armoricorum intentus, quam adhuc dux Mercurius e Lotharingis principibus, emortua partium gratia, per vim detinebat, tradito Hiſpanis Blavetta portu, quo mari propinquo auxilia penetrarent. Sed is, ubi paratum Regis exercitum, paratam & veniam videt, nec ignarus ubi bello finis immineat ab omnibus peccata poſtremis lui, conditiones non damnoſas paciſcitur & honorum velamenta. Rex tum forte matrimonii vacuus agitabat, pulſa domo Margareta Valeſia: ſed obnoxium, quamvis inter bella, amoribus animum, Gabrielis Eſtræa, mulier nobilis abducta pacti conjugis amplexibus, ita forma, perque blandimenta & artes devinxerat, ut ducatus aucta titulo, tum, quod in Gallia haud novum, ſupra uxoriam potentiam pellex inſurgeret. Et numerabatur ipſa quoque inter cauſas emolliti ad pacem Regis animi, quo gaudiis ſecurius frueretur. Huic filius ex Rege quadrimus eo tempore Cæſar vocabatur, quem Rex Mercurio (erat & huic filia vix infantes annos egreſſa) generum ſponſionibus deſtinat, adjicitque pecuniam Mercurio, filio Vendocinæ ducatum & Britanniæ præfecturam. His rebus ſimulque Hiſpanica pacificatione diſtentum Regem, & tamen ſi ea forte falleret, evocato Brittonum concilio

Primores Angli in Batavos iniquiores.

Cæcilius & VVilkeſius in Galliam mittuntur.

Gabrielis Eſtræa Henrici pellex pacis illi autor creditur.

cilio obſidium Blavettæ molientem, legati Batavorum inveniunt: ducente Buſanvalio, qui rerum illic agendarum ſciens, Regique conſultor & ipſis commendator aderat. Poſtquam comiter & ſine ullo faſtu excepta ſalus, incipit Oldenbarneveldius gravi & preſſa (qui mos ipſi) facundia, ſpes ſocietatis extollere, urgere fœdus tam recens: in eo ſervando fidem exigere, qua maxime regum auctoritas ſtaret, pacem ſuſpectare. Adjecta Ordinum nomine promiſſa pecuniæ auxiliorumque in poſterum terreſtrium ac navalium, quocunque Rex duci juberet, ut bellum aliquando Hiſpano reponeretur, & quæ alia eductum inter arma ingenium poterant incendere. Sed & apud delectos e regio conſilio diſſeruere, quanto tutius ac glorioſius foret hoſtem ærarii inopem & anxium ambigua ſubditorum fide, ſuaque mala & metum hoſtili ex fœdere pacis petitione teſtantem, exemplum facere poſt futuris, nequis aliena imperia temere concupiſceret. Aderant Angli, Batavorumque orationem ſilentio, interdum voce adjuvabant liberius ſua benefacta commemorantes, & quam turpe præſenti utilitati juratam fidem poſtponere: de pecunia etiam quam mutuam dederant interpellantes. Rex ſimpliciter egit, neceſſitates ſuas faſſus tardis remediis impares. Dubitare tamen an Caletum Blavettamque redditurus eſſet Hiſpānus; ni faceret, manſurum ſe in armis, gratias agens quod auxilia tam liberaliter pollicerentur. Legati Ordinum, ſi ea Regi ſederet ſententia, ſperare ſe tamen dixere, adventum ſuum & quæ offerebant uſui fore Galliæ, ut plura hoſtis concederet. Viciſſim, ſi pax coiret, orabant, maneret tamen ea ſocietas, qua pace Gallica Batavi ad tacitam opem, bello Batavico Galli ad ſecuritatem uterentur. Rex & amicitiam ſibi & fructum ipſis amicitiæ ſuæ conſtiturum reſpondit. Amota in præſens, queis gentium commercia turbari ſolent: quantumque effectum ſit ſequentium temporum uſus edocuit, cum Rex attentus ſervandis non minus, quam conquirendis pecuniis, tantum dedit tuendæ libertati, quantum vix priſci reges populis dabant, quorum libertati inſidiabantur. Prima liberalitas ducenties quadragies mille florenorum fuit, quæ in annos ſequentes pro neceſſitatibus crevit. Scilicet memor & quo ſociorum tempore accepiſſet, & quo ſuo redderet non ut mutuum, ſed ut beneficium exſolvebat. Ac tum ſollicite, ſuum excuſans, Ordinum laudabat conſilium, quod

1598. Legati Batavorum ad Henricum veniunt. Oldenbarneveldius illi pacem diſſuadet, at fruſtra. Henrici erga Fœderatos liberalitas.

1598. quod defenſioni inſiſterent, quando, non ut regibus, paucis conſciis ad occaſiones promtum eſſet exurgere, ita facile reſidem multitudinem nova neceſſitas armaret. Fovendæ Regis amicitiæ, quia Lævinus Calvardus eo in munere vita exceſſerat, relinquitur in Gallia Franciſcus Arſenius, cui pater Cornelius Ordinum fœderatorum acta componebat. Multis jam argumentis conſtabat Hiſpanum Gallos exarmaſſe contentum, Anglos adhuc hoſtes malle, quam æquis legibus pacatos. Id cauſæ fuit, cur Batavi oratores Naſſavius atque Oldenbarneveldius e Gallia in Angliam veherentur, digreſſa jam inde priori legatione, audaciamque uſurpantes antehac formidatam, ſermonem ita inſtituerent; ſi Regina Gallum ſequeretur, nullâ Batavis pericula pacis tanti fore ut immenſum belli onus ſoli ſubirent. Suis ſcilicet ſimulatores artibus tentabantur, credito Anglos pacificationem ultra turbaturos, ſi ad eam induci Batavos poſſe ſperaſſent. Simul Reginæ, ſi bello inſiſteret, æqua omnia offerebantur, & de expediendo nomine ſpes tranſigendi; queis hactenus mota ut pacis actioni ad tempus ſuperſederet. Atque interim Verbini (namque huc a Fano Quintini conventus tranſierat) opera legatorum inter duo eminentiſſima rei Chriſtianæ capita pax coiit, eisdem legibus, quæ novem & viginti ante annos Philippo & Henrico ſecundo convenerant. Acceſſere aliæ, quarum verba hic inſerere non ejus ſit, qui ſe rerum Belgicarum ſcriptorem profiteatur. In ſumma tamen, ut populis commercia, captivis libertas, egreſſis in ſua poſtliminium eſſet: Hiſpanusque Caroleſium comitatum recepturus eo nomine fidem clientelarem Galliæ deberet: Gallo Caletum, perque Picardiam alia, uti tunc erant, & ultimo Blavetta, ſed hæc dejectis, quæ Hiſpani munierant, redderetur: placuere hæc, tresque intra menſes datis obſidibus transacta ſunt. Sed injuriarum oblivio, & æterna in poſteros concordia, ſumtis in alterum armis alter nec opem ferret, nec ſuorum quenquam intereſſe pateretur, &, ſi quid ambigui juris reſtabat, non fraude & vi, ſed ſub arbitris diſceptarent, in ſpeciem magis convenere, quam quod tantæ magnitudinis æqualitas aliquid ad amicitiam ſecurum relinqueret. Suos uterque ſocios, reges, principes, populosque fœderibus comprehenderunt: præcipue Philippus filiæ, cui Belgicam traditurus erat, & Sabaudo cavit. Arſchotius, Mendoſa, Arembergius in Galliam ivere:

Batavorum apud Eliſabetham ſimulatio.

Verbini inter Gallum & Hiſpanum pax coit: Ejus leges.

Legati utriusque juramentum exigunt.

ivere: Bruxellas Bironius dux a Rege miſſus, qui ab Alberto vicem jurisjurandi exigeret; ubi viri militaris animus impotens, ſemperque fortuna ulterior, in perfidiam, quæ poſt multo emicuit, corruptus dicitur. Feſta utrinque omnia ſignificatione pacis, inviſæ nonnullis, quorum virtus omnis ac ſpes alienis malis alitur; at lætæ in vulgus, non tam religione Chriſtiani ſanguinis, quam quia jus foro, ſecuritas poſſeſſionibus, reditus agris, viis commercia redibant. Galliæ triginta ſex per annos cruentæ prœliis, vaſtæ bello, primus tum dies ſolidæ pacis illuxit, & regno quondam florentiſſimo vetus reddita facies, ſollicito Rege, ut, præfectis & magiſtratibus in ordinem coactis, ipſe rerum potens, Romanenſibus temporum ratione excuſatus, alteram religionem profeſſis metum & injuriam arceret: cum Belgæ interim relicti in armis, ut ſpem pacis, ita ex vicinis malis intervallum & ſolatium amitterent. Sed Buzanvalium Rex ad Batavos remiſit, quo teſte amicitiæ, ſecretique commercii internuntio, bello alieno ſuam pacem firmaret. Peractis Galliæ rebus, non minus grave regiæ ſocietatis experimentum ab Anglia receptum eſt, acribus Eliſabethæ flagitationibus, quæ Franciſci Verii verbis ad Ordines perlatæ, cum eodem tempore aliis ad Albertum miſſis legatis ſpem pacis videri vellet retinere, cujus unam hactenus ajebat moram, quod arma pro quibus ſumſiſſet, eiſdem ſociis optaret deponere. Neque nunc quicquam a ſe Batavis præcipi; ſed æquum interim, qui bello cauſam dediſſent, ab his finiendi, ſi poſſet, ſin minus gerendi in poſterum rationes peti. Etiam ſic ſatis gravem invidiam ſibi apud principes fore, quod ſola Europæ paci obſtaret. Illud quidem nec Deus ſirit, ut ingratis præſcriptionibus eluſa exemplum regibus foret, abſtinendi auxilio populorum, qui nulla in eminentes reverentia, nec commodi, niſi ſui, cura tenerentur. Sentiebant Ordines uno ſe impetu obrui oneribus antiquis, venturiſque: ſed vel nomen Anglicæ ſocietatis tanti erat, ut ſubirentur leges, quas ferebat potentior. Miſſi igitur, qui in priore utraque legatione fuerant, ſimulque Andreas Heſſelius tacitis mandatis, quæ ad centies usque centena florenorum millia tranſigendi ſuper pecuniis debitis facerent poteſtatem. Reginæ varios fingenti metus, qui ipſam a bello dehortarentur, eo tempore diverſi caſus ultro ſe offerebant. Nam Iacobus Scotiæ rex Anglicanam hæreditatem, cujus Eliſabetha mentionem nullam ferebat; ſibi palam addici poſtu-

1598.

Eliſabetha Fœderatos iterum ad pacem hortatur.

Scotiæ rex Anglicanam hæreditatem ſibi palam addici poſtulat.

X

1598. poſtulans, niſi externa ope ſuſtentatus, huc fiduciæ veniſſe non putabatur. Nec deerant, qui, comperto litteras ad Pontificem perveniſſe Iacobo ſubſcriptas, inde ſuſpiciones atque odia accenderent. Super hæc Reginam Burgleius, ſenecta morboque æger, Deum & ſuprema ſua teſtatus, oraverat, ut ſibi non jam humanis obnoxio affectibus crederet, ipſaque eidem neceſſitati proxima, regno conſuleret, paceque in terris conſtituta cœleſtem pacem mereretur. Nec omittebat, quæ improſpera per Americam evenerant, aut per Hiberniam metuebantur oſtendere, & Belgicis armis finem vincendo non poſſe ſperari. Hic ubi mortalitatem expleverat, & Eſſexius vitandæ invidiæ conſeſſum declinabat, vacua ſtudiis & ſui juris curia fortioribus conſiliis patuit. Ad quam admiſſi ſæpius Fœderatorum legati, adverſus crediti exactionem tempora excuſabant; profeſſi, quod ad Hiſpanienſem negotiationem pertineret, nihil ſe intercedere, quo minus & Angli, ſi ita videretur, velut Batavi ſolebant, pacati alicujus populi nomen ementirentur, niſi lucroſius crederent, armis, quæ cupias, quam pretio parare. Non tamen exorarunt, quin octodecim ante annis, cum Antverpiæ jactura Anglum non minus quam Batavos terrebat, conceptum, nec unquam pie ſervatum, fœdus tam longe aliam in formulam mutaretur, ut ipſa omni præſtatione libera obſtrictos alios teneret. Diſputatum aliquamdiu de ſumma debiti, cum Angli delectus & vecturas & ſtipendia ſupra modum imputarent; pars altera mendaces numeros argueret, nec taceretur, Anglorum rapinas terra pelagoque tanti Batavo ſtetiſſe, quanto omne æs alienum poſſet exſolvi. Tandem in octuagies centena millia florenorum perſcripta cautione deciditur, quorum pars altera trecenis millibus annua penſione manente bello, eo confecto, ſi quid reliquum foret, vicenis penderetur: alterius ſemiſſis de ſolutione, reddendiſque oppidis, ubi data foret pacis occaſio, benigne conveniret. Interim Angli ad mille centum & quinquaginta locis pignori datis præſidio eſſent: eo nomine damnati. Ordines in ternos menſes florenos quinquies mille & centenos numerare, tum quicquid præberi militibus mos habet. Remiſſa in poſterum Reginæ mittendi auxilii pollicitatio: Angli qui ſub ſignis erant, quique poſthac conſcriberentur, in ſola Ordinum verba adacti, Ordinum imperio & ſumtu militarent. Proinde peremta

Burgleius moribundus Eliſabetham ad pacem hortatur.

Novum inter Anglos & Batavos fœdus.

1598.

emta legati Anglicani, quæ priſco ex fœdere fuerat, poteſtas invidioſa: retento jure, ut unus a Regina aſſeſſor ſenatui daretur. Seu terra, ſeu mari hoſtis Reginæ, aut Regina hoſti arma inferret, jubentur Batavi claſſem augere triginta aut quadraginta juſtis navibus: exercitum vero pedite ad quinque millia, equite ad quingentos. In hæc pacta conventa accepto utrinque latum quicquid retro debebatur, integro tamen jure, quod in Belgas Hiſpano ſubactos Reginæ ſibi vindicaret. Et Horatii Palvicini Liguris, apud Eliſabetham gratioſi, creditum ad octingenta millia florenorum exceptum hoc fœdere, privatimque compoſitum eſt. Non erat cur Anglia pacem mallet, quam bellum tali fœdere, quo & onere levabatur, & munimentum ſibi circumdabat. Mox deprehenſi iterum, qui in Eliſabetham venenum paraſſent, & in Hibernia felice prælio captoque caſtello ferox Tironius, in ſocietatem defectionis Momoniam trahens, animum illius aſperavere. Nec magis Batavos, quanquam nova apud hoſtes rerum imago & multa invitamenta quærebantur, veteris propoſiti pœnitebat. Clareſcente in dies novi conjugii fama perlatæ ad Belgas literæ, miſſo Friaſio, quibus imperium in ipſos Iſabellæ tranſcribebatur. Cauſas legesque pactorum Philippus has vulgaverat. Quando deſtinatum ſibi Pontificis venia, deque gentilium conſenſu filiam optime de ſe meritam agnato in manum dare, Belgarumque vel maxime intereſſet, ad ſpem pacis, aut præſens regimen coram principis ora ac nutus intueri, quod ſuis hactenus majoribus curis negatum, Belgicam ſe omnem ac ſingulas partes filiæ concedere cum Caroleſia & Burgundia, quæ comitatus dicatur: ſimulque nomen Burgundiæ ducis, (quippe poſſeſſionem jam olim Galli obtinebant) ita tamen ut ejuſdem tituli honorem ipſe ac poſtfuturi Hiſpaniarum reges uſurparent cum loco principe inter aureæ lanæ ſodales, inſtitutum proavis cœtum. Addita cuncta, quæ legum prudentes firmandis contractibus invenere, quo rectius jura principatus & obventiones hisque innexa onera in Iſabellam ejusque poſteros tranſirent. Inſigniora hæc fuere, quod Philippus, clientelare vocabulum uſurpans, dare ſe eas ditiones feudi aut ſubinfeudati nomine teſtabatur, quorum hoc iccirco adjectum videatur, quia pars magna terrarum ſub majeſtatis imperatoriæ reverentia, quædam & ſub Gallici imperii fide poſſidentur: tum, quod facta prioris ſacramenti gratia

Cauſa legesque pactorum quibus Philippus Iſabellæ imperium Belgica tranſcripſit.

 primores

1598. primores ſubditorum in Iſabellæ verba juſſu ſuo adigebat: ac ſi quid his tabulis contineretur, quod minus per leges liceret, id ſanciebat ſumma atque regia poteſtate. Si matrimonium ſine liberis ſolveretur, proleſve maſcula & muliebris unquam deficeret, prædictum, uti jus omne ad Hiſpaniæ dominos reverteretur. Datum tamen Alberti meritis, ut viduitatis ſolatium haberet Belgicæ præfecturam, &, ſi qua ſoboles ſupereſſet, uſum fructumque; ſed ad hæredem nihil tranſmitteret præter ducatus Lucemburgici & comitatus Chiniaci vectigalia. Præſcriptus & ſuccedendi ordo, mas uti feminæ, inde robuſtior juniori, neposque etiam e filia majore minori filio anteponeretur. Dividere aut alienare ditiones, niſi placito regum Hiſpaniæ vetitum. Quoque pluribus viis donum ad auctores rediret, proviſum, ſi qua mulier Belgicam in poſterum adipiſceretur, ea regnatori aut hæredi Hiſpaniæ in manum conveniret. Neu filio uxorem filiæve conditionem quærere principibus liceret, niſi Regum eorumdem arbitratu. Iubentur inſuper Americæ & Indiæ commercio ſeque & ſuos abſtinere: tum auſpicantes imperium jurare in has leges, religionemque Romanam: quæ contra, ſi quid fieret, jus Belgicum Hiſpano committeretur. Signarat has tabulas pater, adhibitis teſtibus, pridie Nonas Majas; eodem die filius idemque hæres, Philippus & hic nomine, aſſenſum perſcripſerat, quæſitis anxie cautionibus adverſum jura, quæ ætatis lubrico, aut ob paterni nominis reverentiam ſua largientibus ſuccurrunt. Varii ſermones, ut in re magna, nec concordes. Erant qui pravum morem arguerent, quod libera hominum capita, ceu privatum ſervitium, in cenſu ac commercio haberentur. Barbaris certe uſurpatum, ut imperia donarent legarentve, quippe ignaris domino princeps quid interſit: at quibus aliud fas ac nefas, minime his ambiguum, rem eſſe populi, indeque dici rempublicam: cujus procurationem, ut apud alias gentes comitiis, aut ſenatui, ita apud plerasque principi permiſſam. Nec ullum omnino juſtum imperium niſi ex conſenſu gentium cœpiſſe, quæ tutelam omnium uni aut homini, aut ob turbida ſuffragiorum familiæ crediderint, ſolo honoris pretio inductis ut ſua poſthabita civium utilitati ſtuderent. Quod, ut ubique verum, ita in Belgis manifeſtius, qui nec armis ſubacti, nec ultro concupita ſervitute, ſed definitis præmiis, & poteſtate, multa principibus non permiſerint;

Varii diſcordesque ſuper Belgicæ tranſcriptione ſermones.

rint; vetito inter prima, ne quam partem fidei ſuæ commiſ- 1598.
ſam abrumperent: itaque filias olim in pecunia, eaque non magna, dotem accepiſſe: cæteris liberorum præfecturas & minora munerum data. Quibus legibus fruſtra regium nomen opponi, Belgis incognitum. Gallicam quidem magnitudinem (ſi exemplis uti libeat) non alio creviſſe, quam quod collata in unum fortunæ dona nullus eventus divellat. Quanto autem gravius, quod regionibus bello exhauſtis & involutis, quibus hoſtis in latere validus, infenſa vicinia, & externa opulentia, ſi non adeſſet, quærenda fuerat, ea quæ centum per annos coaluit velut ſuccus atque alimentum infirmo corpori ſubducatur? Carolum tamen Imperatorem, cum privatæ quietis cupidus humanasque curas in filium transferens, legis munus tantum tempore anteverteret, primorum in concilio ſeque & filium ſtitiſſe, ne quid priſci moris deſideraretur. Nunc per epiſtolam abdicari, per epiſtolam aſſumi regimen, viſuque & alloquio dedignatos populos non in virilem ſaltem dominatum emancipari, cognito quanquam omni ab ævo nunquam levi malo conſtare Belgis fœminarum imperia. Contra alii, utinam quidem hoc modo ab inſolentia Hiſpanorum Belgæ bona fide vindicarentur: amota belli cauſa facile inter partes conventurum: at non adeo veteres Philippo ſpes atque artes excidiſſe, ut Belgica ſeque & poſteros exuat, quod ſecuritatis Hiſpanicæ præſidium, & arcis in morem Germaniam, Galliamque & Britanniam deſpectet. Sed, ut metum ſui undique poſitis imminueret, repertum filiæ nomen, cui precarium jus, & ſub domeſtica fiducia inanem poſſeſſionem dari. Quod nec his, quæ præferrentur, pactis ſatis diſſimulatum, cum natis e conjugio, ſeu nullis liberis, eodem relaberetur imperium. Quanquam & hoc cui non perſpectum, duos & triginta annos continuo cælibatu egreſſam virginem ab Hiſpanis dimiſſum non iri, niſi infœcundam aut crediderint, aut fecerint? Quam vero illud pudendum, quod Belgæ ſui juris ſemper populi, quorumque opibus Auſtriaca gens in Hiſpania ipſa, totque regnorum ſolio, & generis quodammodo humani cervice conſederit, externas palam leges ſubeant, inque perpetuum moderandi tradantur Hiſpaniæ clientibus? Has inter fabulas aliæ literæ feruntur, quas Iſabella, jam ut domina ſcripſerat, Albertum jubens ſuo nomine poſſeſſionem capeſſere, mutuumque ſacramentum, & cuncta impe- *Albertum Iſabella ſuo nomine poſſeſſionem capere jubet.*
 rantibus

1598. rantibus ſolita celebrare. Erat hoc adverſum legibus, quæ coram inchoari imperium volunt. Quare non auſus veteri more juſtum nationum concilium cogere, ac liberam facere conſultandi poteſtatem, ſingulis ſeorſim verba præiturus legatos in hoc tantum Bruxellam in duodeviceſimum Calendas Septembres Albertus evocat. Sub idem tempus contracta circa urbem vi magna militum, quindecim peditum, duo equitum millia, metum factura contradicentibus. Itaque Ricardotus, in oratione quam pro Alberto habuit, cuncta Belgarum mala abſentiæ principis imputabat. Hinc pro Brabantis reſpondit Maſius, conquiſitis, queis novi principis gratia captari poterat. Vbi ventum ad res, nonnihil diſputatum, ceu vetere Republica: factum, quod præſens neceſſitas poſcebat. Atque ita pleriſque temperatum, ut obſequio conditiones præſcriberentur, ſi tres intra menſes apertum fieret, nuptiarum ritus peractos, & ipſe Majum intra menſem anni ſequentis in Belgicam rediret: interim per rectores ducesque nihil novaretur: præfectum relinqueret ſibi ſanguine cohærentem. Is electus Andreas, Cardinalis & ipſe, cui pater Ferdinandus Comes Tirolenſis, frater Maximiliani, qui Alberto genitor: maternum genus impar e Philippina Velſera, cui origo Auguſta Vindelicorum domo conſulari. Additum, uti publicæ privatæque leges & cuncta Philippo jurata manerent. Vti præfecturæ minores arciumque cuſtodiæ & judicum claſſes e Belgis inſtaurarentur. Vti Rex teſtificaretur, quod de feudo in ceſſione dictum, id Belgis fraudi non fore. Germano ſuoque militi Belgæ ſtipendia curarent, quantum ejus ærarium ferret: reliquum, & omne externi militis onus, Rex in ſe reciperet; Albertusque, contentus antiquis principum vectigalibus, extraordinariis tributis & quæ præſidiariis præſtarentur, plebem levaret. Et in hunc quidem modum pro tempore parerent. Cæterum reverſo cum uxore Alberto ſolemne ſacramentum utrinque diceretur, concitis Belgicæ totius Ordinibus, quibus interim Albertus auctor fieret, ut ad conditiones cum Batavis poſſent deſcendere. Id quia acrius flagitabatur, nec abſurdum putabat in pacificando pares paribus componere, ante diſceſſum Albertus, qui legationem regiam mittere non ex dignitate judicabat, Ordinibus Hollandiæ Zelandiæque & eorumdem ſociis litteras inſcripſit, quibus de conjugio & jure imperii ab Hiſpanis translato ſignificabat: & ſibi ſummum pacis ſtudium,

Albertus per litteras Fœderatos ad pacem hortatur.

dium, & ipſis nihil reſtare cur paci diffiderent. Recte igitur & ex officio facturos, ſi majori ſe Belgarum parti aggregarent. Ejus ſe negotii mandata penes Ordines ſuos reliquiſſe. Similem in ſententiam Mauritium frater Arauſionenſis, Arſcotiusque & Haurechius precabantur, ut qua polleret apud Fœderatos auctoritate, ea ad optatum belli exitum uteretur: glorioſum id ipſi, nec minus in rem domus Naſſaviæ futurum. Auditus & Daniel Molanus, privatus, ſed clari nominis mercator, qui ſe mentito fratris morbo excitum Antverpiam, indeque Bruxellam ad colloquia Ricardoti, Aſſonvillæ, Abbatis Marolenſis, Haurechii, ipſiusque tandem Alberti perductum memorabat. Summa ſermonum, omnium conſilia in pacem inclinata, nihilque omiſſuros quo Batavis ejus fides fieret, dum principes agnoſcerent, manſuram religionem, penesque ipſos & liberos Rempublicam: de Mauritii virtutibus ita Philippum judicare, ut nihil ejus honori detractum vellet; ſed & Pannonici belli imperium ei deſtinaret. At Proceres, quanquam jamdudum certi bellare, magis etiam induruerant, interceptis Philippi literis contraria omnia præferentibus. Super quas acceſſerat Petri Dannii Iprenſis facinus, hominis vecordis, ſed quales ferme paratiſſima periculoſis ſceleribus inſtrumenta ſunt. Is ſuſpectus indiciis captusque, immerſum ſe fœnori, eque carcere in carcerem protruſum creditorum ſævitia narrabat: quibus malis dum finem anxius quæreret, nec inveniret, penus mercimonio in Ieſuitas Duacenſes incidiſſe: quorum præſes inducto ſermone, quantum eſſet in rem Chriſtianam meritum, hominem unum multorum exitio graſſantem e medio tollere, animum jam ægrimonia exſternatum in cædem Mauritii inflammaſſet: præmia filio, ipſique, & ſi eventus falleret, cœlum pollicendo. Acceſſiſſe domeſtica uxoris hortamenta, quæ curis inquies, nec ærumnarum tolerans, ſpiritum in ipſo virilem requireret. His inſtigatum ſe, cum idem ille præſes ſacri communione & peccatorum venia firmaſſet, accepto viatico Zelandiam adveniſſe, inde Lugdunum: ſenſimque oboriente turpis auſi conſcientia, & diſcriminis metu tandem ad meliora flexiſſe animum. Quæ cum per intervalla ſæpius repeteret, ſuo teſtimonio convictus, decimo Calendas Sextiles a Lugdunenſibus magiſtratibus ſupplicio ultimo affectus fuerat, etiam de judicum ſuperiorum ſententia. Fuere in parte adverſa, qui, pudore flagitii, rei geſtæ ordinem

1598.

Idem facit Philippus Arauſionenſis, aliique.

Fœderati magis indureſcunt.

Petri Dannii miſſi in Mauritium percuſſoris ſupplicium.

1598. nem refellerent. Vt maximis mutationibus illuſtris hic annus, ita belli expeditionum diu quievit: niſi cui libeat peditum paucos prope Noviomagum ab equitatu regio oppreſſos, rurſumque trans Moſam Batavorum turmas cæſo inter plures uno Mansfeldiorum non ſine præda victrices; aliaque conatuum parva, aut irrita in majus efferre. Cauſa otii, quia & Fœderati proviſas ob neceſſitates ſumtibus parcebant, & Albertus, ſtudens oblatæ paci terrorem magnum circumdare, non ante progredi ſtatuerat, quam redditis Gallo urbibus degreſſæ cohortes auxiſſent exercitum. Quæ dum inſolutis ſtipendiis negant præſidia dimittere, & jam formidoloſa in oppido Caſtelleto licentia ad exemplum ſpectabat, contracta illorum in uſus pecunia interiores alios efferabat: præſertim quia & Geldrenſem nuper tumultum Herenbergenſis nonniſi præſentibus nummis & ſtatim miſſione ſanaverat. Ac primum querelæ & contumacia. At quo tempore Bruxellæ de novo conſtituendo principatu agebatur, ut fere circa imperiorum mutationes amat turbare miles, pluribus ſimul locis ſeditio exarſerat. Præcipue, qui arcem Antverpiæ tenebant, Hiſpani pedites ad quingentos cum nonnullo equite, intenti in urbem ſibi obnoxiam ſcelerum pretio incendebantur. Exacto Auguſtino a Mexia, cui paruerant hactenus, manipularem ſibi præficiunt, lingua procacem, & maxima in turbas culpa fidum ſociis. Viginti duorum menſium reliqua, non Belgicæ tantum, ſed & Italicæ militiæ numerabant: quæ dum expedirentur, interim cogebant oppidanos florenum in dies cum ejus quadrante equiti, dimidium pediti curare. Nec hac ſtetit injuria: pretioſa inſuper veſtis & ſuppellex cunctaque luxus inſtrumenta, etiam ſcorta, in contumeliam florentiſſimæ quondam civitatis, indicebantur. Ipſo flagitandi more nihil ſuperbius; tormenta explodebant, donec ultro; numquid juberent, interrogarentur. Iamque Liræ præſidiarii ſociare conſilia cernebantur; & Lucemburgico in fine Walonicas cohortes abrupto obſequio palare nuntii ferebant, cum multis urbe diffugientibus hi, quos negotia aut poſſeſſiones ſuæ attinebant, pars illatam vim diſſimulante Requeſenio, alii Rhodæ irruptionem flammamque & ſanguinem, præterita mala cum metu præſenti conferrent. Legati magiſtratuum præter excuſationem publicæ paupertatis nullum ab Alberto ſolatium tulere; duravitque flagitiorum licentia in annum ſequentem. Modeſtior

Militiæ Hiſpani ſeditio.

ſtior paulo qui in arce Gandavi miles, ſuo contentus numero aliunde venientes haud acceptabat; quod in communi peccato quaſi beneficium fuit. At Gravia in urbe non jam ſeditio, ſed pugna inter ſe militum, cum Germani juvantibus oppidanis adverſum Hiſpanos in arma prorumperent, ſpe citius conſedit. Poſt quæ turbamenta Albertus belli eo feſtinantior, quod reſponſa a Mauritio & Fœderatis nulla reddebantur, manſuros in præſidiis milites ſpe diſtulit: quantum corradi pecuniæ poterat ex Hiſpania aut per nominum fidem, in caſtra ituris diſtribuens, tum veteribus tum qui novi undique conſcribebantur, multa ſupplementi copia e Gallis, qui pacem domeſticam fugiebant. Re expenſa in ſenatu, cumque peritiſſimis tribunorum, Rhenum transduci copias placuit, invadendis Batavis, aut ùt Mauritii labores, qui priores per annos pacata Friſia Fœderatos parte belli altera abſolverat, in irritum deducerentur: ubi laxa regio, tergoque per Germaniam patens, nec multum munita oppidis egregias rei bene gerendæ occaſiones præſtabat. Vtque per ſe prudens erat conſilium Batavos utrinque armis complecti, ſpoliare tributo, gravare præſidiis, ita iſti tempori nihil aptius, quam ſi acciſo cum maxime ærario, & tamen copiis ingentibus, in hoſtico facile traducta hyems ſuo Batavos exemplo everteret. Medium ſub autumnum propter Moſam amnem convenire jubetur exercitus, cui Franciſcus Mendoſa imperaret, qui impletis pactionibus e Gallia revenerat. Quæ ubi in Batavis audita, juſſo Bommeliam inſulam & infera Moſæ præſidere Hohenloio, pars copiarum maxima Arnhemum ductu Principis coit. Interea Albertus capeſſendo matrimonio imperioque iturus, prius, indulgente Pontifice Romano, Cardinali dignitate & Toletano antiſtitio ſe abdicans, Archiducis habitu in publicum prodit. Pileum ſacramque purpuram apud aram Divæ virginis ſacraverat, quæ Hallis colitur Hænoviæ municipio. Celebre id fanum longinquo concurſu, & prodigiis, quibus teſtatam numinis præſentiam accolis perſuaſum. Nam & principum ſpectabantur dona, & e plebe multi, erepti periculis aut morbis arte medica valentioribus, voto ſe exſolverant: quin & exanimis corporibus rediiſſe ſpiritum major fama prodit. Pleraſque narrationes aliquot poſt hæc geſta annis Iuſtus Lipſius Latina facundia illuſtravit, quo velut pignore Romanam religionem & imaginum reverentiam obſigna-

1598.

Albertus ad Moſam convenire exercitum imperante Mendoſa jubet.

Eccleſiaſticis dignitatibus ſe abdicat.

Fanum Hallenſe.

1597. ſignaret. Quanquam contra alii ſcripto diſſeruere, notas ſacerdotum fraudes, aliaque in quæſtum conficta, plura, quæ miracula dicantur, forte aut natura accidiſſe: & tamen veteres magos Ægypti maxime, Tyaneumque & alios damnandi cultus magiſtros, cum ſua placita operibus ſtupendis firmaverint, argumento eſſe nobis his demum habendam fidem, quæ uni Deo animos allegant, non alias adſciſcunt tutelas, nec ſimulachrorum vetita ſuperſtitione pietatem corrumpunt. Poſtquam ex Alſatia, quam Cæſaris imperio regebat, Andreas properis literis excitus advenerat, poſt breves complexus & mandata, Albertus in Germaniam digreditur. Nobiliſſimi Belgarum comites addebantur, qui publico nomine gratias Regi agerent, matronæque & virgines novam principem deducturæ. Inter delectos Arauſionenſis fuit, quem plerique, ignari quanta vis eſſet conſuetudinis, in Hiſpaniam redire mirabantur. Is, cum per Belgicam ſua, quæ fiſcus hauſerat, recepiſſet, paternaque apud Batavos bona per fratrem, materna per Hohenloium procurarentur, de Arauſionenſi principatu ſollicitus agebat, quem, liberum quanquam multo a tempore nec ulli obſequium debentem, per occaſionem civilium armorum ingreſſi Gallorum circa rectores finito bello eandem licentiam retinebant: nuperque Mauritius miſſo Aldegondio fruſtra per colloquia aliaſque artes poſſeſſionem affectaverat. Sed ille jam ſperans Hiſpani apud regem Gallum commendatione aliquid profici poſſe, & hoc inter itineris cauſas habebat: quo cœpto cum jam altius Rheni ſcanderet ripam, in Palatinatum flexit, ſororem Electoris matrimonio fulgentem tum primum viſurus. At Archiducem Pragam pergentem, ut cum fratre Imperatore arcana conſiliorum participaret, creditumque Romani regis nomen Imperatorio proximum ſperare, de morte Philippi Regis nuntii aſſequuntur. Ea res ſic habet. Invalidum ſenecta corpus, & ante, & a vere præſertim proximo, articulorum doloribus frangebatur, cum ſub æſtatem graveſcere valetudo, cui ut remedium ex animi remiſſione quæreret, Laurentianum lectica deferri ſe jubet; quod immenſo ſumtu ſtructum ipſi palatium, cum res interea Belgicæ pecuniæ penuria dilaberentur, inter clariſſima hujus ævi monimenta viſitur. Inde pinguis cæli & jactationis impatiens, ubi quieti redditus eſt, in febrim corrumpitur; ſolito nervi contractiores, ſimulque virus abditum ulceribus

Albertus in Hiſpaniam proficiſcens Andream Auſtriacum in Belgica Præfectum relinquit.

Albertus de morte Philippi fit certior.

Ejus relatio.

ribus pateſcit, in quæ & crus tormentis inflammatum & pectus maxime defecerat. Hæc, ubi medicamentis admotis reſoluta, ſaniem fudere, dictu tetrum, quanta vis pediculorum perpetuo ſecuta ſit, ut quidem multis manibus circa unum laborantibus minima pars eſſet reſiduæ ſordis quod excernebatur. Mox ubi debile corpus omnisque contactus impatiens mundari ultra nequibat, tam obſcœna tabe viſcera exeſus, firmo atque invicto adverſum dolores animo, quod vitæ ſibi reſtare intelligebat, ad mortis meditamenta retulit: quippe oſſium compagi inſigne capitis regum imponi jubens, ſuosque ſubinde artus filio & natæ oſtentans, docebat, quam fragile eſſet, quod in rebus humanis maximum habetur. Inde fraternam inter ipſos concordiam, & Romanam fidem commendabat, tam ſerio, ut poſt ſepulturæ ritus de parentalibus anxie caverit, interque ſolennes divum laudes oleo perunctus, & jam ſupremis appropinquans, Chriſti cruce pendentis imaginem eandem, quam pater olim moriens, contrectaret. Mandatis, quæ animum religione ſollicitabant, editisque aliquot clementiæ exemplis, duodeviceſimo Calendas Octobres mortalitatem explevit, quem ipſe diem fatalem ſibi vatis monitu prædixerat. Is finis Chriſtianorum potentiſſimi fuit, & principum quotquot naſcuntur ditiſſimi, annum agentis primum ætatis & ſeptuageſimum, imperandi tertium & quadrageſimum. Corporis habitus mediocris, niſi quod frons celſior, tum labia in modum Auſtriacis gentilem prominebant; vultusque tanto Belgæ propior, quanto moribus in Hiſpanum conceſſerat. Mitem ingenio libenter crederes: quippe & acceſſu comis, nec temere ſæviebat; ſed quoties dominationi expediret, famam clementiæ haud multum morabatur. Solertiam, quæ non perinde ut parenti adfuiſſe creditur, perfecit ætas & diligentia, cum parcus otii ſomnique majora ipſe, non per miniſtros, tractaret. Quæ in majus tollentes Hiſpani æquant eum Solomonis laudibus. Pecuniæ uſuum gnarus, Imperatores, Pontifices, ferme quos vellet renuntiabat, arcana regnorum ſcrutabatur: adverſus proſpera & ruentia vultu, an & animo æquabili, ſed conditus in diſſimulationem, odiis & ſuſpicionibus indulgebat: ſpei improbior, & regnandi libidine cuivis veterum conferendus: religionis, quæ quidem in externis actibus verſatur, ſervantiſſimus: circa imperii artes principum exemplo excuſatus, & in his, quæ ut privatus

1598.

Philippi ingenium, & de eo hominum judicia.

tus

1598. tus peccabat, laudatæ verecundiæ. Bella illi prima ab ætate fuere, ſed præter Gallicum, quod juvenis vidit tantum, cætera per legatos adminiſtravit. De majoribus & poſteris varie meritus, quorum imperium, ut Americanis proventibus auxit, & Luſitaniæ acceſſione, ita amiſſis Goleta, Tuneto & Batavis dehoneſtavit. Et tamen in tempora paternis diverſa incidiſſe notabatur, non eo ſæculo, quo penes eosdem homines ſumma virtus & fortuna fuit, ſed cum fœminas puerosque & imbelles æmulos, aut hoſtes haberet. Hæc ferme prudentiorum de eo judicia fuere. Alii ob partes infenſi ſuſcepta temere bella, perfide geſta, nec minus cruentam pacem per Hiſpaniam Belgicamque, in idem ſævitiæ concitas Gallias, pluraque mala publica & domeſtica exprobrabant; ipſam exitus fœditatem in argumentum trahentes: innoxias ſcilicet filii, uxoris Iſabellæ umbras has patri, has marito pœnas irrogare, quomodo olim Herodes, (quicum pleraque morum & fortunæ comparabatur) & regina Cyrenæorum Pheretime parricidia luiſſent: aut hoſtem veræ religionis, omnium qui unquam fuiſſent acerrimum, Antiochi illuſtris & Herodis alterius Cæſariſque Maximini, aut Tyrannum Caſſandri & Sullæ libertatis oppreſſorum exemplis merito periiſſe: quanquam claros ſapientiæ, & juris, & carminum auctores, aliosque eodem morbo abſumptos memoriæ proditum novimus. Regnorum hæreditatem crevit Philippus filius, cui nomen tertio factum eſt; tantæque opes nulla rerum mutatione tranſierunt. In Batavis tamen plurimi homines veteri ſimplicitate, qui principi, cui juratum eſſet, utcunque merito, perpetua ſe fide obſtrictos hactenus crediderant, ea religione exſolvebantur. At per Hiſpaniam adverſum Batavos acria conſilia tum primum expediri cœpere, quæ famam de novo rege vulgatam, ut minus vegeti ingenii, redarguebant; niſi uſu compertum foret, multa ſæpe ſalubrius geſta ſub principe, qui aliorum bene repertis aures & juſſa commodaret, quam cui ſapiendi fiducia contumaciam addidiſſet. Sed hæc in tempore demonſtrabuntur. E Bohemis Albertus in Italiam transgreſſus Veneto in ſolo Margaretam invenit, quæ annorum circiter quatuordecim pacta regis filio, tum regi Philippo ducebatur, eque Graico Pannonica urbe Tridentinas per Alpes Atheſim verſus deſcenderat. Frater puellæ Ferdinandus, cui, deſpecta Turcarum vicinitate, Auſtriacam gentem mutan-

Margareta Philippo tertio, per Italiam comitante Alberto uxor ducitur.

tandos ad ritus paranti compellere (nam a Romanis plerique diſceſſerant) precibus primum, inde armis occurſum. Sorores item duæ, Poloniæ regis, & Sigiſmundi Battoris Transilvaniæ regionis dynaſtæ conjuges, infelix utraque matrimonii inter bella plusquam civilia. Nam & ille, dum Ieſuitarum conſiliis obſequitur vi patrui, cui Carolo nomen, patrio Sueonum regno pellebatur: & hic, iisdem auctoribus inductus, ut tributum barbaro negaret, tutandis mox ſuis impar, transferre principatum in Imperatorem cogitur, qui Maximiliano eum fratri regendum tradidit. Is erat, qui cum Poloniæ regnum contra Sueonem petiſſet victus gratia, deinde armis, captusque & dimiſſus, nomen tamen regium retinebat. At Battor titulo permutationis in agros Sileſiæ detruſus, cum inſuper conjugio ſpoliaretur, ut gignendæ familiæ inidoneus, mox tædio minoris fortunæ profugus uxorem vetusque imperium recepit, Turcarum auxilia minitans adverſus obſiſtentes. Margaretæ mater aderat Bojoara, quæ Imperatoris Ferdinandi neptis Carolo ejuſdem filio nupſerat. Hoc illa conjugio nata, cum patrem eundem patruumque magnum haberet, marito, cui magnus avunculus idem eſſet genitor, pari ſorte componebatur. Ferrariam perlatus Pontifex Clemens (hanc ille urbem extincto Ateſtinorum genere, cum Cæſar nomine, non juſto concubitu ortus vindicaret, minis & devotionibus magis quam armis ſibi ſubegerat) admotis qui abſentium Philippi & Iſabellæ mandato & imagine fungerentur, ſolemni ritu unius gentis bina fœdera connexuit. Mantuam inde profecti obviam Mediolani Sabaudum habuere, qui & ipſe affines ſalutatum venerat. Sic inter Italiæ moras annus transactus eſt; cum modo ſacra monimenta viſerentur, ſæpius opulentas per urbes, certantibus amicorum & ſubditorum ſtudiis, clara ſumtu & arte ſpectacula Auſtriacam magnitudinem, & ſuas Alberto victorias repræſentarent. Sed occaſione itineris in externa, nec tamen domeſticis abjuncta, digreſſus, priusquam expeditionem ad Rhenum repetam, pauca finitimis de rebus memorabo, quæ turbatiores hoc tempore bellantibus inter occaſiones fuere. Edſardus Transamaſianorum comes Delphizylianis pactionibus velut per vim expreſſis offenſus ad Imperatorem provocarat. Imperator, qui nec externa in res Germanicas arbitria probare poterat, nec exitum videret eorum, quæ nolente civitate decernerentur, hanc tan-

1598.

Nuptiali fœdere Clemens Ferraris Philippum Margaretæ, Albertum Iſabellæ ſolemniter connectit.

Comitis Edſardi nova in Friſia Orientali turba.

1598. tandem rationem reperit, ut abrogatis Delphizylianis legibus ipſe eadem prope omnia imperaret. Spe irritus Comes cum aliquamdiu augendæ poteſtatis tempora reſpexiſſet, hoc anno civitatem turbis ſumtibusque exhauſtam, ita ut pecuniam, quam ex pacto debebat, aliaque neceſſaria niſi novorum onerum indictione, expedire non poſſet, inteſtinis diſcordiis miſcere aggreditur. Miſſi in urbem filii duo, alimentum tumultus: quæſitique e vulgo, qui alios vectigali infenſos, quod e novemdecim plebis ſodalitatibus duæ recuſabant, aut a publica religione diverſos contraherent, portasque remolirentur ituro militi, quem alia prætexens in hanc cauſam acciverat. Sed edita conjuratione, irati magiſtratus apud Comitis liberos paterna de perfidia queruntur: & morte affectis, apud quos mandata tumultus conciendi reperiebantur, exſilium cæteris ejuſdem factionis popularibus, aut mulctam irrogant. Erat inter principes ſeditionis Grunius, homo domi clarus & magnarum neceſſitudinum, affinem inter alios Wilhelmum habebat. Is Iohannis Funkii, qui rebus olim Belgicis per Hiſpaniam præſederat, agnatus, haud ita dudum ſpecie privatorum negotiorum in Batavos venerat. Sed deprehenſus mandata Alberti ad Edſardum ferre, & quæ ea eſſent rogatus, nihil aliud niſi Hiſpanicis copiis per agros Transamaſianorum peti tranſitum reſponderat; quanquam erat credibilius & acceptis jam ante indiciis congruentius, de ipſo jure comitatus cum aliis in Burgundia, aut apud Lucemburgum bonis, permutando agi. Hac ille de cauſa aliquandiu aſſervatus, ut conſilia ſaltem mora eluderentur, tandem ſoluta pecunia evaſerat, ut violata fide publica belli jure captivus. Sed ejus Funckii hoc tempore repertæ ad Edſardum literæ, queis hortabatur, ne Germaniam ultra ſpectaret, aliaſve ſpes longinquas, aut irritas, toties eluſus; ſola vi Hiſpanica poſſe in imperium reſtitui: ſed dandum ſocietati pretium, ut ad tempus metari in agro caſtra liceret, ultionique rebellium in amnis oſtia & propinquum ſinum claſſem inducere. Quas ob cauſas oratus præfectus Friſiorum Wilhelmus, ut paratum ad neceſſitates ſubſidium haberet, recepit curam: atque interim jubet proximis e locis inſtructum exercitumque militem, exauctoratum a ſe, in urbem & ejus ſacramentum tranſire. Inde, & ſi quid aliunde conquiri potuit, firmiore jam civium concordia, quia conjuratio ad cædes & incendium ſpectaſſe fere-

Succeſſu carent.

Friſiorum præfectus Friſiis Orientalibus contra Comitem ſubſidium mittit.

ferebatur, ſed ipſis armorum rudibus ac trepidis, eoque alieni præſidii egenis vexillum ad homines trecentos conſcribitur. At Comes, velut accepta non illata injuria, ultro civitatem dicendam ad cauſam coram Senatu imperatorio vocat, multa queribundus, quod Batavus miles ſua prædia popularetur, quod extremis ſuppliciis in immeritos ſæviſſent, quibus lege agere ſine ſe inconceſſum, ſuosque liberos indignis modis tractaſſent; adacta & juventute nova in verba, queis debitam principi fidem exuerent. Ita verbis adhuc judicia, conatu nihil non hoſtile agitabant. At filii Comitis ambo regi Polono, cujus amita prognati erant, inane auxilium ivere, ibique paucis navibus Emdanos exſules, tumultuum cauſa urbe pulſos, imponunt, additis mandatis ut adverſus ejus injuriæ auctores jus armis dicerent. Deditque honori affinitatis Polonus, ut civitatem, ſi contumax perſtaret, commercio ſe interdicturum minaretur; ſcriptis eandem in rem ad Ordines fœderatos literis, ut multo cum faſtu, ita mirantibus aliis, quod avito Sueonum imperio extorris & inultus tam longe abſitis leges præſcriberet. Holſatus quoque dux, cujus natam Enno Edſardi filius conjugem duxerat, Emdanos mercatu abſtinebat, naves ſuum in littus advectas retentans. Paria apud Danum & Hiſpanos tentabantur. Aquarumgrani diſſidia longius provecta, veteres inter magiſtratus, queis dux Iuliacenſis aderat, gentili jure urbis patronus, & eos, qui ſpecie judiciorum exactis aliis rempublicam obtinebant. Mox neutiquam obſcuro Hiſpani impulſu per Mendoſam & Clementium præcipitatæ ambages magnis auditoriis ſolitæ, damnatique Spirenſi judicio occupatores: ſed cum præſtitutum intra diem judicatum non facerent, hoſtes Imperii pronunciantur. De quibus ita decretum eſt, his opem ferre nec fas nec tutum; ipſos offendere, necare ſine fraude eſt, bona in prædam cedunt. Anno mos iterari proſcriptionem ſævioribus verbis. Fecialis, poſtquam cuncta ritu ſolemni condixerat, proximos Germanorum, Iuliacenſem, ſimulque Coloniæ & Trevirorum epiſcopos manu militari defendere jus dicentis auctoritatem jubet. His viſum Alberti vires, paratum auxilium, aſſumere. Iamque Aquisgranenſi territorio præſidia poni, jam pecora & quod in agris obvium per Iuliaci Limburgique militem trahi cœperat. Nec penes illos ſtetit, quominus nobilis Caroli Magni regia, poſitarumque intra Alpes regio-

1598.

Comitis querela.

Diſſidia Aquarumgrani longius provecta in damnum Reformatorum exeunt.

1598. regionum diu caput, & in hunc diem capeſſendis Imperii auguriis Romæ & Mediolano æquata ſedes, integris Germaniæ rebus exſcinderetur. Perculſi rectores, quos profeſſionis Auguſtanæ principum gratia & pollicitationes tam repentis mali improvidos fecerant, cum hinc venientem ſub Mendoſa exercitum, inde belli Hungarici delectus, ut ſibi imminentia, paveſcerent, nullis contra munimentis, declinandæ invidiæ urbis imperium populo permittunt. Is precatorem aut arbitrum ſibi legit Agrippinenſium antiſtitem, qui juſtis legibus pacem redderet. Ita vitatum exitium: ſed mutati ritus qui per annos quadraginta invaluerant. Nam ingreſſo urbem præſidio ſumma atque infima munerum Romanenſibus mandantur, demotis quos ab ipſis & inter ſe diſcordes Lutheri & Calvini ſectatores nominabant. Qui honores geſſerant, primum privatam intra cuſtodiam dati, exin multis Belgarum comitantibus, quos ob civiles diſcordias olim profugos eadem illuc mala ſequebantur, graviorum metu, nec adverſariis nolentibus, ad Batavos, pars alio fugere. Inter reductos exſules Engelbertus fuit, qui fœderatis in partibus turmæ quondam ductor, cunctis militaribus vitiis quam ulla virtute cognitus, impetrato apud conſilium Spirenſe pignerandi jure, quod ſtipendia non ſoluta diceret, in Belgas mercatores injecta manu, per domos cum haſta & ſectoribus vagabatur. Allectum in urbanum tribunal atque eo ferociorem, unæ atque alteræ Ordinum literæ compreſſerunt, iniquum ferentes, nec tolerandi exempli publicam cauſam inter privatos agi, apud judices verum falſumque nomen haud facile diſcreturos, & ni mos gereretur, adjectis minis. Paritum protinus, cum olim nullis prope in regnis Belgæ homines talis injuriæ ſecuri agerent. Sed vetus eſt, nec documenti egens, prout arma partium & vires ſunt, ita jura temperari. In Cliviis imperium omne conſiliarii adhuc ducis obtinebant, Auſtriacana factio. Ne Berca quidem a Batavis capta moverant ſe imminentes hæreditati principes. Primores ſane Cliviorum ac Iuliacenſium, velut ad Ordines nationum morbidi Principis ſpectante tutela conſultarant de conſcribendis copiis, equitum bis mille, ſex mille peditum, in ſpeciem defenſandis finibus, reipſa ut rempublicam occuparent. Sed ubi de ductore agi cœptum, aliis Iohannem Naſſavium, Hohenloium aliis laudantibus, nec inveniendi ſtipendii expedita ratio; longa deliberatio tem-

pus

pus adverſariis firmandæ potentiæ dedit. Hæc atque alia non magis metuendos Batavis Mendoſæ paratus quam ſuſpectos Germaniæ fecerant. Trahebat ille Hiſpanorum centurias duas & ſexaginta, Italorum novemdecim, Hibernicas duas, tum e Germanis cohortes quatuor denarum aut ultra centuriarum, totidem e Walonibus, Burgundicam unam: quorum omnis numerus peditum ad viginti millia ſerebatur. Lancearii Epirotæ turmas ſex, Hiſpani duas, Belgæ item duas fecerant: quinque alias tubi minores plerique e Belgis, & octo majores ex Hiſpanis Italisque; equites omnes haud multo ſupra bis mille. Nam cæteri ad turmas duodecim circum Brabantos adverſus improviſa præſidium relinquebantur. Multo a tempore haud majores Regiæ copiæ, quarum ſpeciem famamque ingens calonum lixarumque turba, & carrorum mille ſepties ſtrepitus geminabat: nunquam certe lætior ſub Hiſpanis Belgicæ facies fuit. Quippe tanta mole armorum levata oppida agrique, præcipue quæ Gallis adſita, longis e malis reſpirabant. Etiam hoſtis procul alio verſus ſecuritati fiduciam addiderat. Exercitum omnem ſecundus a Mendoſa, per invalidam Mansfeldii ſenectam, regebat Fridericus Herenbergenſis, caſtrorum Præfecti vocabulo. Moſam Trajecto equites, diverſi Venloa, ac Rurimunda alii tranſiere. Inde Iuliacorum per terras Agrippinenſesque & alia Germanici nominis, lato itinere, nec ullo inter inermes populos metu, Rheni ripam petebant. Præmiſſus Barlota dux frequens rebus audaciam aut celeritatem poſcentibus, quantum pontonum cymbarumque in amne repertum unum in locum Bonnam inter & Coloniam compellit; & traductis illac octingentis ſuorum, machinisque levioribus (colubros quos vocant) duabus, naves Batavorum præſidium agitantes Bercam uſque fugat. Ita pluribus militum aſſumtis vacuo flumine & ulteriore ripa potitur. Gravi interim & licentioſo agmine pacatos populos premens Mendoſa, quorum querelas effugere non poterat, injuriis moderari aſpernabatur. Nam & multorum paſſim conſcientia aderat, nec ignarum divulſam diſcordemque Germaniam, & veteris armorum gloriæ deſuetam: ipſi animus tantum principi fidus, dumque juſſa perageret, externæ famæ & ſine viribus odii contemtor. Haud abſurdum fuerit, quando nos res ipſa huc locorum duxit, eas nationes, quæ proxime Batavos Rhenum obſident, ſub principum aut epiſcoporum dominatu,

1598.

Mendoſa in Clivios & Iuliacenſes exercitum ducit.

Maxime tunc Regiæ copiæ.

Fridericus Herenbergenſis, ſecundus a Mendoſa exercitus dux.

Barlota Batavorum naves Bercam fugat.

Nationum, Rhenum proxime Batavos obſidentium, deſcriptio.

1598. minatu, imperii jamdudum Teutiſci partes, ſitusque ordinem perſcribere. Vetera certe nomina cum recentibus contendere ſpecioſius quam verius poſſem: nam & priſci auctores parum introſpecta Germania haud eadem memoravere; turbata mox omnia crebris gentium inter ſe migrationibus: tum obſcuritatem auxere ſecuti interpretes, antiquam famam ad ſuæ quisque gentis decora trahendo. Hoc ferme aſſeram, ſupra Batavos, qui extra inſulam Gallicæ oræ proxima tenuerunt, quod Rhenum inter & Moſam patet, & pauca trans utrumque flumen loca ſilvoſo quondam ac paluſtri ſolo, priſcas Menapiorum ſedes fuiſſe, a quibus Eburones cognatæque his nationes, unde primum Germanorum eſt ortum nomen, Tungri dicti, poſterius Moſellam & Treviros, notum amnem & populum attingebant. Tergum Nervii cum clientibus ſuis Scaldi amne, quem ultra Morini, & Arduenna ſaltu complectebantur, qui nunc fines Belgicam, quæ ſub ducibus Burgundionibus fuit, a Francorum regno diſterminant. Sed poſtquam Vbios e regione, quæ Treviros contra eſt, in partem alteram Agrippa traduxit, aut transgreſſos ultro in fidem accepit, præſertim addita ab ejus nepte Romanorum colonia, & in his proxima Gugerni incubuere, Menapiorum nomen obſolevit, niſi quod pulſis ad interiora cultoribus cis Moſam ac Vahalim primum, ſerius Scaldin inter ac Morinos conſediſſe non inanibus conjecturis videri poteſt. Ex eo omnis hic tractus, a Batavis ultra Treviros Maguntiacum usque Romanis inſeſſus præſidiis, Germaniæ partim inferioris, partim ſuperioris nomen accepit; quia Transrhenana incolis origo, quod ſermonis indicio nunc quoque noſcitur. Prætexebantur hac flumini vada, Grinnes, Batavodurum, Arenacum, quæ cuncta Gallica in ripa fuere, contra quam plerisque error perſuaſit: inde Burinatium, Trajana colonia, & Vetera Batavico quondam bello nobilitata, Aſciburgumque & Calo, quo loco fuerint, per conjecturas quæritur. Noveſium, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Antunnacum & Confluentem monſtrant ſervata in hunc diem nomina. Poſteris temporibus omnem hanc regionem & ſuperiores alias, Auſtraſiæ vocabulo, quod pars ea Galliæ in Orientem vergeret, Franci tenuere; novorum plerisque in partibus nominum auctores. Quos ubi ſuæ discordiæ attriverant, Imperatores Teutiſci, principibus aut populis plus poteſtatis aut libertatis largiendo, jus ſummum

in ſe traxere. Itaque nunc eam Geldriæ partem, quæ infernæ Bataviæ titulo appellata urbem habet Noviomagum, Clivii Cisrhenani excipiunt. His ſe inſerit, indeque longe ripam occupat epiſcopi territorium, cui ſedes Agrippinenſis Colonia. Clivios ambit alia Geldrorum portio, quam olim qui regebant, Tutores vocabantur, ubi Geldra oppidum, & ex eo toti genti coalitæ appellatio. Retro Gugernos coluiſſe vetus deſcriptio perſuadet, & in hunc diem Goga vicus. Agrippinenſium in tergo Iuliaci, urbi ſatis antiquæ cognomines, eoſdem nunc cum Cliviis principes, olim cum Geldris communes habuere. Interiores adhuc ad Moſam Leodici cum Limburgo, Lucemburgi Moſellam & Treviros adeunt. Treviris & Leodico epiſcopi imperant, cætera Belgicæ accenſentur. At ulteriore Rheni ripa, quæ vetus Teutiſcorum ſedes & magna Germania, enitentibus primi olim Friſii occurrebant, qui parte ſui, qua Minores dicebantur, Caninefates in Batavorum inſula populum proſequentes, altera circumfuſi immenſos lacus & Flævi æſtuaria, inde Amaſium usque Oceano prætendebantur. His impoſiti Bructeri Majores eodem amne tenus, & jam contra Menapios reliquiæ Sicambrorum, poſtquam gens ipſa ſponte, an vicinorum, vel Auguſti armis ad Vahalim conceſſerat. Ad Luppiam rurſus Bructeri, ſed Minores: quod cum flumen veteres in Oceanum ferri crederent, recte alii Rheno miſceri tradiderunt, per Iſalam ſcilicet, cui Rheni partem Druſus miſcuit. Nam Aliſo quidem qua fluxerit, tam incertum eſt, quam illud conſtat, multo etiam ſerius nominari amnes, quorum nunc nihil comparet. Verum pulſis utrisque Bructeris, non tamen ut nomen omne abolerent, eaſdem mox ſedes Chamavi, & ſupra hos Angrivarii cum Marſis tenuere, qui tergum Chattuariis & Dulgabinis cludebantur. Proximi, non eo quo nunc ad Iſalam dicuntur loco, Tubantes: & qui ex adverſo Agrippinenſes ſpectabant Tencteri: quos propter Vbii quondam fuere. Sed hic traductis ſubiere ad Rhenum Alemanni, Gallicum genus, longius a ripa Catti quos inter & Oceanum ingens ſpatium Cauchi implebant. Friſiorum a littore ad Albim continui: ſed medius Viſurgis majoribus & minoribus erat diſcrimen. Cauchis cohærebant ad mare Saxones, inde Cimbri Albim ultra. Quo tranſito, Viſurgim longius ab mari ſi repetas, Cheruſci tangebant Cauchos, Angrivarios, Cattos, quos circum Suevi 1598.

1598. plurimis nationibus utramque Albis ripam & Hercyniæ Silvæ immenſa retro ſpatia obtinebant, Germanorum diu valentiſſimi, ita ut & Rheno propiora colentes populos ſæpe dimoverint. Sed per tempora & bellorum vices vix unquam conſtitit his regionibus ſua facies. Nam ut Cauchorum maritima Friſiis ceſſiſſe, ex appellatione, qua nunc utimur, credibile eſt; ita interiora, quæ multorum, quos diximus, fuerant, a Francis occupata planum eſt, aliunde advecta gens, ſeu diverſæ nationes ſtudio libertatis in fœdus ac nomen compoſitæ fuerunt. His primum in Germaniæ remotiora, deinde in Galliam digreſſis res Saxonum viguere, qui & cis Albim rerum potiti, interdum & Rheno tenus, occiduum hoc latus Weſtfaliam dixere. Singularum nationum hæc ſumma eſt. Geldros Velavo nomine (ſunt qui olim Marſacos dictos putent) Rhenus ad Iſalam effundit, queis contiguos Transiſalanos alibi deſcripſimus. Tubantes hic vetus populi nomen, nec a Tencteris Tarantii abludunt, ſunt & in Comitatu Herenbergenſi, qui Zutphanicæ regionis pars eſt; & Sicambrici nominis reſtant veſtigia, ut & Bructerorum, quos Boructuarios vocavit ætas ſerior, paſſim paluſtribus locis. Quæ etſi doctis ingeniis placuiſſe video, tamen haud diſſimulandum eſt, quod ex ſuperiori demonſtratione apparet, plerisque nationibus longe diſſitas fuiſſe ſedes, niſi validiorum armis huc redactas per ambages conjectare libeat. Zutphaniis ſub ipſum inſulæ Batavæ faſtigium Clivii adhærent Transrhenani: ſequentem in ripa Montis, qui dicitur, ducatum longo tractu Marcæ comitatus ambit, cuncta eodem ſub imperio. Inde minores ſunt principatus, quos inter Naſſavia Lonam ad amnem Treveris obvertitur, vel numeroſa prole a ſe oriundæ gentis, vel latitudine Memoranda. Transiſalanis ad mare Friſii ſuccedunt, quod nomen nunc & ultra Amaſium durat, facto ab Emdanis initio, queis tergum Oldenburgii ambiunt. Sequitur Viſurgim intra & Albim Bremenſis epiſcopi ditio: poſt quos Holſati, pars quidem Germaniæ, ſed qui ducatu inſignes, ut Iutiæ Danorum provinciæ proximi, ita principes in ſui parte agnoſcunt quos nunc reges Dani. Interiora hunc in modum ſe habent. Clivios & Marcenſes Monaſterium tegit, terra urbi cognominis ſub epiſcopi dominatu: propius Transiſalanos Benthemiorum eſt comitatus, inde velut acclive iter Lingano & Teclenburgio ſolo, quæ ſub comitum jure ſunt, per Oſnaburgum antiſtiti,

antiſtiti, Dupholdiam comiti parentem, Oldenburgii terminant. Alter ordo comitatus tres habet, Luppiam ad amnem ſimilis vocabuli, Ravenſpergium, qui nunc Clivii eſt principis, & Lemgovium: poſt quos Mindenſis epiſcopi territorium Viſurgi finitur. Hactenus Weſtfalia, quam ſupra Waldecenſis comitatus, & longius Haſſia ſub Landgravio ad Rhenum, Paterbornenſis epiſcopus ad Viſurgim accedit; non hic Agrippinenſem, ut quos atte diximus, ſed Maguntiaci pontificem pro Metropolita agnoſcens. Iam ſi ad Palatinatum Rheni, Francones, Thuringios & Brunovices veniendum ſit, non idoneis moræ cauſis rerum ordinem interrupero. Iura pacis in Orſæo primum violata ſunt. Oppidum id Bercam ſupra Rheno imminet e ripa citeriore Cliviorum, qui non obſcura loci oportunitate munire quondam aggreſſi, vix jactis fundamentis, ſumtu & diſſidiis inter ſe omiſerant. Et Batavis quo minus occuparent perficerentque infamiæ metus obſtitit. At dux Hiſpanus, ubi pro oppido conſtiterat, ejusque rectores vim contra de jure diſſerunt, portarum obices ſecuri ipſe parat incidere. Simul alii ſcalas curribus detractas mœnibus admovebant, cum paventes oppidani pandunt aditus. Arcem ſervabat genus militis ſemipaganum, non tam rapinarum quam belli expers, quos cæteri irriſu ornatus vilioris, nec ut ipſi longinquarum avium plumis verſicoloribus capita inſignitos, inde gallipinnios vocant. Hos inanem in ſpeciem moras nectentes Mendoſa, carnificem & laqueum oſtentans, coegit deſcendere. Traducta Rhenum cohorte, quam Buquoius comes Belga regebat, & Hiſpanicis duabus, deinde equitatus parte ferme altera, eodem tempore Orſæum, quanquam ad quintum intra diem migraturus Mendoſa promiſerat, & vicus ex adverſo jacens Mulſemum nomine permuniri jubentur: dimiſſis per avia lignatoribus, qui longe quamvis diſſita arboribus nudantes, nec ædificiis aggreſſum abſtinebant. Id tum præſidii ſatis ad transitum amnis firmandum videbatur, quo conſilio poſtea deceſſum eſt. Quæ dum geruntur, & Fridericus circumſita Germaniæ luſtrans, ubique ut ſubditis imperat, aut minatur ut hoſtibus, vis ac ferocia Hiſpanici exercitus multum terrorem non inermi tantum populo, ſed & Fœderatorum vulgo rumoribus belli aſſueto intulit, ita ut extimis diffideret, intimis timeret. Ei pavori obviam Princeps iturus, primos ad nuntios evocato milite, qui locis interioribus degebat, Sco-

1598.

Mendoſa Orſæum & Mulſemum muniri jubet.

Magnum terrorem Fœderatis infert.

Princeps obviam it.

 to

1598. to maxime Angloque, cui pars etiam præſidii Brilenſis & Fliſſingani acceſſerat, Arnhemum venit: eodem equitatus, &, ductante Wilhelmo, Friſiorum cohortes properavere. Naves, quæ bello idonea ſubveherent, adverſantibus ventis tardius enitebantur. Ipſe mox Gravewartam inviſens, inde Zutfanienſis territorii & Transiſalanis oppidis, queis ab hoſte metus & ſpes ulla defenſandi, militem partitur. Sed cætera minores per duces cognita. Doſiburgum & Doticomum, qua primus e Germania acceſſus ad Iſalam in dextra inſulæ Batavorum patet, ipſe inſpecturus cum equite proficiſcitur. Obviam illic amitam habuit Herenbergenſium matrem: ea cum egregio filiarum comitatu poſt ſalutem peractam, per jura ſanguinis ſuamque fortunam, quæ ſola proximas neceſſitudines bello diſtractas, & alia in parte fratrem, alia maritum vidiſſet, orabat ut quantum belli ratio permitteret, poſſeſſionibus ſuis parceretur. Ita Herenbergæ (Zutfaniæ oppidum eſt, unde familiæ nomen) demta munimenta, detractum præſidium, eodemque exemplo oppida alia & arces victori non dubie ceſſura, interim paci traduntur. Tum Caſtrorum de ſede haud diu conſultatur: nam cum Bercam circummetari intutum appareret, ne interpoſitus hoſtis commeatu ſociiſque oppidis imparem exercitum abſcinderet, exiguam inſulam dextro adjacentem Batavorum lateri, non longe infra amnis divortium, Geldrica quæ dicitur, tenere placuit; nec minus ripam Transrhenanam qua ſe Clivica ditio inſinuans oppido Sevenaria jus Zutfanicum finit. Vtrinque compoſitæ naves pontis in morem, queis commode tormenta & equites tranſirent. Et quando coactum unam in partem periculum metus alios ſuſtulerat, evocantur Oſtenda & Noviomago, Hollandiæque & Zelandiæ extimis milites, ſupplendis copiis quas præſidia exhauſerant. Hos adduxit Hohenloius. Ejuſdem inſignis opera fuit, cum Transiſalanas urbes, circumfuſo jam hoſte, machinis, quæque alia arcendo eminus oppugnatori, inſtruere juberetur. Tum Princeps ad cuncta imminentium ordinanda neceſſarium ratus, explorare quid ſibi virium in armis foret, cenſu acto comperit equites ad mille & quingentos, peditum vix ſex millia adeſſe, aperto certamini minorem turbam, ſed ubi ingenio ducis temporiſque & loci præſidio juvaretur, arcendo hoſti ſatis, & pro occaſionibus auſuram. Igitur intellecto per captivos commeatus Mendoſæ Geldra oppido adventare,

In gratiam amitæ, Herenbergam aliaque loca demptis munimentis paci tradit.

Cum exercitu Geldricam inſulam occupat.

Copiæ Principis multo hoſtilibus minores.

ventare, retro cum turmis primoribusque caſtrorum ad 1598. Moſam properat, ſpe intercipiendi Venloam inter & Orſœum hoſtilis præſidii: ſed flumine tranſito patuit ſuſpectas Hiſpanis vitatasque fraudes; ita irriti ſiſtunt cohortes ſuorum ſubſequi juſſas. Certatum & in amnibus paucorum perfugarum inſigni ante alios audacia, qui navem longam Batavorum Rheſam propter excubantem, ipſi vectoria allati, tanquam vi fortuita impingerentur, telis obruerunt. Creverat interim novo copiarum adventu Hiſpani exercitus, ſed ipſa multitudo oneri erat; dum large quamvis devectos Colonia viciniſque oppidis commeatus multitudo exhaurit, nec magis pretium annonæ quam ſtipendii penuria caritatem facit: cui ſubvenit direptio agrorum villarumque Montenſe per ſolum, quæque alia Germaniæ Rheno prætexuntur, præcipua in eos ſævitia qui Romanam religionem averſari credebantur. Initium id prædarum fuit, & miles indigena, ſeu ruſtica juventus injuriæ reſiſteret, cauſa promiſcuæ cædis. Nec ea tamen licentia redimi quivit obſequium militis, qui modo æra poſcens, ſæpe velut otii & imbellis ſanguinis pertæſus in duces aut ſocios iram vertebat: ita ut Walones & Hiſpanos ſubito tumultu arma miſcentes vix Mendoſæ interventus dirimeret, ipſiusque prætorium propter fierent cædes, & centuriones ſuo a milite ſpoliarentur. Ipſi quin etiam proceres invidia aut conſiliis diffidebant. Ludovicus Velaſcus machinis præpoſitus Mauritium imparem virium loco pellere, dein quantum Iſalam & Rhenum inter patet, ac longius ipſa Batavorum viſcera penetrare magnificum, patrandique belli ferebat: Herenbergenſis dextro itinere tutiores aditus & Amaſium usque nulla vi obvia promtam poſſeſſionem, aut belli veluti arenam perpetuo hoſtis damno oſtentans regionis peritia nitebatur, qua & Transamaſiani comitis filius vocare creditus, id tempus in caſtris agens. Quorum omnium gnarus Princeps captis e literis & transfugarum indicio, Emdanam civitatem periculi monuit, ſuis ipſe firmandis pervigil. Graves quotidie querelæ ad aulam Cliviam ferebantur, principibus faciendæ Hiſpano invidiæ Orſœenſibus, qui mœſto ejulatu orabant rectores Mendoſam pro ſe deprecarentur, non jam ut ſecuris & ſua obtinentibus otium permitteretur, quæ debita quanquam ſibi olim ſocordia periſſent, relinquere ſe penates, deſerere agros, ac cedere ultro validioribus, tantum conjuges parvosque na-

Novo copiarum adventu Hiſpani accreſcunt,

Agros diripiunt.

In ſe invicem & in duces arma vertunt:

Ipſi quoque duces diffident.

1598. tos educere avitis mœnibus liceret, ne velut infima Hiſpanorum mancipia operibus faciendis, perque ludibria & contumelias fœde vexarentur. Vbi aliter non poſſent libertatem ſibi recte vel exſilio conſtituram. Quæ ſegniter accepta inter conſcios aut mitiora ſperantes. Nam quibus præcipua auctoritas, infenſi Proteſtantibus, ultro adverſum diſſentientes vim Hiſpanicam advocaſſe inſimulabantur. Simpliciores iter Rheno quæſitum volebant, & brevi tranſituras injurias, quæ interim bellantium more excuſarentur: nec uſui, minora mala ulciſcendo majora irritare: brevi flagraturum unius belli incendio terrarum Orbem, ſi ad quasque offenſas vicini arma raperent, & partibus miſcerentur. Huc acceſſerant ipſius Alberti literæ, qui Sibyllæ ducis ſorori humane reſponderat, neceſſitatem deprecans & aliqua in præſens incommoda, unde in poſterum, domitis utriusque rebellibus, ſecuritatem Clivio principi ſecum communem fore. Sed graveſcentibus indies criminibus, juſſa nobilitas præfectique & civitatum legati Cliviam in urbem convenire. Ducis vanum nomen, qui ne morbus recrudeſceret, ſua atque aliena mala pariter celabatur. At Sibylla prudentiæ virilis fœmina, modo univerſos, modo ſingulos obteſtata, non de principis vectigalibus augendis, non de finibus diſceptari, ſuam ipſorum libertatem & animam in dubio eſſe: quare expergiſcerentur, &, dum tempus remediis ſupereſſet, in commune conſulerent, ſæpe & lachrymis ſuborientibus miſericordia audientes impleverat. Victis igitur diſſidiis decretum, ut, primis urbium tumultuario milite firmatis, auxilia undique concirentur. Germania eſt omnis diviſa in pagos decem, quos Circulos ipſi vocant; ſupernos quinque, totidem infernos. Primus infernorum tres antiſtites eoſdemque Septemviros, & ſub eorum fide tres liberas civitates, Maguntiacum, Trevirumque & Agrippinenſium colonias; Palatinumque principem & hunc e Septemviris: exinde minores alios complectitur. Alter eſt Weſtfaliæ, quem ante deſcripſimus, in quo principes Clivius, Transamaſianus, Waldecenſis, & epiſcopi complures. Tertius & quartus Saxonum: in illo, qui Miſniam & Luſatiam comprehendit, dux ipſe Saxoniæ & marchio Brandeburgicus Septemviri; duces Pomeranus, Anhaldinus, pluresque principes; civitates aliquot: in hoc ſupremi antiſtites Bremenſis, Magdeburgenſis, minores quin-

Sibyllæ Clivis hortatu undique in Hiſpanum auxilia conciuntur.

Germaniæ in decem pagos diviſio.

quinque; duces Holſatus, Brunovix, Megalopolites, Luniburgicus; civitates ad mare Balticum complures. In ultimo, cui Burgundico nomen, Veſontinus præſul cenſetur; atque huic olim Belgas ſuos Carolus adſcripſerat. Singulis pagis delectus præeſt, qui cum adſeſſoribus minora tranſigat, in majora concilium indicat. Weſtfaliæ eo tempore curam obtinebat Simon Luppiæ comes, quem tum Clivii oravere Orſæum uti a Mendoſa repoſceret, ac ni pareretur infernorum pagorum quinque legationes Dortmundum evocaret: atque interim retento milite, qui in Pannoniam mittebatur, tributoque Turcico internum periculum longinquo præverteret. Nec eo ſegnius miſſi qui imperatorem precibus fatigarent; quique accolas Rheni epiſcopos, & Palatinum Heſſumque & Brunovicem, metu irrepentis ad ipſos mali, in curæ ſocietatem pertraherent: & Agrippinenſes dehortarentur, quominus alimenta Hiſpanis mittendo communem ruinam prorogarent. Alii Mauritium adiri juſſi, gratiis actis, quod hactenus quanto poſſet minimo finitimorum damno bellum gerere inſtituiſſet, orant ita pergeret hoſtium ſcelera ſolida virtute convincere, neu mala invitis illata, quæ ſibi ad miſericordiam proficere deberent, in iram verteret; ſed auctores injuriæ potius, quam invalidæ gentis patientiam ulciſceretur. Quod gratum ipſi Ordinibusque, præſertim quia olim ſæpius optatum tunc prope ſperabatur, ut fruſtra invocatis legibus, auctaque per impunitatem Hiſpani libidine, Germani ſecum arma ſociarent. Dictum igitur anno ante octavo cuncta ſe, quæ Germanico in ſolo tenebant, tradidiſſe, promiſſo fore ut Hiſpani idem facere, ni precibus darent, armis compellerentur. Quod cum non eveniſſet, modeſtiæque damnum, injuriæ præmia adeſſent, usque adeo ut ipſe Albertus, tantorum nunc facinorum auctor, hæres Imperii a multis deſtinaretur, circumſcripta toties bonitate aliquomodo coactum ſe iri paria hoſtibus commoda præ verborum inanibus optare. At ſi ea, quæ prædicta ſæpe, experti tandem Germani intelligerent, poſt tot hoſtilia ab Hiſpanis patrata nunquam juſtius ſubverti ingruentem dominationem; mortuoque Philippo vetere regnandi, exercitu inope ac diſcordi relicto, nunquam oportunius arma conſanguineis cum populis jungi potuiſſe. At Mendoſa ad ſe miſſis, uſum ita ferre, cum aliter comprimi perduelles non poſſent, nec aliud reſpondet, juris in tantum

1598.

Mauritio gratiæ aguntur, quod minimo finitimorum damno bellum gereret.

Fœderati Germanos in Hiſpanos incitant.

1598. contemtor, ut quæ in Clivios pro Auſtriacis dici vetera novaque obtentui poterant conquirere dedignaretur. Hiſpani interim mala in dies graviora, dum aliis inferunt, ipſi patiebantur. Nam & cis Rhenum continuo raptu conſumtæ fruges, pulſi agricolæ, cæſa materia, nudum velut ex hoſtili incendio ſolum late reliquerant; nec ſolitum caſtra ſubſidium ſequebatur, ſpoliatis aliquoties commeatuum ſubvectoribus, hinc fames & mox crebra diffugia: nec clam tantum aut ſinguli dilabebantur; ſed eodem die plures centuriæ inſtituto procul ad Moſellam curſu miſſum qui retraheret equitem, ut ſe dimitteret, manu coegere. Auxerat penuriam, quod incitatus flatu ventorum ſuoque impetu Rhenus in naves, quæ pontis uſum præbuerant, ſeu fabrorum per inſcitiam rupta compages riparum commercia abſciderat. Eo incommodo admonitus Mendoſa obſidium Bercæ, de quo diſceptatum hactenus, certo decrevit; quoniam inſula illic clauſtra fluminis, firmusque tranſitus, & cætera ad tempus non ſine infamia retinebantur, illa honeſtius manſura poſſeſſio jure victoriæ: quo magis mirari ſubit, ultra menſem dilatam hanc curam invalido hoſte & longe abſito, ni juſtior in illis partibus moræ ſpecies quæſita eſt. Invitabat etiam occaſio, quia Bercam Ordines ſæpius interpellati, nec ut alienam reddiderant, nec munierant ut ſuam. Ineunte anno Boioarus Agrippinenſium & alibi antiſtes, reſtitutionis poſtulata per Iohannem Naſſavium Iohannis filium iteraverat, officioſis verbis æquitatem ſuam teſtatus. Impenſarum obtentum, quo ſe Ordines tuebantur, ita refellebat, ut diceret primos urbis occupatores ipſos fuiſſe, & Hiſpanos id exemplum ſecutos tamen aliquoties deceſſus fidem feciſſe, ſed interpoſita mora tandem obſidione præventos: quod ſi damna & armorum ſumtus repoſcerentur, at nulla eſſe juſtiora quam quibus ſuum quisque vindicaret: quare ſi pro Hoia recepta ipſe nihil imputare permitteretur, quanto iniquius alieni belli rationibus ſuum nomen interventurum? Simul demonſtrabat locum tutantibus oneri, nec hoſti neceſſarium fore, cum flumen alia commodius tranſiretur. Quod præcipue movit Fœderatos, ut per ſingulas nationes acto concilio longinqua intervalla, penuriam militis, muniendi laborem expenderent; & quanquam de impenſis non ultra pertendebatur, placuit tamen e redditione oppidi prope deſperati plus aliquid quam gratiam ſperare. Reſpondere igitur,

Magna Hiſpani militis fames, & crebra diffugia.

Bercam Mendoſa obſidet.

tur, ſæpe compertum, quod ipſi amicis gratificarentur hoſti in prædam cedere: haud injuria igitur ſe ſtipulaturos nihil invaſurum hoſtem Germanicos intra fines, neu quicquam facturum, quo Rheni commeatus gravarentur: quæ contra ſi fieret, damnum Boioarus & alii ad Rhenum Electores ſarcirent. Ille viciſſim æquiores conditiones rogans, ubi pene convenerat, haud ultra inſtitit, velut conſcius apparatæ ab Hiſpano ultionis, quem ad alia etiam cum Germanis principibus ſibi controverſa acciviſſe ſuſpectabatur. Batavos quoque tutandi oppidi cura non ante periculum ſubiit. Igitur circumfuſo jam Rhenum hoſtis exercitu, munire ſerum, præterque mala, quæ caveri potuerant, inopinum aliud acceſſerat. Namque exorta peſtilentia intra exiguum loci ſpatium facili contagio & inſigniori ſtrage graſſabatur. Cauſam mali crediderim inſolitam eo tempore Rheni ſiccitatem, qua nudatus alveus craſſis vaporibus cælum, alias quoque autumni vitio corruptum, infecerat. Inde in plebem ſparſum virus ut quemque invaſerat, ipſo humanitatis commercio vulgabatur. At milites præſidio relicti, queis nec victus æque nec habitatio ſuppetebat, ex multo ampliori numero vix ſexcenti valentes ſupererant: nec magis corpora ea lue, quam animi ſpectaculo frangebantur. Præfectus loco Scafius nomine, & ipſe morbo cubans, acceptis a Mendoſa literis, hoc tantum reſcripſerat, intempeſtive deditionis mentionem fieri, cum Ordines Agrippinenſium antiſtiti ſuper reddendo oppido conditiones nuper tuliſſent. Ea reſponſi modeſtia Hiſpanus, in ſpem temerariam perfidiæ adductus, alteris nuntiis præmia ipſi uxorique offerebat. Tres interim centurias Princeps, quia venti fluminis uſum abſtulerant, miſſas aliquoties, & ex itinere revocatas poſtquam irriti conatus negligentem hoſtem fecerant, ſubito pedeſtri itinere juſſit ire, tuendæ inſulæ, quæ juxta eſt, nec niſi per ultimam neceſſitatem morbidæ intra oppidum turbæ immiſceri. Infirma erant inſulæ munimenta; & perficere aggreſſos hoſtis prævenit, poſtquam machinas convexerat, tenue vallum globis undique penetrans: ſimul eques, qua languidior amnis, vado irrupit: ac jam cominus periculum imminebat, cum juſſu præfecti traductus miles diſpoſitis ex oppidi vallo machinis & jaculatoribus, quorum præſidio poſtremi quoque illæſi Bercam intravere, ſecreta ignium fomenta relinquentes, quibus tuguria corrumperentur. Inter hæc Mendoſa, ne

1598.

Bercæ peſtilentia exoritur.

Tres centurias tuendæ inſulæ Princeps mittit:

Vnde ab hoſtibus depulſa Bercam ingrediuntur.

qua

Mendoſa aliquot Clivia oppida præſidiis occupat:

1598. qua vis hoſtilis obſidium interrumperet, jacentia infra Bercam Clivici juris oppida præſidiis occupat; ultro pleraque ceſſere. Habitatores Burici primum auſos belli violentiæ nomen inane pacis opponere, mox immiſtum portæ incendium imperiis ſubegit. Alpæ etiam & Murſlæ impoſitus miles, quanquam hanc Nienarii, illam Palatini quondam uxores, nunc viduæ, obtinebant; fide nuper ab Alberto accepta ne res armis obnoxiæ forent: quod tum pluribus accidit, nihil valentibus pactis, cum jura omnia intercidiſſent.

Bercam impetit.

Nubilum cœlum juvit oppugnantes, quo celerius tribus locis Bercam accederent. Necdum ad foſſam pervenerant, jam poſitæ machinæ ex inſula ſoloque continuo percuſſionem minabantur: quo tempore Alfonſus Avaleſius equitatum regens, eique tum obſidio impoſitus, mittit more militari caduceatorem. Oppidanorum conſilium, ut poteſtas rogaretur mittendæ ad Epiſcopum legationis, ceu confeſſionem timoris, improbavit miles, fortia hoſti reſpondens; etiam hoc indignatus, quod, tanquam majore cura inferior, præfecto vincendus delegaretur.

Hiſpani impetum in propugnaculum facientes a defenſoribus fortiter repelluntur.

Facto in exterius propugnaculum impetu dejecti Hiſpani, eo cruentiores, quod nulla præmunitione contemtim irruerant. Sed ubi verberari lorica cœperat, dictu mirum, turris ad flumen ſpectans, in qua machinarii pulveris ſuffectura in longum copia ſervabatur, micante flamma ac ſubito fragore, velut fulmine icta, diſſiliit. Qui cauſam inquiſivere referunt, globi hoſtilis attritu lapides aut ferream ſubſcudem ſcintillaſſe, unde ardorem nitrum conceperat. Eo incendio cœlum omne peſtilentia purgatum; ſed graviora mala ſucceſſerant. Nam ictu proxima ædium proſtrata, aliquot mortales ruina eliſi; pars aggeris disjecta, quantum vix multis machinis actum foret; ac ni munimentum in morem lunulæ eam in regionem prominens conſpectum hoſtibus & vis inopina uſum animi ademiſſet, penetratum vi fuerat, ante repugnandi aut deprecandi conſilia. Nam ad illos quoque pervenerant magnæ lapidum moles non ſine aſtantium pernicie: etiam ſemihora poſt cuncta ſparſa albedine, & commoto Rheno navigia periclitabantur. Intra oppidum vero, ubi in ſe cuique redire vacuum fuit, horribilem adhuc ſonum attonitæ aures circumferebant; oculos quoque peremta aut lacera corpora fœdo viſu turbabant: at quoties labefacta munimenta, abſumtoque pulvere, quicquid reſtabat diſcriminis id manibus ſuis relictum cogitabant,

bant, non jam conſilio, ac ne imperio quidem regebantur. 1598.
Nam Lucas Heddingius, ad quem morte Scafii delatum regimen, jacebat inter alios illapſa mole oppreſſus. Ægre formidinem diſſimulantibus animis in tempore accidit, ut vitam hoſtis offerret, pacto tantum ne quatuor intra menſes militarent, quanquam haud ignarus parum ſibi ad victoriam reſtare: tanto his benignior, fideique retinentior, in quos juſta arma habebat, quam quos amicos appellabat. Eam gratiam Avaleſius retuliſſe creditur, memor Cnodſenburgico prælio captivum ſe quondam & in Batavis liberaliter habitum. Quinto die peractum obſidium: & Mauritius ſpe dejectus, qua longas propinqua hyeme hoſtilis impetus moras præceperat, non reperit tamen quod accuſaret, præter repentis fortunæ multiplices caſus, & ſuas copias extra finium propugnationem nihil ſibi permittentes. Quæ dum geruntur, pars altera Hiſpanici exercitus, quæ Rhenum transgreſſa contra Orſæum conſederat, inutili faſtu aſpernata redemtionis pretium, Zutfaniorum ultima & Transiſalanos agros furtiva populatione incurſabat, levi in ipſos damno, ſed per interjacentes illa Germanos rapaci nec incruento itinere. Plurima ſævitiæ edita exempla inſeſſis per vim oppidis atque arcibus, quæ flumina inter Luppiam & Ruram jacent. Sed promiſcuas in vulgus cædes unum facinus & viri claritate & flagitiorum multitudine obſcurat. Viricus erat Falcoſteinius comes terræ Brukiæ (Bructerorum eam fuiſſe olim, vox ferme perſuadet) religione cum Batavis ſentiens, & ſolitus in concilio ſuæ gentis Hiſpanicæ factioni liberas voces opponere. Habebat is ſecum milites centum, agreſtes aliquanto plures, tutamen infirmæ arcis, qui rapinas Hiſpanicas metu ſui, interdum cædibus coercebant. Iuſſus igitur ſatellitium dedere, cum Germanicas leges invocans abnueret, miſſo ad obſidium Lopeſio, & longius quam pro viribus certato, ultima prævenit, pactus vitam ſibi ac ſuis, fortunasque ſalvas; quas majores vero fama vulgaverat, quod ipſi ad cauſas exitii acceſſit. Nam contra fidem arx direpta, abducta uxor, præſidium obtruncatum, ipſe in cuſtodia habitus, ibique detentus aliquot per dies invitatur ut cœlo liberiore frui velit. Mandatum ejus interimendi Petrus Agajus acceperat, ſed ita ut in caſum cædes referri poſſet. Ibat per humum manantem militis ſui ſanguine, cum ſecuti cuſtodum ſpecie mortis exactores haſtili percuſſum, inde ferro transadigunt: & qui

Berca dedita.

Comes Falcoſteinius contra fidem datam trucidatur.

1598. & qui familiarium comitabantur, idem fatum ſubiere. Vulgato rei ordine, experrectæ ad ultionem Comitis neceſſitudines, atque ipſa populi indignatio acrior fuit, quam ut conſilium Iuliacenſe eam rem ſilentio transmitteret. Cui Mendoſa tam negligenter reſpondit, ut ſatis haberet juſtum negare, quod impunitum patiebatur. Addiderat, nec ſine cæleſti numine eveniſſe, ut jure belli caderet, qui publico ſeditionis atque impietatis crimine jamdudum perire debuiſſet; multum incuſata viri contumacia, inter crimina & hoc numerans, quod ad Latinas ſuas literas Germanice ignaro ejus ſermonis, velut per contemtum, reſpondiſſet: tum, ſi quid gravius interdum accideret, patientiam ipſis commendabat, ſine qua nec ſe parem regendæ multitudini, inopia & injuriis concitatæ. Verborum ludibria res ſequebantur. Clariſſimum Transrhenanæ regionis oppidum eſt Veſalia, mercatura & Belgicis artibus celebre, quas ſæviente religionum crimine frequentes illinc convenæ invexerant. Ea civitas, ſub Hiſpano judice ſuam præ cæteris gravem cauſam exiſtimans, honora legatione & donis prævenire ducis animum inſtituerat. Quo ille intellecto, non eum ſe reſpondit, qui induci poſſet, quod factu eſſet opus, id quo minus perageret; aut qui bonis bene facere niſi munerum perſuaſu neſciret: at non aliam ſui demerendi rationem, quam ſi ſacris publicisque rebus vera ac priſtina facies redderetur; eum ſibi aſpectum pulcherrimum magni muneris inſtar fore. Quæ ideo dicta, quia Veſalienſes juſſi ſæpius a Conſilio ducis Romanos ritus intra mœnia admittere, præfracte abnuerant. Mox cum tranſiturus Rhenum omni cum exercitu Hiſpanus ingens equitis ac peditis præſidium recipi juberet, quod jam Burica in proximo fecerat, caverique inſuper nihil per hoſtium arma iſtis in partibus novatum iri, intellectum facile diſcrimen: quippe obſequium mutationem ſtatus ſecum trahebat; ac, ſi renuerent, miles licentioſus prædæque avidus vix jam ab oppugnanda urbe continebatur. Quæſita igitur apud ducem placamenta, vitataque in præſens ira, præbito frumento ſtipendioque centies mille Thalerorum, quæ ſumma, non collato tributo, publico ex ærario ſoluta eſt: ortaque de nummi pretio cives inter & militem contentio pene periculum renovaſſet, ni rectores concitatos utrinque animos temperaſſent. Hac pecunia, & ſi quid præterea vicinis ex oppidis contractum, aut Bruxella advenerat, perſuaſus eſt a Men-

Veſalienſes præbito Mendoſæ frumento ſtipendioq; Romanos ritus admittere coguntur.

Mendoſa exercitus, ut, quod abnuerat hactenus, relictis aliquot in citeriore ripa præſidiis trans Rhenum ſe duci pateretur. Inde Luppiam tranſiere, ponte quem Veſalienſibus faciendum imperaverant firmo ac ſolido. Nam quem cannabinis ex faſcibus vinctisque materia lateribus impoſuerat ſcaphis novis jactans ſe artifex, ut pleraque talia in ſpeciem blandientia uſus reſpuit, ſingulis quippe pervium, pluribus ſimul ancipitem oneris inæqualitate. Ibi ex Velaſci ſententia potius viſum ad Iſalam penetrare, quam procul finibus nec certo commeatu ingruentem hyemem, & ſoli Friſii uligines experiri. In ipſo itinere exactæ a Monaſterienſibus pecuniæ bellique inſtrumenta: quos fœderati Ordines contra monuere, ne quid a ſe pacatum exſpectarent, ſi hoſtis ipſorum ſtudiis aut ignavia increſceret. Reſa inde & Emmericum adjacentia Rheno oppida per metum præſidia accepere, cui Mendoſa numerum primo non admodum gravem præfinivit, tanta famæ irreverentia, ut immiſſis pluribus, continuo violaret, quod in ipſius poteſtate fuerat omnino non promittere. Reſæ oppidani poteſtatem exeundi oratam non impetravere. At Germanus centurio, quem quadringentis cum militibus Emmericum urbem intrare juſſum Mendoſa ſacramento adegerat, ne quos ultra admitteret, miſſum haud multo poſt cum cohorte Barlotam fortiter excluſit, palam profeſſus, etiam ſub infido duce fidem ſibi conſtituram. Moleſte tantum ſui contemtum ferebat civitas Romani cultus retinentiſſima, & quæ ſuadentibus Ieſuitis advocandi eas in partes Hiſpani potiſſima auctor privatim innoxium ſibi bellum pepigerat. Cujus promiſſi teſtes literas Mendoſæ ipſius manu ſignatas cum miſſus ex urbe ſacerdos, velut exprobrando, oſtenderet, non aliud reſponſi tulit, quam ad religionem resque regias provehendas tantam caſuum varietatem non poſſe iiſdem ſemper conſiliis gubernari. Tum ille: Nec igitur poſthac, inquit, mirabimur rebellem Batavum omnes vobiſcum conditiones averſari, ut qui, cuncta veſtris utilitatibus metientes, fas ac jura etiam hoſtibus ſervanda in amicos abrumpatis: hæc quidem facinora & ſtudia hominum infeſta & Deum inſuper ultorem habent. Nec tamen hac libertate Hiſpanus movebatur, quin continuo Iſaliburgum, oppidum interius ad Iſalam veterem ſitum, civium cæde irrumperet. Inter quæ princeps ut hoſti ad ſe adventanti viam auferret, jubet ire navi foſſores, qui aggere

1598.

Mendoſa trans Rhenum ducit.

Reſæ & Emmerico præſidia imponit.

Iſaliburgum civium cæde irrumpit.

1598. aggere Emmericum propter (Hetteræ loco nomen eſt) inciſo Rhenum tunc forte tumidiorem planis ſuperfunderent. Iamque proxima ſtagnare cœperant, cum ſuperveniunt Hiſpani, relictumque ſub Hohenloio præſidium primo glandibus adorti, advectis deinde in aggerem machinis loco pellunt: ita clauſi hiatus ſimul ultro flumina ſidere. Quod cum feſelliſſet, Mauritius neceſſarium ratus loca Clivici juris, quibus hactenus pepercerat, hoſti propinquo præripere (quippe is ad montem, cui Altenenſi nomen, conſederat) Sevenariam, oppidum ea in parte, quam cum exercitu ipſe tuebatur, tradi ſibi jubet, acribus in præfectum minis, ut ſibi negantem quod hoſti permitteretur. Eundem in modum occupantur ejuſdem ditionis alia, ſed inſulam intra Batavorum ſita; mutatus olim amnium curſus, ſeu principum pactiones terminos confudere: Huſſa ſcilicet oppidum, & arx Lobecenſis, ubi Clivicum vectigal exercetur, quem locum Heriſpichi nomine & impio dolo, quo Gothofridum Normannica e gente Friſiis dominantem Carolus Craſſus interemit, ejus ætatis auctores inſigniunt. At Mendoſa Mauritianas ex contiguo artes timens, ſevero imperio militem continebat; totos decem dies noctesque aperto ſub cœlo ſtetit agmen: nulla niſi intra ordinem & in armis & humi quies. Ita frigore & inſomnia, ac poſtremo, quia conſumtæ circum fruges, nec ad rapinas dilabi licebat, fame graviſſima fatigabantur. Inſtructiſſimus erat peditatus æmulis inter ſe nationibus: ſed nocebat mos inveteratus partibus regiis, ut præcipuum robur in equite ponerent, qui tum fractus malis aut metu imbellis & alios fiducia nudabat. Pauci ſæpe Naſſavianorum ter tantas hoſtium manus perculere: equorum ingens præda, etiam viri gregis ritu agebantur, ita ut tædio & onere captivorum, cum plerique explendæ famis avidi in poteſtatem non inviti venirent, nec redimerentur, edictum fuerit, ne quis ultra vivum hominem caperet. Omnique adeo hoc tempore quo circa Rhenum bellum hæſit, cum Princeps, modico interdum comitatu, ordines hoſtium propter ſpeculabundus adſiſteret, aut edito loco panderet aciem, modo & miſſis ſuorum primoribus equeſtres concurſus proliceret, nuſquam Hiſpanus aut caſtrorum quietem turbavit, aut ullis certaminum ſe primordiis implicari paſſus eſt. Erat nimirum ducis prudentia parum fidere animis, licentia non minus, quam egeſtate corruptis; ſed hæc ipſa pavorem militis alebat:

Mauritiani Rheni aggerem incidere aggreſſi ab Hiſpanis fugantur.

Sevenariam aliaque Mauritius occupat.

alebat: &, ni minima etiam pericula Batavi rebus ſuis ſemper maxima æſtimaſſent, erat in tantas copias egregia audendi occaſio. Cum vero, omiſſa Rheni ripa, jam recta Iſalam petere conſpiciebantur, Mauritius relicto circa principium agri Batavi præſidio cum navibus adverſus ſubita, & ut hoſti commeatus faceret arctiores, ac firmatis quæ circum minus valida, pontes, machinas, vimque omnem armorum Doſiburgum rapit; quod juris Zutſanici oppidum ductæ Arnhemo foſſæ, Druſi quæ vetus eſſe creditur, Iſalam venientem e Weſtfalis amnem affundit. Hoc loco aditum illi in Velaviam obſtructurus ad ipſum confluentem caſtra vallo munit, quod altum pedes octo, in latitudinem infra quadraginta, in ſummo quatuor & viginti patebat, ad ſenos præterea pedes eminente lorica, circumducta vallo foſſa: ſed & interior altera, præter muniendi morem, relinquebatur, quæ accelerando operi propinquum aggerem ſubminiſtraret. Quæ dum fiunt, Mendoſa, Doticomum ditionis ejuſdem oppidum, quod horæ itinere Doſiburgum ducit, machinis verberabat, jamque tertium intra diem inhærebat foſſæ, non denuntiatione ulla, ut ritus belli hactenus habebat, ſed periculo quam minis obſeſſos territans, & certus primo quoque ſanguine ad exemplum abuti. Friderici Herenbergenſis precibus effectum creditur ut deditio admitteretur, exarmatis militibus, trecenti qui erant, juſſiſque ſex per menſes bello extra Hollandiam Zelandiamque abſiſtere. Data & oppidanis incolumitas, qui continuam viginti annorum fidem eo primum tempore mutare cogebantur. Hac una, poſt Bercam, tam tenui victoria curſus Regii exercitus ſtetit, agnito errore, quod non abrupta prius mora Doſiburgum irruiſſet, ceſſurum protinus, ni Mauritius accepto tempore ſe illuc ſuaſque artes tuliſſet. Nec tantis copiis dignum aliud aggredi, aut anni tempeſtas, aut victus temporumque ratio permittebat, aucta hucuſque inedia, ut quinque intra dies, panem ſibi non guſtatum crebri perfugæ affirmarent, vulgatiſque cum ſame aut fœda per alimenta morbis amplius ſeptem millia hominum conſumpta. Re ad Andream perlata, redditiſque mandatis conſilium ſuſcipitur atrox, hyemandi in Germania cum omni exercitu. Multa ſæpe Hiſpani improbe atque inverecunde fecerant: ſed vix ante judicia hominum ita contemſere, ut non obtentu aliquo ſua facinora velarent: hanc vero conſilio publico tam aperte illatam injuriam hoc unum excuſaverit, quod neminem eſſe tam innocen-

1598.

Mauritius hoſti aditum in VVeſtfaliam obſtructurus apud Doſiburgum caſtra metatur.

Mendoſa Doticomum expugnat.

Hiſpani fame ac morbis magnopere imminuti in Germania hyemandi conſilium capiunt.

1598. tem arbitrati ſunt, quem non perire potius, quam res ſuas in diſcrimen adduci oporteret. Nam illud quidem conſtat, ſi tot cohortes alæque, aut verius tanta ſeditioſorum colluvies egeſtate accenſa, in Belgicam incubuiſſet, novo cummaxime imperio, vetera defectionum exempla metuenda fuiſſe. Retro igitur ducens Mendoſa Sculenburgo arce Zutfanici juris in deditionem coacta, Fœderatorum finibus agmen extulit. Abeuntis veſtigia Princeps ſequebatur, nullo ante ſuorum operum, quam tunc defenſa patria,glorioſior, quam laudem magni ſæpe duces ante triumphos & murales coronas poſuere. Iuvabat inſpicere vacuas caſtrorum ſedes, & rudia hoſtium munimenta. Sed triſte ſpectaculum ægri ſauciique magno numero ſtrati jacebant, quos ab exercitu deſertos injuriæ cœli rerumque omnium inopia affligebant. Hoſtis victu refecit, quorum ſui non miſerebantur. Nam & Octaiola quem Doticomi Mendoſa reliquerat, a caduceatore Principis appellatus ut miſeros tecto juvaret, militariter magis, quam humane reſpondit, valentibus duntaxat vegetiſque corporibus iſta intra mœnia locum eſſe. Poſt equeſtria aliquot prælia proſpere pugnata, Ludovici maxime Naſſavii ductu, captumque comitem Buquoium, Mauritius Arnhemi conſedit, belli in annum ſequentem paratus eo contrahens, nec minus providus, ut victus & arma periclitantibus circum oppidis ſuppeterent. Ac priuſquam copias omnes ſolveret, comperto Emmericanam civitatem imperia Hiſpanica poſt experimentum impatienter ferre, Hohenloium mittit, ut præſidium vi machinarum exigeret, Mendoſa, qui tum Reſæ in propinquo hibernabat, nequicquam ferre ſuis auxilium cupiente, quia perfoſſus Rheni agger itinera inundaverat. Nec tamen placuit vacuæ urbi præſidium imponere, ſuo juri, ſuiſque conſiliis relinqnebatur, ut iſtud etiam exemplum hoſti invidiam augeret. Eadem ſpe Sevenaria Cliviis redditur. Inde Hagam profectus una cum Senatu, veteri de more, nationis cujusque Ordines monebat, majore exercitu opus: quare ſtipendia & extra ordinem ſumtus largius miniſtrarent, quanto nunc hoſtis unam in partem gravior incumberet: reſcinderentque noxias cunctationes, omnes alias neceſſitates poſt unam habentes. Eodem tempore clara per iſtas regiones funera ducebantur. Florentius Palanteus comes Culemburgi, inter primos olim duces conjuratæ adverſus inquiſitionem nobilitatis, mox cognitus impar curarum & propria ipſe otii cupidine intra

Sculenburgum abeuntes capiunt.

Mauritius Arnhemum belli paratus in annum ſequentem contrahit.

Emmericum hoſtili præſidio liberatum eum Sevenaria ſibi permittitur.

Clara per Belgicam funera: Comitis Culemburgici,

tra partes a ſe conſtitutas ignotus conſenuerat. Sed notabilius privatum egerat Philippus Aldegondius, quem Arauſionenſi indivulſum, urbesque & populos regentem olim qui viderant, ad ultimum usque diem literata quiete reconditum mirabantur. At certe Elbertus Leoninus in umbra ſtudiorum quondam educatus, & ante pacem Gandavenſem regiarum partium miniſter, tunc ſummus Geldriæ juridicus conſiliis publicis immoriebatur; homo natura conſecutus, quo veterum magiſtrorum præcepta nituntur, ut affectu pene omni vacaret, adeo quidem, ut partes quoque non ſtudio ullo, ſed quia ſic invenerat, ſequeretur. Mirum dictu, quibus interim flagitiis Germaniam exercuerint Mendoſæ arma, nullo jam diſcrimine irruptis oppidis, queis vetuſta pacis fiducia vim reſiſtendi ademerat. Eodem plebs ruſtica conceſſerant, perfugii ſpe, ſed congeſtis opibus faciliorem raptoribus prædam facturi. Satis ipſo transitu agri vaſtabantur, indicta & in ſequentem annum ſterilitate, quippe eo tempore attriti quo ſemina ſolo inferri debuerant. Non minus fœda arcium direptio, quas viri nobiles tenebant, Hiſpanicarum plerique partium ante hæc ſcelera fautores. Primus in Monaſterienſes, finemque Benthemi impetus fuit: qui cum alendis copiis non ſufficerent, Reclinchuſa Luppiam inter Ruramque ad Agrippinenſis epiſcopi territorium pertinens adjicitur; urbem ubi Dorſtam Velaſcus machinis rituque bellico oppugnatam cepit, ferente has contumelias antiſtite Boioaro, cujus ſilentium ſubditi pro arcano in ſe fœdere interpretabantur. Hinc ad Montenſes Marcenſesque & longius proceſſit malum, donec in Cliviorum utraque ripa conſedit, multisque illic urbibus oppreſſis, quas adventantium violentia intactas reliquerat. Aliæ, in quibus Clivia ægri principis ſedes, venali miſericordia transmiſſæ. Tantumque prædæ fuit, ut gregarii quotidie milites ingentes pecunias Antverpiam trajiciendas Agrippinenſibus mercatoribus numerarent. Avaritiam faſtus, & hunc quoque ſævitia onerabat: nam contemta victus frugalitate, quæ iſtis populis avita eſt, longinquas dapes, & cuncta luxuriæ inſtrumenta ignariſſimis hominibus imperabant. Quod ſi quis obſequio tardior aut divitias condere videbatur, aderant verbera & tormenta, truncati artus, inciſa cutis, fuere & qui vivi uſtularentur: quin & gravidarum mulierum & infantium pœnis terror quæſitus. Cujus immanitatis & cædium innumera exempla Germani ex teſtium fide

1598.

Philippi Aldegondii.

Elberti Leonini.

Hiſpani magnis flagitiis Germaniam exercent.

 publi-

1598. publicarunt. Nec minus conſtabat, totos Deo ſacratarum virginum cætus nobileſque domos ſtupris pollutas: tam efferâ militum libidine, ut nec immaturæ ætatis miſereſcerent, & cum uxorum pudicitia illuderetur, adhibiti ſint ſpectaculo mariti, quin & matres coactæ filias producere. Hæc populi pacem profitentis facinora, quæ nullus unquam victor jure belli defenderit, vix credibile eſt quam ſegniter ac remiſſe tulerit gens ſæpe gentium domitrix, ab omni certe ævo flagrantiſſimæ libertatis. Sed, præter altum otium quod ferociſſimos quoque animos emollit, ſparſi in multos imperii iſtud vitium ſentiebatur, quod ipſi conventus tarde, at ſtudia, æmulatione potentium, multo difficilius coibant. Ita optandum maxime Hiſpano, nec ſine ejus opera, concilium ex concilio trahebatur: vix interim auſo quoquam, dum publica moles armorum cunctatur, ſuis ſibi viribus injuriam arcere; niſi quod Oldenburgi comes, Bremenſiſque & Oſnabrugenſis antiſtites & Iohannes Naſſavius longius ſiti minas ad ſe usque penetrantes fiducia tumultuarii militis contemſere: quorum exempla deinde ulteriores tutius ſequebantur. At pro Cliviis & proximis Weſtfalorum preces & literæ pugnabant: Carolo Nutzelio maxime, quem rebus Cliviæ ordinandis oratorem Imperator miſerat, deteſtante perfidiam, dedecuſque Auſtriacæ domus, cum ſub Philippi Albertique auſpiciis, contra naturæ hominumque leges, contra pacta, Romanæ religionis vindices tam contumelioſe inſultarentur. Paria dux Lotharingus loquebatur, qui tum filia principi Clivio in matrimonium data, filio ſororem regis Galliæ ducente, nec deſerturus neceſſitudines ſuas, nec ipſe deſerendus oſtentabat. At a Rudolpho natura cunctatore & jam metu an triſtitia in ſecretum abdito, ut non niſi per litteras noſceretur, quanquam & Weſtfali & ab his impulſi principes quotquot ad Rhenum colunt, quotidie non tam ipſum quam miniſtros, quibus ille ſui arbitrium permiſerat, fatigabant, præter legationes & verba nihil expreſſum. Ad quæ Albertus tum Mediolani agens & Bruxellæ Andreas cauſam malorum omnium, cum ipſis belli initiis & pacis ad id usque tempus mora, rebellibus aſſignantes, quæcumque exprobrabantur flagitia, ubi inficiari non poſſent, brevem neceſſitatem vocabant. Inſolentior Mendoſa, qui ſe Regi ſuo militantem, quo minus herili imperio pareret, negabat magnorum nominum ſono, aut ulla re alia quam armis poſſe depelli; addito, ſi quid Cæſari, ſi quid Germaniæ in viribus ſuis

fiduciæ

fiduciæ eſſet, eas tum uſurpandas fuiſſe cum Bonna, cum Berca milite Batavo tenerentur. Sæpe cunctis ſe Lutheranis hoſtem, ac nimium diu inultæ impietatis exactorem eas in terras divinitus miſſum per vaniloquentiam jactabat. Iam quatuor exiguo minus menſes Hiſpanica ſigna per Germaniam volitantia viderant, cum ipſo anni exitu decretum ab Imperatore ad Mendoſam, alterum ad Fœderatos venit: illi innumera objectabantur: his, quod pauca ad Rheni divortium loca Clivici juris occupaſſent, & irrupta Monaſterii ditione ſacerdotes egiſſent captivos: tamen utrique juſſi Germanici imperii ſolo decedere, rapinas ac damna reparare, ſolvere captos, alieno in poſterum abſtinere, eadem pœnarum ſanctione, velut in paria peccantes. 1598.

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS

LIBER OCTAVVS.

SVMMARIVM.

Mendoſa irruptis Calcare & Goga Veſalienſes ritus Romanos reſtituere jubet; illo cum exercitu digreſſo libertatem recipiunt. Hiſpanorum apud Rheni accolas defenſio. Fœderati ſparſis in publicum defenſionibus ſe Germanis purgant. Heſſo & Brunovice de belli in Hiſpanos ſummo imperio contendentibus comes Lippiæ præfertur. Emmericum iterum Hiſpanis deditur. Ludovicus Naſſavius Buquoium capit. Exercitus regius Bommeliam inſulam irrupturus Rheni ripa deſcendit. Cœptis hoſtilibus obviam iturus Mauritius Gravewartam munit. Machinarum ictibus plurimos hoſtium occidit. Moſivahaliæ ſitus. Vrbis inſulæque Bommeliæ deſcriptio. Hiſpani in Bommeliam penetrant. Princeps Bommelam ingreſſus civium animos reſtituit. Egregia tuendi urbes inventa ratio. Crepicordium Hiſpani expugnant. Ducenteſimam ex cenſu inter Batavos colligendi difficultas. Lanovius Fœderatis in Gallia militem ſcribit. Mauritius Vorenam caſtello munit. Caſtellum Andreanum molitur Hiſpanus. VVorehemum fruſtra tentatur. Germani in Hiſpanum ducunt. Caſtellum ad Bercam irrumpunt. Reſam irrito eventu petunt. VVilhelmus Naſſavius Doticomum in poteſtatem redigit. Mauritius contra Andreanum caſtellum munimenta ponit. Fœderatis commercia ab Hiſpanis interdicuntur. Hi quoque, ne quis merces ad hoſtem ferat, vetant. Duce Petro Douſa claſſem mari immittunt. Inſulas fortunatas aggrediuntur; illarum deſcriptio. Incenſo Allagorena oppido ejusque arce Batavi Braſiliam petunt. Inſulæ Thomæ deſcriptio. Pavoaſa oppidum atque ejus arx Douſæ dedita ab inſulanis incenduntur. Peſtilenti morbo Batavi corripiuntur. Douſa moritur. Plurimis ſuorum extinctis Batavi domum redeunt. Spinola naves longæ Philippo in auxilium adductæ a Fœderatis perfodiuntur. Albertus in Belgicam redux omnia impedita offendit. Belgæ Archiducum moribus offenduntur. Fœderatorum res arctæ. Eliſabetha pace ſibi opus ſignificans Ordines percellit. Hollandos capitationem ex cenſu duplicantes ſocii tarde ſequuntur. Germani quidam principes auxilia offerunt. Sueciæ regi ſocietatem Ordinum ambienti offertur amicitia.

1599. OBduruerat quotidianis querelis in tantum Hiſpani animus, ut per ipſos dies, quibus ab Imperatoris feciali, legatisque Lotharingis coram accuſabatur, Calcarem Clivicam urbem Romanæ religionis, quæ juris ſui, an hyemis præſidio, re-

Mendoſa Calcarem & Gogam irrumpit.

ceptare

ceptare militem abnuerat, tormentis verberatam, portæ per ruinas non ſine ſanguine irrumperet. Goga quoque, ditionis ejuſdem, tormentis ſubacta eſt. Gennepa & Xantemo permiſſis incuſſum terrorem pecunia redimere. Lutheraniſmi & Calviniſmi odium tam pertinaciter jactabat, ut Paterbornenſi epiſcopo aliiſque imperaret purgare terras noxio vulgo; ni facerent, venturos milites, qui nec vitæ ſontium, nec cæterorum fortunis parcerent. Formidoloſum id imprimis Veſalienſibus, qui Romanos ritus reſtituere jubebantur, Conſilio ducis Clivici jus principum uſurpante, quorum per Germanicas leges de religionis uſu liberrimum eſt. Fœderati certe Ordines ſenatoribus oſtenderant, rem eſſe indignam, ad nutus barbaræ gentis, quæ omnem pietatis ſenſum factis a ſe abdicaret, ſacra publico jure firmata his eripi, qui a parentibus ea tradita accepiſſent: hortati & civitatem ne in Dei cauſa vim hominum nimium pertimeſcerent: quin fortia caperent conſilia adverſus procellam brevi ſpatio evaneſcentem: ſe quidem nec communium ſacrorum, nec hoſpitalis beneficii immemores fore. Sed metus propinquus, ſpes remotæ animos ſubegerant; oratoque fruſtra ut templa partiri liceret, exactis qui fuerant miniſtris, ædes ludique literarii Ieſuitis, imprimis illic inviſo hominum generi, patuere. Coriolano Garzadore epiſcopo Oſigerdenſi, qui nuntii nomine res Pontificis per inferiorem Germaniam agebat, ſolennes luſtrationes peragente; aſpergi humum, ipſos ſuggeſtus, velut impietatis reos, flagellari, dein longas Miſſæ cæremonias, apta oſtentui omnia, plebs urbana ſimplicioribus ſacris quinquaginta per annos aſſueta, pars indignabundi, pars non ſine riſu reſpicere. Sacerdotes in magna templorum ſolitudine, populus ſuos ritus tantum requirens, quantum alienos deteſtabatur, infeſti mutuo ſuſpectique egerunt, per omne id tempus, quo Hiſpanorum copiæ fines obſidebant: iis poſtea digreſſis, ſimul qui eorum vi nitebantur exceſſere, civitas libertatem & mores recepit. Iam inclinantibus in ultionem Germaniæ conſiliis, Mendoſa, quanquam prætulerat hactenus ex uſu Regis fore, ſi vincendi bellum inciperent, & ſe juris Quiritium inſcientem militari agere malle, reipſa conſcius non duplicandos hoſtes, exploratis per homines idoneos principum & auctoritate præſtantium ſtudiis, quæ ipſis vincula, quis fœderum modus, neque muneribus neque aliis artibus abſtinebat, ut coëuntes diſtraheret. Tandemque operæ pretium viſum eſt conqui-

1599.

Veſalienſes fruſtra dehortantibus Fœderatis juſſu Mendoſæ Romana ſacra reſtituunt.

Digreſſo Hiſpanorum exercitu mores & libertatem recipiunt.

Mendoſa coeuntes in ſe Rheni accolas diſtrahere ſtudet.

1599. rere, qui cauſam tam deploratam verborum præſidiis fulcirent. Scio ego miraturum non neminem, quid tum ab ipſis vel in ſpeciem afferri potuerit. Quare ea, quæ legati Andreæ apud conventum Rheni accolarum, Agrippinenſium in ſolo, dixere, quam potero breviſſime referam. Hi poſtquam diu eorum, ad quos venerant, nomina & mandato contra morem legatorum quærendo tempus extraxerant, tandem velut impulſi ad ſubitariam defenſionem, dolere ſibi ajunt, quod veræ religionis inimici, rebellium fautores, principum aures ac publicos conventus falſis aut invidioſis vocibus implerent, quaſi nefas eſſet communi cauſæ orbis Chriſtiani, quam Rex Hiſpanus defenderet, pauca in ſingulos incommoda condonare. Nam non Regis libidine ſumta hæc arma, ſed coercendis prædonibus, qui, contemto Dei hominumque imperio, ex ſcelere jus facerent. Vbi tunc iſtos conventus & Germaniæ conſcriptionem & horribile decreti carmen, cum Arauſionenſis bello perfido unum, exemplo principes omnes peteret? armatas a Deo poteſtates, ut malis undique naſcentibus occurrant, juſtas ſæpe neglecti muneris pœnas dediſſe: at ipſos non alienas tantum diſſimulaſſe injurias, verum & ſuas, cum vaſtarentur agri juris Germanici, caſtella atque urbes tenerentur a rebellibus impune. Non habituros obtrectatores, quod tam acerbe exagitarent, ſi ſui officii memores Germani, quibus arbitris Hiſpanus conciliari toties voluiſſet, perpetuos pacis hoſtes coegiſſent ſemel arma ponere, nunquam ſine finitimorum damno exercita. Quid enim non datum a Rege patre aut filio tranquillitati Chriſtianæ, qui, vitandæ omni invidiæ, alienata ab ſe Belgica, æſtatem proximam, magni exercitus domini, ſpe ſola concordiæ triviſſent, donec militem cum hyeme inopia opprimeret; quippe effuſo honeſtiſſime ærario, ad Galliam bello & præſidiis liberandam? Tum quoque, quanta potuiſſet, adhibitam diligentiam diſciplinæ: cujus quam difficilis eſſet cura, ſenſurum, ſiquis Mendoſæ in id onus ſuccederet. Nullum in loca ipſorum inſeſſa jus victoriæ intendi. Hoſpitium & brevem cuſtodiam quæſita; eoque delectu præſidia diſpoſita, ut Batavorum excurſibus obnoxiæ regiones undique præmunirentur. Quæ militum delicta providentiam ducis aut pœnam effugiſſent, exigua, ſi quis cum Caroli Imperatoris & Philippi beneficiis componeret: reminiſcerentur & fœderum. Quomodo enim liberum ſibi

Hiſpanorum apud illos defenſio.

dice-

dicerent in hoc bello neutras partes ſequi, principes, epiſcopi, civitates, non tantum veteres Burgundionum ſocii, ſed quos Carolus ad propugnandam communi ope Romanam religionem ſibi obſtrinxiſſet? Quoties eo nomine denuntiationes a præfectis regiis interpoſitas? quoties Clivios appellatos, ne contra Venloanas pactiones fugitivis receptum, hoſtibus transitum darent? ipſorum civibus, armis, commeatu aucta hoſtium ſcelera, cum tamen Parmenſis Buricum redderet, contra Reſam caſtellum dejiceret, quietem ipſis in bello permitteret, dummodo Gravewarta inſula Batavo auferretur. Ne hic quidem obtemperatum: idque conſtare Regi Transrhenanæ poſſeſſionis jactura, cui proinde longius iter quærendum fuerit, ad ſua repetenda, quid tum, ſi non ſine aliquo illorum damno, quorum id culpa evenerat? Multo etiam iniquius facturum Coloniæ epiſcopum, ſi Monaſterienſium aut aliorum querimoniis nimium moveretur: potius, quod Pontifex ullus Agrippinenſibus, quod ſacra adhuc eſſent, agendas Philippo gratias, qui impium bellum movente Truxio, contra decreta Germaniæ, nemine Germanorum contra eunte; quibusdam vero etiam principium hinc quærentibus graſſandi in ſacerdotes, rebus ſuis poſt Boioari preces habitis, Noveſium ipſi, mox Bonnam armis reddidiſſet, teſtato ſalvas ſibi impenſas eſſe debere. Bercam quoque ereptam rebellibus, &, dum alibi Albertus occupatur, amiſſam: ac nuper, dum ſpes fuiſſet ante vim reddendæ domino urbis, honori ipſius diu donata agendi tempora. Hæc ſi expenderent, melius ſibi conſulturos, quam tenuium malorum improvida miſeratione majora irritando, & quorum ſero pœniteret. Si pax turbaretur, concitorum capitibus impendere ultionem, Regem, Archiduces, Mendoſam extra crimen fore. Non multum his diſſimilia dixere qui ad Imperatorem & principes ſingulos mitigandos mittebantur, promiſſo ante Aprilis exitum deceſſurum militem. Fœderati ordines ſæpe fruſtra expertis legationibus in id tempus abſtinuere, permittendum Hiſpano rati, ut quam liberrime fureret, & Germaniæ, ut ſua ſponte moveretur. Defenſiones tamen ſparſere, indignati quod ii, qui res repetitum venerant, ipſos hoſtibus velut ex æquo componerent: memorantes loca a ſe reddita, ab Hiſpanis retenta, finitimorum offenſas quæſitas ipſis, ſibi toleratas, a Clivicis motibus ad Truxianum bellum repetita origine. Suam æquitatem, cum Emda non

1599.

Fœderati ſparſis defenſionibus ſe Germaniæ purgant.

1599. non ita dudum Emmerico nuper cederent, mirantibus multis teſtatam. Objici locum unum aut alterum hoſti imminenti neceſſario antecaptum, quaſi non & civium interfuiſſet ſervari contra non evitanda alias Hiſpanorum flagitia, a modeſto milite, & cui nec ſtipendia, nec diſciplina deficeret: addi pauca excurſorum delicta, quæ, ut fit, notitiam & ultionem effugerint. At non publico ductu importatum alienos in fines exercitum, non ſeditiones lucro deputatas, non populorum nihil ad ſe pertinentium religioni morem impoſitum. Pollicitum & curaturos ſe de Gravewarta, ne Geldri arbitros recuſarent. Acceſſere quæ aut cauſam ipſorum plauſibilem, aut Hiſpanum avaritiæ, falſo pietatis nomine velatæ, ſuſpectum facerent; dicta alibi, neque hic repetenda. Finis erat: ne genus hominum ſervile liberis nationibus inſultare diutius

Belli in Hiſpanos conſilia tarde apud Germanos procedunt.

paterentur. Deliberantibus ad Rheni & Moſellæ confluentes quinque pagis, tarde belli conſilia procedebant; nec deerant qui cum Batavis gnaris armorum ſociandas vires jam tum judicarent. Sed plures ſua recipere ſatis habentes, longiori bello aperire Germaniam recuſabant; partim invidiam & offenſas Imperatoris, vimque potentiorum adeo nonnullis expaveſcentibus, ut, cum de acceptis injuriis loquendum eſſet, Regis & gentis Hiſpanicæ nomen anxie vitarent. Sed & nec Ordines ipſi multum laborabant miſcere ſibi ſocios, quorum ex diffidiis adverſa, aut ex ſecundis pacis legem acciperent.

Palatinus, Heſſus, Brunovix maturandæ expeditionis authores.

Præcipui maturandæ expeditionis auctores erant, Palatinus Septemvir, Heſſus, & Brunovix; ſuis auſpiciis & copiis, quas ſatis magnas tota hyeme conſcripſerant, rem aggreſſuri, ni inter ipſos ortum certamen, Heſſo & Brunovice de ſummo belli imperio contendentibus; cum Palatinus quietis patiens interiorem tutelam & publicorum conventuum curam

Heſſus & Brunovix de ſummo belli imperio contendunt.

ſibi depoſceret. Uſi ea diſſenſione e Weſtfalico pago Romanenſes plerique, & quibus nihil æque inviſum atque arma Proteſtantium principum, tributum trimeſtre, æquale ei quod in Turcam datur, offerendo, ut præſes ſuus dux belli renuntia-

VVeſtfalici pagi præſes dux belli renuntiatur.

retur, effecere; æquum dictantes, & moribus Germanicis conſonum, qui vim paſſi, quorumque in ſolo bellum adminiſtraretur, ipſis in auxilia regimen concedi. Hyemem hanc, bis gelatis amnibus, ſollicitam Fœderati, attamen innoxiam egere; dum diviſis Mauritius & Wilhelmus copiis, ille Ciſiſalana ex Arnhemo curat, hic ulterioribus cuſtodiendis ad Meppelam conſidet, intercurſantibus nunciis. Detectæ in

Bre-

1599.

Bredam, Noviomagum, Daventriam inſidiæ, curam cuncta tuendi & impendia auxere. Mauritianus miles plus ſemel in hoſtem victor, etiam ſuſpendio necatos a Iuliacenſibus milites præſidii cujuſdam cæde & rapinis penſavit; peſſimo militiæ more, qui juris publici neglectu privatam centurionibus ultionem permittit. Emmericum, quod oppidum a Mauritio liberatum diximus, rurſum Hiſpanis, qui ſub exitum Februarii machinas advexerant, pavore magiſtratuum deditur, cum civi militique non deeſſet animus; inſuper tam difficili per aquarum incrementa aditu, ut ſcaphis inducti intraverint. Ibidem mox, ſublapſam columna fatiſcente Ieſuitarum ædem, erant qui ad prodigia referrent. Sed & Buquoius comes præſidium illic regens capitur ipſe, dum prædabundam manum calidius perſequitur inſidias illapſus, quas Ludovicus Naſſavius paraverat: ut ferme per id tempus crebrioribus quam gravibus damnis res regiæ deterebantur. Nam vere appetente diverſis locis fuſus eques: venit in poteſtatem Paulus Æmilius Martinengus; captis comitibus Fridericus Herenbergenſis vix periculum evaſit: portus Antverpienſis perruptum præſidium, avecta præda: & in oceano deprehenſa navis Hamburgo arma in Hiſpaniam ferens. Pecunia nondum ſupererat. Trecenta ducatorum millia gravibus ſub uſuris a mercatoribus accepta, quo maxime urgentibus ſuccurreretur. Ita Antverpia & Lira mutatis præſidiis metu exemtæ: inde metu dilapſi, &, qui reſtiterant, protruſi edicto, e finibus in Germanorum manus paſſim inciderunt, ubi quicquid aliis peccatum erat, ipſi luerent, publici odii victimæ: Gandavi, quia modeſtius egerat miles, manſit. Sed Bercam tranſiit ſeditio, eadem ex cauſa, totoque anno exagitavit. Delectibus quoque per Italiam Germaniamque audita penuria moram objecit: quin & crebra ad Batavos transfugia, qui ſtipendium recens auxerant. His ut malis occurrerent Andreas & Mendoſa, ſimulque parte promiſſi Germanos lenirent, principio Aprilis ver nacti ſiccum & maturius quam iſti cœlo ſolitum, ita ut jam pecudes paſtum agerentur, jubent abductum hybernis exercitum, erat is millium quindecim, utraque ripa deſcendere. Emmerici tamen & Reſæ præſidium relinquere locorum commoditas ſuaſit, ut & Gennepæ ad Moſam; cæteræ civitates coactæ militi teſtimonium probe ac modeſte actæ hyemis præbere, non negligente interim Mendoſa pro tam longi hoſpitii

Mauritianus miles necatos ſocios cæde & rapinis penſat.

Emmericum iterum Hiſpanis deditur.

Lodovicus Naſſavius Buquoium capit; aliaque haud magni momenti Fœderatis proſpere cedunt.

Exercitus regius utraque Rheni ripa deſcendit.

1599. hoſpitii gratuito uſu partem de ſtipendio militi deducere. Inter eundum ferme conſumto menſe, medio flumine contra Gravewartam utrinque conſedit exercitus. Non ſine ſpe expugnandi Mendoſa ſuaſerat, maximo haud dubie fructu, ſi eveniſſet: ſed contra nitente Ricardoto, quaſi fieri non poſſet, quod Parmenſis fruſtra tentaſſet, Andreas Bommelianæ inſulæ irruptionem prætulerat, ejusque conſilii occultandi ac retinendi hoſtis hic labor ſimulabatur. At Mauritius vix alias magis inquietos dies, noctes quoque inſomnes habuit, cum & notis armorum ſociis & juſtis viribus deſtitutum curæ innumeræ diſtraherent: nam primi ducum Wilhelmus apud Friſios ſuſpectis Emdæ rebus, Verius in Anglia detinebatur, alii per Germaniam, concitores belli illic & miniſtri, aberant. Necdum advenerant cohortes externæ, quas adverſus vim hoſtilem gravius incubituram Ordines diverſis partibus conſcribi imperaverant. Quatuor penes ſe millia habebat, quibus Iſalæ tranſitum, quibus Rheni læva ac dextra, ſupera atque infera defenderet. Igitur recepta Lobecenſi arce locisque aliis, quæ nuper Cliviis reddiderat, Geldrica rurſus inſula ſedit, manentibus prioris anni munimentis & hoſti intactis: pars copiarum ipſam Batavorum inſulam tenebat, eo conſilio, ut quamcunque urbem aut caſtellum Mendoſa impeteret, ipſe averſum latus & opere minus firmum armis prætexeret; quamobrem ſpeculæ ripis, pontes amnibus impoſiti, quo facilius indicia atque auxilia commearent. Mox Gravewartam auctam prius præſidio, quod tenue fuerat, adverſus hoſtium utrinque tela, lorica inſtruit: inque amnem palorum duo cornua protendit, ſiſtendis ratibus, quæ juſſu Mendoſæ apud Coloniam paratæ dicebantur. Machinarum ictus, explorato ſitu e tumulo, trans flumen ea arte directi, ut, plurimis ſuorum diſcerptis, cogeretur hoſtis partem caſtrorum ſubinde tranſponere: cum interim & equeſtris e Noviomago excurſus fatigare: neque deeſſe in diviſi exercitus partem alteram juſtæ victoriæ occaſionem, ſed paucos ſecum qui exſequi poſſent, Mauritius fatebatur, non ſine acri doloris ſenſu. Monebatur ut Bommelæ caveret per exploratores & captivos; ſed metuebat, ne, ſe digreſſo, alia penetraret hoſtis, qui falſis variisque conatibus incerta fecerat omnia, etiam ſpeculares ignes ſuos ad uſus trahens. Inter tot ambigua nihil viſum tutius quam manere, cunctaque itineri expedita habere,

Gravewarta expugnationi inſulæ Bommeliæ Andreæ præfertur irruptio.

Mauritii inquietudo. Ejus cauſa.

Cæptis hoſtilibus obviam iturus iterum cum exercitu Geldrica inſula ſedet.

Gravewartam munit.

Machinarum ictibus hoſtium plurimi diſcerpuntur.

Mauritius monitus ut Bommelæ caveret, tutius judicat manere ubi erat.

bere, onerare currus, equos curules neque nocte ullos, neque de die cunctos ſejungere. Multas maximasque non immerito oportunitates ex Bommelia inſula Hiſpani ſperabant, primorum illic amnium clauſtris, & in hoſtilis agri intima non uno tranſitu. Rhenum qua Vahalis dicitur olim quoque Moſæ admixtum in Oceanum fluxiſſe, Romanis ſcriptoribus abunde demonſtratur. Sed media tempora crebris diluviis, nondum ea quæ nunc eſt aggerum cura, quantas mutationes attulerint, dici non poteſt, cum nec ita dudum alia fluxiſſe Moſam patrum monumenta, & trans Heuſdam veteris alvei nomen teſtetur. Nunc quidem ita ſe res habet. Quæ pars Geldriæ ſubter Clivios inter utrumque flumen procurrit, Moſivahalia incolis ex re appellata, ſenſim tenuatur, & ad confluentes finit, qui Vorenam inſulam brevi intervallo bis aquis permixtus conſtituunt: unde diſcreti rurſus amnes, curſum quisque ſuum perſequitur, ſervato vocabulo, donec iterum coeunt, amplexi juſtam inſulam, Geldrici nunc juris, cujus caput Harvarda vicus, finis arx Loveſtenium. Nomen oppidi ab inſula Bommela, quam medio ferme ſui Vahalis allabitur: ea civitas Albanicis temporibus inter primas exuerat ſervitutem; inde cum Hollandis arcta ipſis ſocietas, quod invicem munimento eſſent. Non longe Harvarda proximant amnium flexus, rurſumque aperitur inſula Roſſemum in vicum, Martini Roſſemienſis ortu nobilem, qui imperante Carolo populabunda manu Belgicam, & mutatis partibus Galliam penetravit; hinc longe diverſi fluunt. Sed ambitioſior Moſa & Brabantorum agris largius indulgens in auſtros abit, qua Sylvamducis aſpicit correcto curſu, ubi Crepicordium inter munimentum arcemque intra inſulam, quam Helium vocaut, medius tranſiit, Hollandico deinceps ſolo excipitur, ac modico ſui divortio Hemertam inſulam circumductus, Heuſdæque mœnia attingens, cætera integer conficit. Spem invadendi hæc loca Hiſpanis auxerant diverſi indices miſſi Alpina ad juga, qui nives ſolito minores modica amnium incrementa promittere, conſenſu renuntiabant: partibus, non agmine ire viſum, ut quam diutiſſime ad Gravewartam caſtrorum imago hoſtem moraretur. Sapenæ igitur, qui Gennepæ, velut tutandos ad commeatus, hæſerat hactenus, additi ſubito Barlota & Stanleius, cum ſuis cohortibus Hiſpanica, Walonica, Hiberna, & Henrico Herenbergenſi ductore equites quadrin-

1599.

Moſivahaliæ ſitus.

Vrbis inſulaque Bommeliæ deſcriptio.

Vahalis Moſæque varii excurſus.

1599. dringenti primi deſcendunt; Vorenam, ſi indulgentius cuſtodiretur, ſubito aggreſſuri. Sed viſo id fruſtra fore, propter ſubſtiterunt, donec Sylvaducis adjutæ curribus lintres adventarent. Iam pulſa machinis (nam attraxerant aliquas) Batavorum nave quæ flumen illic ſervabat, non procul Roſſemo Moſam transgreſſi, fuſo hoſte qui per aggeres obequitabat, & quod juxta peditis non auſo obſiſtere, Bommelienſem inſulam penetrant, modo hac, modo illac palabundi, dum mandata, aut copias majores opperiuntur, ipſique duces æquali poteſtate, dum offenſas metuit Andreas magis, quam bello expediebat, inter ſe diſſident, in pulcherrima occaſione agendorum incerti. Et alias & tum raro Dei in Batavos beneficio conſtitit, plerumque circa ſpes ingentes & propinquas conſilia hominum deficere. Namque urbs Bommela, maximum belli momentum, ad impetum nuda ferme jacebat, veteribus munimentis arctis atque invalidis, & novis, quæ triennio cœpta nondum perfectis, dum Ordines in multa operum diſtracti erogationibus parcunt, & partem imprimis hoſti adverſam aqua reſtagnans & uligo ſoli moratur. His Princeps auditis, citato quanquam itinere, non ante ſecundum ab hoſtium tranſitu diem, ſed antequam illi Vahalis ripam occupaſſent, in urbem pervenit, perculſiſque periculo civibus & fugam parantibus animos reſtituit. Nam quanquam & Hemertam inſulam & ſiquid alibi ſuſpectum, cura ſua & milite firmabat, Bommeliæ tamen præcipue intentus, plurimum ipſe adeſſe, augere præſidia, opera urgere. Monſtrataque eſt eo tempore egregia tuendi urbes ratio, Principi ſæpe poſtea, nec minus hoſti repetita, & manſuri perpetuo uſus, quoties obſidium metuentibus miles ſuppetit, obviam hoſti eundo promotis longe munitionibus, quæ & ſpatium amplius præbeant defenſuris, & intima diutius periculo ſeponant. Propugnaculis enim quæ vallo continua, objectæ moles aliæ atque aliæ, quæ aquis & ipſæ includerentur, quicquid defenſioni idoneum extremo ambitu amplectente lorica. Quæ dum properantur, Hiſpanicæ copiæ, & qui Emmerico tum primum relicto exierant, ſociis, qui tum forte Crepicordium caſtellum obſidere cœperant, ſupervenere. Dedito facile caſtello, & quæ contra caſtellum eſt arce Helio, pontem illic e navibus Mendoſa Moſæ inſtruit, transponendo militi & commeatibus, qui abunde Sylvaducis afferebantur. Læta civitate ob hoſtem de vicinia pulſum, & cætera diligentius curante, quo minore offenſa præ-

Barlota & Stanleius in Bommelienſem inſulam penetrant.

Princeps Bommelam ingreſſus civibus animos reſtituit.

Egregia eo tempore tuendi urbes contra obſeſſores inventa ratio.

Crepicordium Hiſpani in poteſtatem accipiunt.

1599.

præſidium abnueret, etiam Andream, qui eo venerat, non niſi præfinito comitatu mœnibus excipiens. Validi hoſtium conatus adeo Batavos non terruerant, ut majoribus, quam ante, animis opes viresque intenderent.

Batavi contra validos hoſtium conatus opes viresque intendunt.

Inſtituenda enim augendo ærario venditionum, litium & hæreditatum vectigalia, haud ægre tolerata. Difficilior e cenſu ducenteſima, eoque minus duravit, quanquam mos ipſe liberis populis æqualitate olim laudatus. Sed multorum opes incognitæ, aut per mercaturam incertæ, & ſuſpecta profitentium fides obſtitere.

Ducenteſimam ex cenſu colligendi difficultas.

Plebem & hoc offendit, quod etiam opulentiſſimi, ſi bis mille florenos pro ducenteſima darent, ulteriori profeſſionis onere levabantur: quod partim vitandæ invidiæ datum, partim in ſolatium nobilitatis, arguebant pauperiores, tanquam in paucorum gratiam exuta æqualitate. Supra claſſem, quam in Hiſpaniam miſſam ſuo loco memorabimus, novi e Germania delectus & Helvetius pedes tum primum uſurpari cœptus. Scriptæ & leges de armaturis. Gallorum quoque cohortem bis millenariam e regno pacis impatiente Lanovius conſcripſerat; querente Hiſpano violari fœdera: cui rex Henricus reſponderat, nihil ſuo juſſu fieri; nec intercedere tamen quo minus bellantium utrique bella cupientes Gallia deducerent, quo citius vetera partium nomina exhaurirentur.

Lanovius fruſtra intercedente Philippo Fœderatis in Gallia militem conſcribit.

Ita placere Ordinibus copiæ ſuæ, ut e conſultoribus pars animoſi juventa, cæteri longorum ſumtuum pertæſi prælium poſcerent. Sed monſtrabat Mauritius poſſe hoſtem tutius eludi, & re in diſcrimen data leve Hiſpano militis damnum, apud populum etiam minora vulnerum formidoloſa: & aderat jam Wilhelmus prudentiæ laudator, & calentibus conſiliis ſemper averſus.

Mauritii prudentia.

Poſtquam ergo tota vi belli Mendoſa ipſe ad oppidum Bommelam venit, operibus & machinarum jactu certatum, nullo in rem ſummam malo, ſingulorum vaga pernitie: at in Hiſpanicis caſtris duo millia hominum breve intra tempus abſumta: inter hos duo fratres, diu diviſi & ignari, quia nomen alter maternum aſſumſerat, cum forte coiiſſent & inter ſermones agniti inter ſe amplexus necterent, capitibus utrique abreptis, conſecuti ſunt, nequid poſt id gaudii dolerent. Similis caſus in Mauritii caſtris marito & uxori ſimul cubantibus mortem ſomno continuavit. Equeſtres interdum pugnæ & excurſus, & omnia non obſidio quam adverſis caſtris ſimiliora. Tandem retrogreſſo ad Roſſemum Mendoſa, Mauritius quoque, firmato quantum ſatis oppido, cui ſupra infraque pontes addiderat

1599. derat duos Vahali transeundo, copias per inſulam Vorenam, quam novis operibus in exemplum pulcherrimæ munitionis erigebat, totaque Vahalis ripa exteriore diſponit. Aſſiduo pulſu, quanto mœnia incuti ſolent, transitum illac in Tilanum, qui trans Vahalim, agrum urgebat Hiſpanus, renitente Erneſto, cui ea regio obvenerat, atque in parva Vahalis inſula, quæ prope Roſſemum, pertinaciter hærente. Nec Princeps ſua tutari ſatis habens, partes oppugnandi ultro ſuſcipit, primumque trans Moſam, quod ripæ Brabantiæ proximum, Vorenam reſpicit, ſubito levique opere inſideri jubet, ut agentem illic hoſtium equitatum, qui commeatibus ac pabulis præſidebat, excurſibus laceſſeret. Mox ex eventu auſus majora, ſummo mane gnaros talium cum trecentis militibus jubet penetrare inſulam Bommeliam, eo in loco, quo Harvardam eſſe diximus, Lunæque in ſpeciem defigere palos, inde quantum maxime properari poterat, integere humo. Spatium id erat quod ſex millia hominum caperet. Simulque opus & copiæ ignaro primum hoſte creſcebant: tantumque fiduciæ ſuperfuit, ut coram Princeps ipſe inſpectatum advenerit. Temporis mora, dum conſulitur Mendoſa, dum alternant conſilia, favit audaci cœpto. Certe jam humani corporis altitudinem bis vallo æquaverant, cum inumbrante veſpera, duce Sapena, lectus miles Hiſpanus Italusque, ad bis mille, acrem impetum facit, ira ſimul & religione incenſus: quippe monachi crucis inſignia præferebant, cæſi captique inter primos. Erant quos animi ardor vallum ultra evectos impulerat coram manus miſcere; propugnantium pares ſpiritus, ſed conſilio regebantur, ſtatus integer, certi ictus, jactusque. Lanovius Gallos, Anglos Horatius Verius, Scotos Edmundus voce exemploque incitabant. Sed præcipue hoſtem fatigabant Mauritii machinæ ex inſula Vorena ipſaque Vahalis ripa in omne latus directæ; tandemque ceſſit, multa ſuorum cadavera trahens. Sunt qui ſeptingentis non minus cæſos tradiderunt, inæquali certamine, cum circiter decem e defenſoribus deſiderarentur. Inter peremtos centuriones Paciottus fuit, captivus nuper & reparandæ ad gloriæ occaſionem intrepidus. Proceſſit munitio: itemque trans Moſam minores aliæ: fruſtra tentato impetu in eam, quam hoſtis juxta ad Littam fecerat. Inſigne ſane caſtrorum ſpecimen, per tot inſulas ripasque diviſus exercitus, qui navigiis amnem tenentibus & quinque pontium mobili quocunque vertere libuiſſet opere, alternis uſibus miſcebatur. Nec quicquam

Erneſtus in Tilanum agrum Mendoſa transitum prohibet.

Mauritius Vorenam incaſſum obnitente Sapena caſtello munit.

quam auſus in opera Mauritii Mendoſa: ſed perfuga monſtrante locum acceperat Roſſemum ſupra, ubi proxime coire fluminum flexus ante relatum eſt: ibi conſilium ſecutus, quod jam olim ceperat Carolus Mansfeldius, tunc vero repetierat Carolus Colonna Tribunus, idem qui has res ſummo cum judicio ac fide poſteritati tradidit, pars ipſe earum haud minima, juſtum ex humo caſtellum moliebatur, quod ab Andreæ nomine vocitatum, hinc Moſæ inde Vahali incumbens, aqua terraque iter præcluderet. Ita inſumta æſtas, relictoque præſidio is unus tanto labori fructus ſuperfuit: reliquus miles per Brabantiam ſparſus ad licentiam rediit. Worchemum Hollandiæ oppidum Barlota nocturno aſtu quin caperet haud longe abfuit: ſed cum in ipſo agendi loco conſilium traxiſſet, excitus a ſpeculatore civis minimo antevertit ad portam procurrere. Quæ dum acribus ſtudiis apud Batavos geruntur, Germani interim Hiſpanique, hinc ignavia, inde ludibrio certabant: nec Hiſpanis ſua virtus, quippe alios apud hoſtes irrita, ſed Germanorum diſcordia tantum ſecuritatis addiderat, ut gentem diu invictam & undique formidatam palam atque impune contemnerent. Quippe Imperatori, epiſcopis, & Romanæ religionis aliis bellum nolentibus erat. Seorſim principes Brunovix, Heſſus & Brandoburgicus (nam Palatinus ſe armis ſubduxerat, Maguntini & Treviri exemplum obtendens) inutilem diu militem habuere: donec æſtate media circa Bercam coiere ad duo equitum, duodecim peditum millia, ſumma Simoni Lippio concredita, rogatu, ut diximus, Weſtfalorum, qui cum id impetraſſent, adeo promiſſa auxilia non miſere, ut contra ab ipſa urbe Colonia petitus Hiſpano miles ſit, & alia belli inſtrumenta. Dux, belli ſe inexpertum haud diſſimulans, Hohenloio Saxonum inferiorum, Solmenſi Rhenanorum, quos vocant, præfecto, qui in ſpeciem Ordinum fœderatorum ſacramento exierant, regimen omne permittebat: nec his duobus audentia aberat, laboris quoque indefeſſi agitabant; ſed uterque armis quam conſiliis melior perpetuo certamine rem diſtrahebant. Miles ignarus obſequii vino atque ignaviæ deditus, &, ubi pecunia non ad diem parata, promtus ſeditioni. Caſtellum quidem Hiſpanorum ad Bercam irrupere; multaque cæde in cauſam deſcenderant: ſimul Orſæum, Emmericum, inſeſſa præſidiis. Sed ubi ad Bercam ventum, nulli ad obſidium aut oppugnationem paratus, extra machinas aliaque a fœderatis Ordinibus ſubmiſſa

1599.

Caſtellum Andreanum molitur Hiſpanus.

VVorchemum Barlota fruſtra tentat.

Comite Lippio duce Germani in Hiſpanum exercitum ducunt.

Caſtellum ad Bercam irrumpunt.

1599. miſſa velut clanculum, ne agnoſcere partes viderentur, quod imperator deſtricte vetuerat: quin nec commeatus exercitui ſuppeditabantur, detrectante vicinia, quam ſponte in ſe inclinantem Hiſpani legationibus crebris adibant, excuſando anteacta, & meliora pollicendo, tantumque in eo fiduciæ fuit, ut, circumſeſſa cum maxime Berca, augere præſidium Mendoſa, aut militi intus tumultuanti ſtipendium perſolvere, contemſerit. Viſum itaque Germanis Reſam potius ducere, quo propius a Batavis alimenta, & ſiquid ultra uſui, ſperarentur. Illuc Hermannus Herenbergenſis cum Andreæ mandatis advenit, qui, culpam ſuorum cum Batavis permiſcens, ſpe quædam loca reſtituendi tempus extraheret. Reſponſum fortiter, Ordines jam oppida ac caſtella complura nullis conditionibus tradidiſſe, nec eſſe quod ſua facinora inæquali comparatione velarent: quæſitumque an pecuniam afferret, qua de illato damno tot populis ſatisfieret: & quo pignore caveretur non eadem mala paulo poſt reditura, quando fides ſignumque Regis infirma credentibus ſubſidia, tot oppida capta, tot agri everſi, oſtenderent. Sed verbis facta diſcrepabant: quippe & duces diſſertando tempus terere, & miles otio magis magisque laſciviens in prædas ſtupraque verti, & in hoſtem nihil, in alios omnia audere quibus ulciſcendis advenerat. Ab ipſo Reſæ præſidio nihil hoſtile: quin per ludibrium Germani ad pocula invitabantur: & erant qui irent, jungerent dextras, redirentque illæſi, donec privata militum colluſio in publicas aliquot dierum inducias mutata eſt. Non dubie multa magnaque Ordines fœderati e motu Germanico ſperaverant: qui nulli ipſis uſui: niſi quod dum tantus exercitus ignavia ſtupet, miſſus a Bommela cum turmis ſeptem, centuriis quinquaginta Wilhelmus Dotocomum, Mendoſæ captum anno priore, foſſis machiniſque intra diem tertium, pluvio quanquam cœlo & contra jaculantibus obſeſſis, in poteſtatem redigit. Sub idem tempus Ludovicus Naſſavius cum turmis circa Graviam dimiſſus, inſecutis hoſtium copiis ipſe impar, ductu provido per arcta itinerum, Moſamque flumen, prædam revexit. Finitis ad Reſam induciis, nihil tamen promovere obſidio: nec enim duces periti earum artium. Aderant ſane e Batavis foſſores, ſed & illi longas mercedes lentaque opera, quam brevia cum periculo malle. Vigiliarum in caſtris vix ulla ſpecies: ter novus in oppidum miles penetravit. Inibat autumnus, cum præmature facta denuntiatio more militari

Reſam tendunt irrito eventu.

VVilhelmus Naſſavius Dotocomum in poteſtatem redigit.

1599.

militari obſeſſi retento caduceatore ſubito in improvidos palantesque erumpunt; cædunt ferme ducentos: quin & machinas trahunt, tantoque id terrori fuit apud imbelles animos, ut non tam ſolveretur obſidio, quam caſtra turpi & vix alias audita fuga deſererentur. Relictos commeatus totasque naves, tum Hiſpani, tum ipſi Germani diripuere, brevique diffluxit exercitus, dum partim poſcunt ſtipendia, partim in trimeſtrem ſe militiam nec ultra auctoratos jactitant. Brunovix in multos ſuorum, compertis flagitiis, capitali ſupplicio animadvertit. Profugit & propter Bercam caſtello miles, & qui Gennepam tenebant ab Hohenloio nuper inſeſſam, cum Hiſpani ultro juvandam ad Reſam præſidium deduxiſſent. Vix Orſæum & Emmericum mediocri milite ſervabantur. Ante hanc pudendam Germaniæ labem, actum erat ſæpius, ut projecta diſſimulatione fœdus palam iniretur, acciperenturque Ordinum auxilia, aut etiam Mauritio bellorum experto ſumma traderetur. Sed non mittere Ordinibus promtum, quos ſuorum finium tutela diſtinebat, præterea terror claſſis Hiſpanicæ maritima firmare compulerat, eodemque metu Angla repoſcebat militem. Nec Princeps comperto per Wilhelmum, qui coram viſerat, rerum Germanicarum ſtatu, avidus intervenire periculis, & accipere militem obſequii bonarumque artium indocilem. Quamdiu campis circa Bommelam hoſtis hærebat, non auſus in hyberna ducere, quanquam graves impenſæ Ordines fatigabant, refotos nonnihil pecunia, quam rex Galliæ ſubmiſerat. Sed ubi Mendoſa, jam creſcente autumno, nulla re magis, quam fame morbisque ſuorum coactus, dimiſſo milite varias in partes, quo minus ſeditio coaleſceret, ipſe in Germanicos fines receſſit, ſolvit & ille copias, poſitis primum ſecundum flumen munimentis, quibus eruptiones ex Andreano caſtello cohiberentur. Emmericum quoque adverſus imminentem Mendoſam, & oppidanos præſidio inſenſos, immiſſo per noctem milite, communivit. Hæc terris geſta non interrupto ordine continuavimus. ad res maris nunc præverti tempus monet. Alibi diximus Philippum regnandi veterem Batavis inter bella commercium Hiſpaniæ permiſiſſe, ſub aliarum quidem gentium nominibus, ſed ita, ut appareret partem prudentiæ fuiſſe velle decipi: ſive ſpes rediturì obſequii vetuit in gentes exteras id commodum transſcribere, ſeu, quod eventu comprobatum eſt, metuit populis mari valentibus, ſi Hiſpaniam clauderet, alium or-

Reſa obſidium turpiter Germani deſerunt.

Mauritius Andreano caſtello munimenta opponit.

1599. bem aperire. Sed ut plerunque ſucceſſoribus tædio ſunt conſilia, quæ non ipſi reperere, novæ rationes filium, ut pace deſperata, in aſperiora verterant. Conſtabat ſatis omnes Batavorum opes ex mari eſſe & mercatura, & maximos ex Hiſpania proventus, ut quo non ſuas tantum merces, ſed & Sarmaticas fruges aliaque deferrent, aurum præcipue aut argentum relaturi, cujus ut copia apud Indiarum dominos, ita uſus ingens commercia celebrantibus: quare ſublata bellandi facultate bellum ſua ſponte caſurum ſperabatur. Conquiſiti comprehenſique per Hiſpaniam nautæ, pars per ſupplicia excruciati, pars dati in carcerem, aut remos. Per Belgicam quoque novæ principis Iſabellæ nomine proponitur edictum, multa cum inſectatione Batavos regentium, qui, ut ſemper ante, ita nunc, mutato principatu & ab Hiſpania ſemoto, oblatam pacem repudiarent, aliosque in bella concirent, non aliunde quam ex commerciis tanta ſuperbia, quæ parentis ſui nimia indulgentia manſiſſent hactenus. Obſtiterant multi e Brabantis Flandrisque, ne per Belgicam travectiones tollerentur, majore ſibi Batavicarum mercium inopia. Sed prævaluerat ira, & ſpes ſublevandæ ex Gallia neceſſitatis: quin & piſcantibus, quibus arma ante pepercerant, ſublata ſecuritas. Non mediocriter ea res Fœderatos commovit: quippe patebat eripi duo plebi alimenta: unde nautarum ſeditio, mercatorum diffugia metuebant. Nec tamen a priſtinis conſiliis degeneravere. Societate Anglorum didicerant nihil eſſe per omne Hiſpani imperium minus timendum ipſa Hiſpania, ut cujus omne munimentum in eo Reges ponerent, ſi nulli aliarum gentium domi otium relinqueretur: & ſibi vel ad continendos nautas maritimo bello opus: planeque glorioſum, ſi Hiſpaniæ commercia abrumpenti penuriam, quam ſibi minaretur, reponerent. Ergo contrarium per edictum regeſtis facinoribus, quæ olim in Belgis ac per Germaniam nuper patrata, & quæ alia concitandæ invidiæ videbantur, vetant populos quoscunque ullos commeatus resve alias in Hiſpaniam ferre: ſi qui ſecus faxint, ut hoſtibus faventes vice hoſtium futuros: piſcatores quoque emere impunitatem ab hoſte prohibiti, addito ſibi curæ fore tutum maris uſum, & ſi quis damnum pateretur, de agrorum hoſtilium præda ſe cuique ſatisfacturos. Miſſum ad reges gentesque edicti exemplum, ne quis inſcitiam excuſaret. Paruit rex Galliæ, ac ſi quis ſuorum ſex intra menſes in Hiſpaniam navigaret, profeſſus eſt, privatum periculum fore: cæteri ſilentio transmiſere.

Commercia Hiſpaniæ Flandriæque Fœderatis interdicuntur.

Fœderati contra vetant ne quis ullas merces ad hoſtes ferat.

miſere. Hoc facto claſſem parant, contracto quicquid publicæ pecuniæ aut per tributa corradi poterat: auſi rem ingentem atque ancipitem, & vix unquam mediocri ſucceſſu: quippe cum diverſa vetuſtatis exempla exſtarent, tracto ex Italia Annibale victor Carthaginis Scipio, & diu Africam populatus Agathocles; contra Athenarum opes Siculis ſub armis everſæ. Erat & recens documentum undecimo ante anno gravis Philippi claſſis, plane quaſi in fatis foret, experiri per vices Batavos Hiſpanoſque quam incertæ ſpei ſint, quæ fluctibus & ventis traduntur. Appetebat æſtas, cum duce Petro Douſa viro nobili, ſed velut nullo generis patrocinio per longos ſtipendiorum gradus ad id imperii evecto, LXXIII naves altum tenuere, ferentes hominum octo millia, nautas militeſque. Mandata acceperant eruere claſſem, quem rex Hiſpaniæ arborum, funium, nautarum inopia tarde moliebatur: idque inter cauſas feſtinandi Ordinibus fuerat: adhoc Americana navigia diripere, hoſtiliſque imperii oras populari. Magnum præ ſe terrorem agebat inauſum ante facinus, & fugis littora deſolabantur, præmiſſis jampridem & ex Hollandia literis, quæ venturam claſſem nuntiabant, ut ex captivis cognitum. Ad Corunnam hærebat cœpta Philippo claſſis: aſſedere primo Batavi: ſed illa non auſa ſe nudam dare, ſub arcis haud invalidæ tutelam confugerat: pariterque ex arce, navibus, caſtello, quod propter jacet, machinæ detonantes, ſpem oppugnandi eminus, cominus adimebant. Satis in eo viſum, quod gens Oceani ſe dominam ferens in ſuis navalibus quæſita latebram, quam prælium, maluiſſet. Vbi ad oſtia Tagi ventum, non defuere, qui Vlyſſiponis capiendæ avidi, ob gloriam prædamve, antiqua vicinorum diſſidia, inviſam Caſtellanorum dominationem, ipſam denique urbem, quod Anglorum Antoniana expeditione cognitum, ut vaſtam ita infirmam, & ſi tunc ea gens fuiſſet, quæ in bellum, non in prædam proficiſceretur, ceſſuram non dubie aſſerebant. Contra alii tam longa pace Regi ſatis adverſus defectiones conſultum, nec exſpectatæ jam dudum claſſi ſpem ullam contra maximas urbes, in quas regentium curæ metuſque vergerent. Tutius inſulas aggredi Atlantico in Oceano Mauritaniæ adſitas, quas veteres ob ſoli fœcunditatem, ſive quod omne incognitum ita appellarent, fortunatas dixere. Vnde ortæ gentes, quæ primæ incoluerunt, ut pleraque antiqua & longinqua, incertum. Iam olim cum

1599.

Paratam animoſe claſſem Duce Petro Douſa mari immittunt.

Claſſis Hiſpanica ad Corunnam prælium detrectat.

Fœderatorum claſſis inſulas fortunatas aggreditur. Illarum deſcriptio.

1599. nondum Europæ noſcerentur, ſermo non unus: Tenerifæ ad Afrum accedebat. Ipſi ſe Guanchas vocabant. Morum multa, alia Barbaris communia, ut cum Scythis utendas dare uxores: cum Indis ſororum filios habere hæredes, tanquam ex certiori ſanguinis parte conjunctos; ſtupris vi oblatis mors pœna, divortiis infamia. Sorores uxores ducere jus regibus tantum, ut apud Inchas Peruanos: plures una, etiam privatis. Et hoc Scythicum, quod novæ maritæ virginitatem rex, aut dynaſta delibabat. Dii qui paſſim, Sol, Luna, aſtra: quos ſuper unus bene ac ſecus actorum judex, & ideo alia poſt mortem vita. Infantes ſolemni ritu aqua luſtrabantur. Chriſtianiſmi aut Mahometiſmi nulla indicia. Vita tamen ſimplex, concors, innocens, antequam eo, qui Chriſtiani dicuntur, vim, fraudes & alia non religionis, ſed ſæculi vitia portarent. Primi Genuenſes anno Chriſti poſt mille trecenteſimo adiere tantum: centum ferme annis ſerius Bethincurtius e Picardia nobilis etiam inſedit, moresque ac pietatem intulit, etiam regem ſe dicere auſus. Sed cum fortuna tanto nomini non reſponderet, in Caſtellæ reges jus hoc tranſcriptum eſt. Horum potentia veteres ritus, linguam, inſtituta excidit, & ex his inſulis ad majora ſibi gradum fecit. Vna harum Canaria, quod nunc quidem commune omnium nomen, ſed ad hanc aliarum caput privatim quoque pertinet. Arcem illic, egregio ſitu, ſubiit Batava claſſis, acrique globorum certamine Hiſpana navis una merſa, duæ in manus venere. Exſcenſum ſua ſponte difficilem inſulani, eques pedesque parvis cum machinis in littus coacti prohibere ſperabant. Sed Douſa explodi tormenta, ſimul ſcaphas expediri jubet, & ipſe in primis evectus, cum propius adiri vada non ſinerent, in aquam deſilit, auſoque hoſte obviam progredi, tria dux vulnera, multa & alii tuborum telis ſimul & jaculis, veteri novoque armorum genere impetiti, accepere. Fugatis in oppidum Allagorenam barbaris, arx ſtatim dedita cum machinis ipſoque præſidio: mirantibus qui intravere, ut ſigna Mauritiana tam longinquo loco figerent, clara loci munimenta, cunctaque ad defenſionem neceſſaria, niſi quod toto ſæculo nulla illic arma perpeſſis mali novitas in metum verterat. Ducto ad oppidum exercitu, dies obſeſſoribus pauci trahendis machinis conſumti: quo tempore obſeſſi cariſſima quæque, mox ſeſe, in rupes invias aut arcto aditu propugnantibus faciles, contulere: plerique adeo quis hoſtis eſſet ignari, ut perfuga Æthiops Batavis ejuratione

Canaria arcem Batava claſſis ſubiit.

Exſcenſum Batavorum fruſtra impedire conantur inſulani.

Douſa vulneratur.

Arx deditur.

Chri-

1599.

Chriſtianæ religionis ſe venditaret : deſertæ & arces minores duæ. Miſſi, qui latebras tentarent terroremque incuterent, juſto longius progreſſi, notis hoſti locis, ſibi neſciis, feſſi præterea laboris æſtusque, circumfuſis barbaris opprimuntur. Quo cum lætiores inſulani redimere ſe ſuaque defugerent, excuſantes inopiam, incenſo oppido arcibusque diſceſſum : ultio pro præda fuit. Gomeræ haud diſpar eventus. Patuit inane oppidum, machinis, & quæ profugi avehere non potuerant, ſub humum defoſſis : & qui ſpe prædæ juga montium penetraverant, ad octoginta trucidati, imbelli vulgo magna victoria & more barbarorum etiam in victos mortuosque crudeliter exercita. Batavi ereptis corporibus in tecta flammis ſæviere. Videns Douſa, quando ſpes primæ feſellerant, nihil vaſtanda ad littora opus tanto exercitu, partem alteram navium cum præda domum remittit: quæ feliciter vitata hoſtium claſſe (nam ſub idem tempus Corunna vela fecerat) mox cœli inclementia ſegreges medium ſub autumnum portus tenuerunt. Ipſe cum cætero virium Braſiliam petere inſtituit, nobilem Americæ portionem, Luſitanicæ poſſeſſionis, nobili ligno & ſaccharo opulentam. Sed Heſperidum inſulas omnemque Africam Oceano objacentem innoxius legens, ubi cum nova multa, tum e conchis pecuniam mirabundus inſpexit, auctus inde captis mercatorum ex Hiſpania navibus, Thomæ inſulam, Luſitanorum coloniam, fatali conſilio reficiendis copiis deligit. Invitabant & aquæ dulces, & teſtudines, haud ingratus cibus, ad hoc ovorum fœcundæ, quæ duro cortice haud temere perfringas : piſces juxta innumeri, belluarum metu, aut ignorantia humanæ aviditatis, quia piſcatores non commeant, adhærent navibus. Sunt & alati, qui volatu feſſi ultro adſident. Inſula hæc Æthiopiæ, quæ Guinea dicitur, objecta eo cœlo deſpicitur, quod noctium ſpatia diebus exæquat, imminentemque ſemper ſolem nec deflectentem alio nulla hyeme temperat : quam mundi pervaſti plagam nec in fruges ſufficere, nec homines ferre, rudis navigationum aſſeruit antiquitas. Verum, ut docuit experientia, nulla naturæ pars uſibus vacat, nec ea eſt hominum modeſtia, quæ vel infeliciſſimum ſolum quæſtu ſuo vacare patiatur. Pene rotundus inſulæ ambitus : qua latiſſima eſt in duodecim leucas patet, media in montem ſurgunt, cui nubes impendens rore ſuo arundines nutrit, quibus ſaccharum eximitur :

Pars Batavorum Barbarorum inſidiis opprimitur.

Incenſo oppido arcibusque diſcedunt.

Parte navium domum remiſſa Douſa cum cæteris Braſiliam petit.

Inſulæ Thomæ reficiendis Douſæ copiis delectæ deſcriptio.

1599. is maximus proventus Luſitanos & centena, aut plura ſingulis ſervitia exercet. Naſcitur & zinziber: & arbores, quarum ſuccus vini præſtat uſum ad ſitim ac voluptatem. Egredientibus claſſe nemo obſtitit. Oppidum Pavoaſa poſt levem pugnam direptum. Arcem tenenti Franciſco Menezio ſignificavit Douſa, non ſibi prædonis in morem intratum mare, ſed juſta claſſe miſſum ab Ordinibus & clariſſimo ducum Mauritio, veteres novaſque injurias bello publico perſequi, ne ſe majora agitantem uno in præſidio hærere cogeret; paratam dedentibus clementiam & pœnas contumacibus. Admotis machinis ſecuta deditio. At inſulani qui profugerant, facta eruptione incendunt oppidum, cujus flammas ſubjicientibus aliis fuerant reſtincturi, nec impune: nam Batavi, moti damno velut ſuo, per agros villaſque ignem ſparſere. Sed acrius pro indigenis cœlum pugnabat, unde coorta vis morbi ingens inſanabili pernitie Batavorum caſtra inſederat. Nec ſane excuſaverim adeo rerum naturæ imperitos, qui non vitaverint locos ſub ictum ſolis jacentes, peſtilentemque aerem, qui ut paria inveniat illic genitorum corpora, non ferendus certe inſueto populo & ab aquilonibus ſuis venienti. Quippe ne ventis quidem recreatus, intemperie ſquallidus & atro vapore putris aer tellurem premit. Luſitanorum quoque incolentium luridi vultus, & febrium continui recurſus, ſatis arguunt etiam cœlo calidiore natis gravem trahi ſpiritum. Olim in eas terras damnatos e Luſitania judex mittebat, nunc avaritia relegat: quanquam comperto vix quenquam Europa genitum ad mediam ætatem illic pertingere. At nautæ ſuper cœli æſtum laboribus fatigati in paria malis remedia agebantur: nam & frigus captantibus ſopor ad Lunæ fulgorem noxius; & ſaccharum nuceſque Indæ & alia profluvium citantia immodice ſumebantur. Iam vero aqua avidius hauſta pernitiem tulerit, an & hominum fraude corruptior, merito ambigam; cum & hoc a gentis malitia, & illud a ratione non diſcrepet. Venerem quoque nonnullis cum indigenis mulieribus (& ſunt ita pronæ pleræque ut viros ambiant) exitio fuiſſe conſtat, in tanta diverſitate commercia corporum non recipiente natura: ita undique cauſæ in mortes accerſebantur. Inſignivit cladem dux ipſe additus, cui vaſtum obeſumque corpus, & ſuo quoque cœlo prope motus omnis impatiens, per biduum languenti quam ægrotanti ſimilius, nulla vi morbi, ſed liquata, ut creditur,

Pavoaſa Oppidum ejuſque arx Douſæ deduntur.

Inſulani oppidum incendunt.

Peſtilenti morbo Batavi corripiuntur.

ditur, pinguedine extinctum eſt. Cujus abſceſſu turbatum vulgus, ſpes concidere: vox omnium, relinquendam funeſtam regionem: conſultum ultioni; ſatis ſe hoſtium mortes cum ſuis periculis miſcuiſſe. Douſæ corpus, ne mox ludibrio foret, alte ſub humo defoſſum & ſuperjectæ totius oppidi ruinæ: avectæ machinæ & mercium aliquanta copia. Iam mari ferebantur, nec tamen cum loco virus loci evaſerant: nam & cœlum tarde mutabat, & hauſta ſemel vis mali infectos ſequebatur: magiſque in arcto navium peſtilens ægrorum odor & contagia morbos vulgabant; amiſſi ſupra mille intra quindecim dies. Mox e Braſilia parum prædæ, & reditus feſtinabatur, decreſcente indies turba, nec una mortis facie: quibus id malum in præcordia inciderat, ante morbi ſenſum pene rapiebantur: alios urebant perpetuæ febres, quæ ubi caput invaſerant, mox furore præcipites in mare agebantur. Cum jam mitius cœlum, & ægris fractiſque ſpes melior exorta, priorem necdum ſanatam altera lues nihilo mitior excepit: qua ſolutæ dentium genuumque compages, vitium longis navigationibus frequens: ac tum pleriſque mortiferum fuit, quod fluidi adhuc artus in loca maris algidiora, & per anni tempeſtatem hybernantia provecti, ex contrario nimium afficiebantur. Nec certe a multis jam temporibus tam intenſum frigus fuiſſe, docent flumina apud nos, etiam quo maris æſtus pertingit, concreta, & homines eneci gelu. Afflixere & tempeſtates, unde plus ſolito periculi, non ſufficientibus qui regerent aut adminiſtrarent. Ex omni centurionum numero duo ſuperſtites; & naves exſtitere, quæ non plures ſex homines valentes reveherent. Ægrotabant non ita multi, cæteri abſumti morbo & expulſi fluctibus jactabantur: pars navium vires in Anglia recollegit, aliæ disjectæ, ut quæque velis aut nautarum copia pollebat, ferme ſub exitum hyemis domum advenere. Navis una penuria hominum deſerta, altera Cluſam delata hoſtibus ceſſit. Eum exitum claſſis Batava habuit, Reipublicæ per ſumtum diu gravis, & domibus multis luctuoſa. At ſuam claſſem Philippus primo Fortunatas ad inſulas miſerat, accepta earum clade, ne poſſeſſioni Batavus inſiſteret: ſed ubi ſponte relictas cognitum, ire Terceram, atque ibi venturis America navibus præſidio eſſe juſſa; eo poſtquam venerat, ſævitia ventorum, nec ſine damno diſpulſa eſt. Mari noſtro Dunkerkani audacius prædantes querelas excitavere, aliis imperitiam res maritimas

1599.

Douſa moritur.

Abeuntes Batavos loci virus perſequitur.

Reditum properant.

Plurimis extinctis domum veniunt.

Philippi claſſis vi ventorum cum damno Tercera depellitur.

1599. ritimas regentium, aliis ducum ſocordiam, & titulo purgandi maris inutile vectigal accuſantibus: donec quinque naves captæ, actique in ſupplicium prædones ſolatio fuere. Ex Hiſpania vero & America multi per virtutem aut aſtum, iræ hoſtilis incolumes, domum cum veniſſent, terrore & odio Hiſpanici nominis omnia implebant. India alii feliciter reverſi majore quam antea lucro: famaque rerum & ſpe augeſcente, jactura Hiſpanienſis commercii mitigata eſt. Cœptum & ſal quæri inſulis queis America prætexitur. Novum ſub hoc tempus auxilium Philippo Fridericus Spinola adduxit, naves longas ſex, quibus in Batavos uteretur, pactus ſibi prædam, claram inter Genuenſes & opulentam domum popularibus ſuis Aurianis, qui per arma increverant, bellica gloria adæquare cupidus. Pars hæc claſſis Hiſpanæ in Batavos futura fuerat, ni graves minas multumque Britanniæ formidatas, propior cura alio vertiſſet. Igitur ſeorſim venere, poſt modicam in Brevate Galliæ portu moram, rara ſemper cœli felicitate. Præſcierant Batavi, & in fretum Morinum miſerant, qui interciperent. Sed oram legentes, eoque tutas naves Flandriam usque venti ferentes, & fortuna proſecuta eſt. Dunkerkam tamen intrare vetitæ, Cluſam ſe receperunt, armatæ hominibus mille ſexcentis: inde mercatoribus & littori Zelandico minabantur. Et nocuit non parum incognita huic cœlo navium facies, ſumtu primum, circa obſidendos exitus, deinde levibus ex damnis ſparſo in longum terrore, adeo ut multi ex Zelandia profugi alias ſibi ſedes quærerent; terrorem eventus minuit: nam mox quanquam Spinolanæ naves cœlo uſæ ſilente & ſuo, Zelandorum bellicam deprehenderant, inſtructæ & proprio & aſſumto milite, illa, vix ſexaginta nautas ferens, eo ſe impetu omnem in partem duas per horas circumtulit, ut cæſis aut vulneratis hinc circiter viginti, inde ducenti quinquaginta peremti metum in ipſos verterent. Iterumque adortæ bellicas, quas mercatorum eſſe per errorem crediderant, continuis ſex horarum cædibus perfodiuntur, egregium Fliſſingæ oculis (adeo prope res gerebatur) ſpectaculum. At Albertus Archidux peractis in Hiſpania nuptiis, cum per Italiam regrederetur, a Pontifice ſacrato auctus enſe, quo fidentior in hoſtem utriusque prodiret, mox per Alpes & Burgundiam cum Iſabella conjuge dotale imperium ingreſſus, bello adhuc ſtrepenti arctisque rebus, primo autumno intervenit: reperitque Andream & Men-

Fridericus Spinola ſex naves longas Philippo in Belgicam adducit:

Cluſam ſe recipiunt,

Longe terrorem ſpargunt.

Fœderatorum naves bellicas adortæ perfodiuntur.

Albertus ſacrato enſe a Pontifice auctus cum Iſabella in Belgicam redit.

& Mendoſam diſcordes, & certatim ejus anni proſpera ſibi, culpas alterum alteri tribuentes; quorum, Andrea ad ſacra ſua remiſſo, retentus Mendoſa: præterea infenſam Germaniam, pronum ſeditioni militem ſtipendiis non datis, nec promto unde daretur: quippe Belgæ inopes, & Philippum gravis in Batavos Germanosque exercitus, ſtructa claſſis, & metu hoſtium incerto per Hiſpaniam inſulasque diffuſa præſidia exhauſerant. Antverpiam ex arce miles pecunias exigebat. Hamontii (id agri Leodicenſis municipium eſt) & locis circum, turmæ ac cohortes agrum & oppida incendii & populationis terrore vectigalia fecerant. Andreani caſtelli præſidium tacitis cum Erneſto Naſſavio, qui adverſam ripam ſervabat, induciis, minas in Sylvamducis & juxta ſita, verterat, ni de ſtipendio complurium annorum ſibi ſatisfieret. Principum adventus nec his malis medebatur, & nova intulerat; infenſa nobilitate quod Hiſpanici ipſis mores vultusque & habitus, & Belgis inſolens flexo genu ſalutabantur. Iam vero aula imperatorio luxu & vel in pace gravis, ita impenſæ inopiam contra creſcebant: ſemperque ingratum, tum vero odioſum imprimis, magna tributa cujusque nationis ordines poſcebantur: addito iniquum eſſe minora ipſis onera pro fide ac reverentia principum quam rebellibus pro injuria tolerari. Nec dum principatus ſolennia inierant: urgentibus Brabantis, dirui arces, abduci externum militem aliaque Alberto promiſſa. Sed Iſabella, nihil tale ſe conſcia pactum affirmans, ultro etiam indignabatur; velut ipſis poſtulatis in ſe licentia quæreretur. Walones inſuper orabant tolli edicta, queis Batavorum merces, ipſis neceſſariæ, excludebantur. Sed hæc dicta tantum omiſſaque, ſenſu impoſitæ ſervitutis, & peracti ritus, queis mariti duo in nomen ducum comitumque accipiebantur: & forte dum extra Lovanii mœnia, more avito, Brabantiæ ſacramentum dicitur, vici in conſpectu duo ab equite Batavo incenſi malum fecere omen, inchoato inter clades imperio. Sed & Fœderati non magis hoſtium adverſis læti, quam rebus ſuis angebantur, adempta commerciis per edicta pacemque Gallorum Hiſpania, & quod hoſtile Belgarum, & inde opificum fuga terræ marisque reditus acciderant: nec, gravia quanquam, ejus anni tributa impendiis ſuffecerant. Hinc pecuniæ ſumtæ ſub fœnore aliquando ſortem æquaturo: neque vero minora quæ inſtarent onera, ex quo vis tota belli in ipſos verterat. Britannia quin etiam juvare ſolita, revocato milite, naves indixerat,

1599. Omnia confuſa invenit.

Belgæ Archiducum moribus & habitu offenduntur.

In nomen ducum & comitum ſolenniter accipiuntur.

Fœderatorum res arctæ.

1599. dixerat, &, mox ſublato metu, egerat gratias, nec ultra quicquam: dum potens exercitus, duce Eſſexio, Hiberniæ ſylvas ac paludes & ultima libertatis ſuffugia diſcutit, conatu qua publice, qua privatim minus felici: quippe ferox, quam prudens juvenis, & in difficilem provinciam inimicorum aſtu miſſus, per ignara locorum multis cladibus acceptis, pactis cum Tirono induciis, injuſſus cum domum rediret, Reginam, a qua ante abitum inter diſceptandum palma verberatus, injuriam hanc impatientius, quam ut in regno, tulerat, ſe abſente per æmulantium ſermones & improvidas amicorum laudes duratam adverſum ſe in ſuſpiciones & metum invenit, ſtatimque reus fit, & cuſtodibus traditur. Afflicto juveni, cui e bello decus, pacis auctores prævaluere. Indicium eo inclinantis regiæ fuit, illaceſſitus mari Hiſpanus, vetitæque aliarum gentium eo commeantium prædæ. Sed preſſit conſilium Regina, dum ab hoſtili claſſe metus, quanquam miſſus Bruxella legatus ſecuram eſſe juſſerat, fruſtra apud ſuſpicacem & talium incredulam. Nec tamen hoc minus palam mox Ordinibus ſignificat, & Anglis ad mercaturam pace opus, & ſibi, ut adverſus ſpes improbas & ſenectæ ſuæ inſidiantes regnum ſtabiliret: nec tamen ipſi deficerent animo, ſed Auſtriacum & Gallicum imperium ex æquo vitantes, ſi amicam ſe vellent, retinerent libertatem, aut domeſtico principe Rempublicam regerent: otio ſe fruentem multa quæ nunc poſcere cogeretur ex facili ſuppeditaturam. Altera jam ſocietas labaſcens quantum pleroſque animos permoverit, conjectu haud difficile: & accedebant tentamenta ab Imperatore, qui pacis ſuaſores iterum deſtinabat. Forti tamen conſilio, priuſquam fines legati adiſſent, ſcriptæ literæ, queis monebantur parcere inutili operæ: quare pacem fidam ſperare non poſſent, oſtenſum ſæpe: nec nunc eſſe cur prioribus conſultis decederent, niſi forte per Germaniam ſcelera, & abruptum per fraudes jus commerciorum, & falſo Archiducum nomine Hiſpani Belgicam tenentes, pro pacis hortamentis acciperentur. Ita ſapienter ſermones quoque vitati, præcipuis andendi auctoribus Hollandis: qui & duplicata in annum ſequentem ex cenſu capitatione præivere ſociis, renitentibus, aut ad ſequendum tardis. Zelandi maxime defugiebant, nova damna, proprios ſumtus attollendo; & apud Transrhenanos longæ ambages, dum pars gratiæ populari quam publico ſtudent, aut onera laudant, ſibi quisque levia & in vicinos caſura. Erant qui nec tacerent, ſe quieſcentibus aliis tamen

Eſſexius, re in Hibernia infeliciter adminiſtrata, injuſſus in Angliam rediens cuſtodiæ traditur.

Anglis pace opus eſſe Eliſabetha Fœderatis ſignificat.

Pacis ab Imperatore miſſos ſuaſores non admittunt.

Hollandos capitationem ex cenſu duplicantes ſocii tarde ſequuntur.

tamen cordi Rempublicam fore, quanquam innuebant Hollandi, ni ſerio in commune conſuleretur, relicta ſe terrarum abjacentium cura, propioribus neceſſitatibus & maris poſſeſſioni inſtituros. Solatii nonnihil a Germanis principibus, qui, ſuſpecto adhuc Hiſpano, alterna auxilia aut pecuniam offerebant. Palatinus cæteros religionis conſortes exemplo & verbis excitabat: monſtrans ſingulis, quid olim Albano, nuper Mendoſæ agitatum: nec poſſe Batavos ſine vicinorum pernitie vinci: at florentes, multis ſubſidio fore, huic, tuendam ad Boruſſiam, illis ad Clivicam poſſeſſionem, cunctis adverſus Romanum pontificem ejusque aſſeclas, quorum immani odio & factione omnes premerentur. Sed parum auditus, Brunovice in urbem inviſæ libertatis arma ſua convertente, aliis impares ſe alendo bello fatentibus. At Carolus Sudermanniæ dux, Sigiſmundi in Polonia regnantis patruus, cum illi avitos Sueonas minus curanti, & ob ardens ſtudium in Romanam religionem novandi ſuſpecto, arma primum oppoſita, deinde & conventu publico ablatum regnum foret, regium diu nomen evitans, & aliis tamen nominibus vim uſurpans, cum ſocietatem Ordinum ultro ambiret, dilatus; quia opem in præſens implorabat, ſpes ipſi incertæ, regnum pauper & longe poſitæ vires. Amicitia tamen oblata, ut pro religione pugnanti, excuſato, quod naves quædam Batavæ injuſſu publico Sigiſmundo ſui uſum præbuiſſent.

1599.

Germani principes auxilia offerunt.

Suecia regi, ſocietatem Ordinum ambienti, offertur amicitia.

HUGO-

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS

LIBER NONVS.

SVMMARIVM.

Ludovicus Naſſavius VVachtendoncam irrumpit. Pugna inter Breautæum & Grobbendonckianos. Mauritius capto Crepicordio arcem Andreanam in poteſtatem accipit; obſeſſi in Fœderatorum partes transgrediuntur. Groningenſium ac Friſiorum turbas VVilhelmus componit. Bononiæ inter Albertum & Anglam fruſtra de pace agitur. Legati a Cæſare damna Germanici ſoli ab Ordinibus reſarciri petunt. Fœderatorum ad alterius partis Ordines literæ. Expeditionis Flandricæ relatio. Prælium Flandricum. Mauritius victoria potitur. Mendoſa capitur. Mauritius tentato Neoporto & caſtello Iſabellæ exercitum abducit. Albertus Bruxellæ Ordinum conventum habet; Bergis ad Zomam per Legatos cum Fœderatis de pace irrito eventu agit. Ordines Belgici nova vectigalia reperiunt. Regis literis offenduntur. Dunkerkani in Fœderatorum piſcatores ſævientes pœnas dant. Batavi ſub ipſis Antverpiæ mœnibus hoſtium naves rapiunt. Ortum inter Gallum & Sabaudum bellum cito in pacem deſinit. Henricus Mariam Medicæam uxorem ducit.

1600. NOvus annus, qui vetus ſæculum clauſit, ut eventus ſtatim inſignes habuit, ita magnas rerum vices in longum portendere videbatur. Belgarum, qui ſub domino, res inopes, & quantum vix alias, turbidæ atque attritæ. Sed principum, qua novorum gratia, qua præſentium auctoritas, & ipſa morborum magnitudo propius remedia admoverant. Fœderati, quibus olim a ſervitio recentibus amplum ducis imperium, & ipſa pericula pro nexu fuerant, armis mox proſperioribus laxati, quanquam non levis neceſſitas redierat, ex vetere diſciplina animos adhuc in hoſtem, at concordiam modeſtiamque non æque retinebant. Vtriſque partibus non niſi grandes conatus, certantibus triginta aut ſupra annorum labori finem imponere: qua ſpe extrema virium profuſa, velut ante oculos

Vtriuſque Belgicæ ſtatus.

ſtaret

ſtaret victoria præmium longius duraturo. Ac primum ſtatim gelante hyeme magnum perviis undique amnibus periculum vitavere Batavi, per hoſtium ſeditiones, quas in ſuam utilitatem vertere. Nam cum turmis & pedite Ludovicus Naſſavius furtim profectus Wachtendoncam irrupit, Clivios circa fines oppidum, bimeſtri olim obſidione Mansfeldio expugnatum, cum vires Fœderatorum Parmenſis alio traxiſſet. Eques, qui ſervando loco additis, forte tum per Agrippinenſium fines populabundus aberat: in præſidio milites octoginta, nec foſſarum perrupta glacies: poſitus oppidi procul hoſte, & ſocias inter urbes plus juſto ſecuritatis addiderat: itaque pauci in vallum eniſi modica cæde portas cæteris recludunt. Tum Gelenus (is dominus rectorque oppidi) cum paucis in arcem abditus, ſpe auxiliorum quæ oratum miſerat, ſuſtinebat ingruentes tuborum globos glandeſque: donec Ludovici totum agmen advenit, & quæſitæ undique ſcalæ aggeri admoventur. Sed & tum reſtitere quidam, & hos inter jam natu grandis fœmina, non ſine pernitie ac vulneribus contra nitentium. Victi multitudine dedunt locum, non ſpernendo inter paludes ſitu, & tum uberem prædæ, quia agreſtium multi, circum flagrante bello, huc ſeſe opesque receperant. Paucos poſt dies quæ victui aut tutelæ opus equites intulere. Inter Gallos, qui Batavis militabant, Breautæus erat, claro apud Normannos ſanguine, is juventa jactantior, in pugnam provocaverat e Grobbendonci turma equites viginti, quorum præcipui traditione Gertrudisbergæ infames erant, indecorum homini nobili certamen. Prodiere pari numero in campum Fuchtenſem haud longe Sylvaducis. Grobbendonkiani armis validioribus, Breautæus loco potior. Primo ſtatim impetu Breautæus ductorem hoſtium trucidat, is Abrahamus, cognomento caſtrenſi, Cupediarius vocabatur, & adeo acre directis e propinquo tuborum ictibus certamen fuit, ut primos inter conflictus utrinque pars altera pugnantium conciderent. Sed fuga Gallorum, quorum impetus manente periculo elanguerant, nudatus Breautæus, equo aliquoties mutato, mox pedibus dimicans, tandem preſſus hoſtium turba dedit ſeſe. Pepigiſſe vitam Galli aſſeverant: contra Brabanti prædictum, ne victi aliud quam mortem exſpectarent. Certe jam multum captivus proceſſerat, cum miſſi ex urbe, orantem ut ſaltem armato & tanquam viro occumbere liceret, triginta

1600.

Ludovicus Naſſavius VVachtendoncam irrumpit.

Pugna inter Breautæum & Grobbendonkianos.

Breautæus a ſuis derelictus fœde trucidatur.

1600. triginta vulneribus conficiunt: digno probroſis hominibus facinore; & documento tamen apud magnanimam juventutem, ne falſa virtutis imagine id genus certamina affectent, unde nec victoria in publicum utilis, & mors apud ſapientes nihil majus venia meretur. Hyemante adhuc cœlo, ne occaſio effluerct, quam turbamenta hoſtium dabant, improviſa claſſe Mauritius & alio ſparſis belli rumoribus, Crepicordium, caſtellum Diſæ Moſæque adjacens, triduo in deditionem cogit. Equites hoſtium, qui firmandum ad præſidium ſero venerant, nec Sylvaducis, metuente ſemper militis civitate, recipiebantur, cæſi ferme ad quingentos. Opera caſtelli Mendoſæ aucta, Mauritius perfici jubet. Inde Andreanum petitur, ubi miles Germanus & Walo exactis ducibus palam quidem ſeditionem fatebatur, & miſſo Barlota, qui ſpecie expeditionis eliceret, vitaverat fraudem: ſed non ſine ſpe veniæ tenebat validam munitionem, ut pignus in debita trium annorum ſtipendia: hoc pertinacior in hoſtem, quia minus pro tranſitione pretium offerebatur, quam ſalvo ſacramento & fama ſecundiore conſequi poſſe ſperabat. Ad reſiſtendum machinæ aliquæ ſupererant: vallum ipſum arcis in ſpeciem: bina propugnacula in Moſam, bina in Vahalim, quintum in Harvardam prominens: circum foſſa, & ultra hanc perpetua lorica, iterumque foſſa, qua amnes committebantur. Tanta operum fiducia, ut Albertus, tenere ſe clauſtra fluminum arcemque cervicibus Hollandorum impoſitam, literis famaque celebraverit. Quamdiu undans hybernis amnibus ſolum foſſiones recuſabat, ad pacta invitati, ferociter reſpondere: quin & captivus miles a Mauritio dimiſſus ut deditionem ſuaderet, in deteſtationem perfidiæ interimitur, nec ſatis viſum, ni peremti corpus in caſtra mitterent. Verſis ad vim conſiliis, nihil prius Mauritio quam caſtris obſeſſos cingere, & ſemet tueri contra vim externam. Equitatu dimiſſo, cujus nulli uſus humentibus terris, partem copiarum navibus, pontibus, partem Tilano ac Bommelenſi agro & parvis in Vahali inſulis locat; ipſum robur ſpargit Brabantica ripa, & rupto aggere Moſam illa diffundit, ut & liberius ſpatium ad molienda opera ipſe haberet, & inde venturo hoſti auferret viam. Sed & ſex locis caſtella diſpoſuit, interpoſitis minoribus munimentis, quibus omnes ad ſe aditus clauderentur, augendoque terrori arx Batavoburgum, Moſæ adſita & veteris Batavorum nominis in ora olim

Mauritius Crepicordium expugnat, equites hoſtium quingentos cædit.

Andreanum obſidet.

1600.

olim Gallica veſtigium præferens, machinis, quarum ſonum obſeſſi audirent, ſub imperium agebatur. Et ipſi graviter telis ſauciabantur, non æque certis jactibus quos regerebant, multisque conſumtis, coacti latebras ſub vallo quærere. Sed & lignorum egeſtas & medicaminum fatigabat, noxio corporibus humi ſtagnantis madore. Spem fovere Silviducenſes crebris ignium ſignis, conati & naves invehere, ſed fruſtra. Venit & duce Velaſco exercitus, magna minatus: ſed nullum ad ſocios iter invenit, merſis undique campis, aut caſtellis obſtantibus. Conſumtis multo jam vere montium nivibus, poſtquam redditus fluviis modus, promoveri foſſorum opera cœpere, nocturnis maxime tenebris & Luna ſeneſcente. Ventum erat ad loricam, quam caſtello circumductam diximus: cum miles, ut non extrema perpeſſus, ita ſpe certe auxiliorum nulla, Mauritius redimendi temporis properus ad conditiones veniunt. CXXV florenorum millia ipſis perſoluta, pars debiti ab hoſte ſtipendii, quam viritim diviſere. Hoc pretio emtum caſtellum inſigni ſtructura, poſitu ad Hollandiæ tutelam aptiſſimo, tum machinæ & quæ inerant alia, & mille ducenti milites, transgreſſi in partes, qui peractis lætitiæ ſignis, ut mos habet, ipſi quoque de ſe triumpharunt: egregio mox uſui, poſtquam deſueta licentia in diſciplinam rediere; proſcriptique hoſtibus traditorum nomine, odio & pœnarum metu acrius inſtigabantur: ſi non probandi apud rigidos judices, Gertrudisberganis certe excuſatiores, cum hi longa mercede fraudati adverſa tamen caſtra & vim bimeſtrem pertulerint, illi non juſtis conquerendi cauſis mutatam fidem habuerint in lucro. Nequis novo militi tranſitionem exprobraret Ordines edixere, gnari levioribus etiam de cauſis inteſtina in prælia verti exercitum: quippe cum nuper, durante iſthoc obſidio, milites duo Germanus Galluſque, ex aleæ rixa in pugnam prolapſi, populares quisque ſuos in cædes & vulnera miſcuiſſet, vix procerum interventu diremto certamine. Sub hoc tempus longa Groningæ civitatis pertinacia, iram non injuſtam accendentibus æmulis, cæteros Fœderatorum impulit in acre conſilium, liberisque gentibus vix uſitatum. Plebs ſuopte ingenio ferox, & rectores nacta, qui Hiſpano dominante exſules, eoque nunc fidentius populo ſe jactabant, indignabantur duriores leges quam ſub Rege toleraverant, quo annuente domos immunes impetrarant, aliaque ſibi læta,

Obſeſſi acceptis CXXV florenorum millibus arcem dedunt, & in Fœderatorum partes transgrediuntur.

Groningæ civitatis rebellis pertinacis juſſu Fœderatorum a VVilhelmo in ordinem redigitur.

1600. adverſa accolis: horum memores, decreto Ordinum fœderatorum, cui ſe ſubjecerant, non paruere, quod multa privilegiorum nomine ipſis uſurpata reſcinderentur. Tributa inſuper inferre ærario per triennium ferme ceſſaverant. Cum & judicia contemni, & ſuſcepta onera detrectari ſine perniçioſiſſimo exemplo non poſſent, Wilhelmus, quanquam ad mitia pronior, jubetur manu militari oppidanos in officium cogere, ipſe mandati acerbitatem prudentia temperavit, cohibito ab injuriis milite, nec irati vulgi verba inſecutus. Exarmatis mox civibus, ne inſenſi, ut olim, hoſtilia cœptarent, aut grande præſidium copias exhauriret, arx imponitur. Tum vero fracti animis, deprecari a civitate ſemper libera extremæ ſervitutis notam: ſolita hæc per vim regnantibus, nec aliud hoſtibus magis objici: ponerent ſane arma contra arces ſumta, ſi libertatis auctores imitari mallent talia quam ulciſci. Simul & reliquorum partem remitti ſibi orabant. Sed apertam diu clementiam ſpretum nuper obſequium & veterum recordatio occluſerat. Tamen facti invidiam lenivit eventus; poſtquam avecti Hagam turbarum concitores, nec ultra puniti: & tranſlatis ad quietiora ingenia magiſtratibus, redditum in conſilio jus ſuffragii, & cuncta deinceps ex æquo tranſacta. In Friſiis quoque de tributo in armenta & paſcua certamen, urgentibus oppidanis, contraque nitentibus qui agros per Oſtergoam & Weſtergoam colebant, mox inſignium munerum ambitu, ut ferme accidit, alente diſcordias, eouſque exarſerat, ut pars Leovardiæ manentes, pars Franekeram digreſſi, publici conſeſſus utrique ſpecie, rempublicam ærariumque diſtraherent. Quibus ſtudiis dum ſe interponit Wilhelmus, & in eos qui ſeceſſerant judicum primum auctoritatem, deinde arma advocata, affectati ſupra leges imperii invidiam non effugit. Tandem cum & ſociæ nationes ſe interponerent, per arbitros res ad quietem veteremque formam rediit. Acceſſit ad hæc mala triſtis nuntius; Archiducem inter, cui id negotium Hiſpanus dederat, & Anglam de pace colloquia fervere, & jam Bononiam Morinorum conveniſſe legatos. Erant ſane cauſæ utriſque cur pacem cuperent. Philippum terrebant, quæ in Hiſpaniam Americamque Anglis auſa, præcipue ſumtuum tædebat quibus tuenda navigatio: & demto Britannorum ſubſidio, facilior ad pacta Batavus ſperabatur. At Anglos periculorum admonuerat Tironi ſucceſſibus

Turbas ſuper tributo inter Friſios ortas idem componit.

Bononiæ inter Anglam & Archiducem de pace acturi utriuſque legati re infecta diſcedunt.

bus & novo Pontificis edicto ſtimulata Hibernia, & multo 1600.
labore ægre recepta Vltoniæ Momoniæque munimenta, manentibus latebris, quæ defectores receptarent. Tertio poſt menſe intellectum cogi in unum legatos nequiiſſe, dum Angli quidem præcedi recuſant, Hiſpani vero etiam æquari faſtidiunt: nec magis per internuntios proceſſiſſe, dum inducias, quam hi expetunt, tam illi formidant. Ita tunc diſceſſum, & res ſcribendo tracta, donec ei, ut ſuo loco dicemus, mors & ſucceſſor Eliſabethæ finem imponerent. Interim ad Batavos legati a Cæſare veniunt, quia de pace Ordines per litteras occurrerant, alia mandata ſimulantes, Hermannus Mansfeldii comes, & Carolus Nutſelius. Verba erant magis ex dignitate Imperii veteris, quam pro anni prioris fortuna. Redderent loca Germanici ſoli, & damna per militem illata: nec ſe exemplo hoſtium tuerentur: alioqui pari culpæ parem & pœnam fore. De pace nihil ſe acturos: ſcirent tamen detrectari colloquia ſine gravi ſuſpicione non poſſe: & ſe onera commerciorum, quæ per belli ſpeciem continuarentur, haud ultra toleraturos. Reſponſum eſt, merito hoſti & damna imputari & occupata defenſioni loca, qui prior ſolo pacato intuliſſet exercitum; id ſi Hiſpano condonaretur, at certe ſibi noxium eſſe non debere, quod ſuaſiſſet neceſſitas. De pace & Gravewarta inſula eadem, quæ ante ſæpius. Sed quia Reſam Hiſpanus reliquerat, ex uſu viſum & Emmericum reddi: quo juſtius hoſti Bercam adhuc retentam exprobrarent. Actum & de minoribus nonnullis, & induciarum injecta mentio, quam Ordines, ut temporibus alienam, molliter diſcuſſere. Et tubicen iter legatis poſtulans, quos Belgarum Alberto parentium Ordines ſuper pace miſſuri erant, aliquot per dies retentus, ne ingentes belli paratus, qui tum ſtruebantur, diſpaleſcerent; juſſus mox litteras referre, queis illi, priuſquam poſcerent pacem, vi externa liberare patriam monebantur. Nam poſtquam Andreano cum milite deciſum, ut cæteri earum partium pari rabie agitabant haud multo ſaniora, utendum hoſtili diſcordia rati Ordines fœderatarum nationum, in majora auſa animum adverterant. Placuit bello in Flandriam tranſmiſſo inſtare inopiæ, quæ ſeditionibus cauſam & alimentum dabat: nec enim certius accidi ærarium, reſque turbulentæ impelli poterant, quam occupata regione, obventu agri ditiſſima & hoſtium prope tota: portuoſa etiam, unde infeſtum mare, nec tuta commercia,

Legati a Cæſare loca & damna Germanici ſoli ab Ordinibus reddi petunt.

Horum reſponſio.

Fœderatorum ad Ordines Alberto parentes litteræ.

Expeditionis Flandrica relatio.

1600. aſſidui ſumtus. Zelandi ante cæteros poſtulabant, ne, poſtquam Transrhenanis & Hollandiæ proſpectum, ipſi hoſtium vicinitati relinquerentur: poſſe liberari Oſtendam, capi Neoportum, Dunkerkam, Cluſam, prædonum ſedes. Si vel oppidum unum raperetur, dum hoſtis copias colligeret, dum ambiret ſuos, facile ſe hoc conſecuturos, ut in poſterum alieno in ſolo bellum ducerent; haud vana ſpe, ſi ventus adfuiſſet, properantibus: quo adverſo, dum perpetui flant ſeptentriones, copiæ undique & commeatus tarde annavigavere, indicto conventu ſub Zeburgum Walachriæ caſtellum. Erant peditum centuriæ viginti & ſeptem ſupra centum: turmæ equitum viginti quinque duntaxat, cum machinis omnique bellorum apparatu, multitudo navium ad octingentas. Hic inter Principem & nationum legatos, qui expeditionis auctores ſocios ſe conſiliis & periculis offerebant, dubitatum, exſpectarent dum ſecunda navigatio, an imparato hoſte quamvis occaſionem invaderent, quod prævaluit. Sed commeatus & impedimenta mari: ſolum militem cum tormentis quatuor trans Hontam Scaldis extimam partem, inde terreſti itinere Oſtendam viſum transducere, quod oppidum, maritimo ſitu, in Fœderatorum poteſtate, ſed hoſtium ſeptem caſtellis circumdatum tenebatur, contra excurſus, qui magnam Flandriæ partem ad tributa adegerant, ne tum quidem ita clauſo milite, ut non interdum erumperet. Tuto ut appellerent, præmiſſus Erneſtus Naſſavius, cum navium parte, qui Philippinam, quod oræ ejus munimentum, expugnaret. Præſidiariis in deditionem compulſis, factoque exſcenſu, cum & Aſſeneda ceſſiſſet, exercitum Princeps ita ordinavit, ut diſtinctas copias Comes Georgius Solmenſis, Erneſtus Naſſavius, cum navium parte, & Verius Anglorum ductor, tripartito regerent; equitatu in ſeptem manus diſtributo, in quas præcipuum imperium Ludovico Naſſavio permittit, ipſe ſummæ rei intentus curam non partiebatur. At agreſtes, perculſi adventantis exercitus fama, vicos paſſim omnes fuga deſolaverant, eousque veterum partium & libertatis obliti, ut per inſidias deprehenſos milites caperent, in captos ſævirent. Quo accenſa exercitus odia, imperato longius in villarum incendia proceſſere. Recta Brugas inſtitutum iter, per Ecloam, Maldegemum, Malam, non obſcuri nominis vicos. Miſſæ erant Brugas, nec minus Gandavum ab Ordinibus litteræ, ut illius olim

olim fœderis reminiſcerentur, quo pariter adverſus externam dominationem conjuraſſent. Si non volentibus eſſet ſervitus, ne dubitarent manus opesque conferre. Quæ adeo nihil valuerunt, duratis in odium animis, ut recuſatum hactenus præſidium Brugenſes tum primum ab Alberto acceperint; prætergreſſumque exercitum laceſſere cominus non auſi tormentis infeſtarent, quanquam levi noxa. Profecto inde Iabecam Mauritio affertur deſertum ab Albertinis Aldenburgi caſtellum, paria de Plaſſendalo, Snaskerka, & Bredeneda nuntiabantur. His in locis, tum ſi qua alia ob tranſitum oportuna, præſidia reliquit, quanta modicas hoſtium copias propulſare ſufficerent, magisque ut hoſtium conſilia ſpecularentur, & explorata perferrent, incerto quid pararent, cum juſtum exercitum nemo exſpectaret a diſcordibus & turbidis. Solmenſis cum tertia exercitus parte Oſtendam præire juſſus, deductis in oppidum Ordinum legatis, ubi tutius de ulteriore belli ratione conſultarent, obſidet munimentum quod milites Alberti ex ducis nomine appellaverant. Id Oſtenda horæ itinere abeſt, Neoportum verſus inter arenoſos littoris colles. Hinc Neoportum profectus, cuncta obſidioni parat, occupatis ad portum munimentis, qui longo tractu proculque oppido mari advolvitur. Brevi cum cætero copiarum Princeps adfuit, cincturus oppidum, quantum loci ingenium ferebat. Omni hoc itinere militibus quod eſſent ſatis; potus inopia fuit: nam armenta paſſim rapi obvia, vinum, cerviſia parce ſequebantur, nec ſemper aqua aderat, quam cœnulentam & limo ſordidam fuere qui conquirerent, avideque haurirent. Prorogavit penuriam lixarum malum, quorum viginti navigia Spinolanæ naves in mari corripuerant, ipſorum vecordia, dum claſſem præſidio datam exſpectare inſuper habent, quo lucrum aliis præverterent; levi in publicum damno, nec longa penes hoſtem gloria: quippe claſſis poſt congreſſa Warmondo duce, coorto repente vento, naves niſi torpente cœlo inutiles multa cæde cruentavit. Quo tempore res evenit nova, ut remigum unus, gente Turca, globi jactu, illæſus ipſe, vinculis eximeretur, marique ad Batavos tranatans perpetuam ærumnam felici temeritate evaderet. Inter hæc Albertus comperto, non tumultuariam manum in prædam exiiſſe: ſed ducis regimen, omne belli robur eſſe quod Flandriam peteret, ipſa imperii viſcera, omiſſa omni ſpe alia, copias 1600.

 undi-

1600.

Albertus intellecto Principis in Flandriam adventu copias undique contrahit.

undique contrahit, totis viribus tanti belli diſcrimen aditurus. Nec quicquam ad celeritatem reliquum facit, revocatis cohortibus, quas in Geldriam miſerat; raptæ omnes cito agmine Antverpiam, cui Scaldis Flandriæ Brabantiæque medius allâbitur. Navata ſimul cura placandis, qui Hiſpanorum Hamontii nuper egerant, inde Dieſtam tranſlati alimentis & ſpe ſolvendi æris ad modeſtiam paulatim redibant: nam ni ſociarentur, hinc copiarum vis exigua, inde metus ab ipſis urgebat. Perducti precibus ac pollicitis (idque hoc bello ſæpius evenerat) ut communi periculo manus commodarent, manente diſcordia, ſed ne ejus præmia hoſtis eriperet. At Itali, qui in Hamontium & in ſeditionis atrocitatem Hiſpanis ſucceſſerant, loco manſere, veriti victoriam ſibi infructuoſam, mortes in Principum quæſtu fore. Numerum omnium, qui contrahi potuerunt, decem millia ferunt qui pedibus militarent; equites mille ſexcentos. Cum his quanta maxime celeritate impelli tam grave agmen poterat, Archidux ipſe contendit, aliorum curæ aut fortunæ non ſatis fiſus. Conſtat Gandavi, ubi eo ventum, Iſabellam, nihil arma exterritam, oraſſe univerſos ne in extremo diſcrimine aut ſpe maxima fruſtrarentur. Ad Dieſtanos autem verſam multa dixiſſe pro re ac tempore, & quo magis fidem adſtrueret, tactis inauribus, teſtatam prius ſibi omnem fortunæ principalis ornatum, quam bene merito militi præmium, nedum ſtipendia, defutura. Mauritianis ſimul & adventare hoſtem, & jam jugulo imminere proximis e munimentis nuntiatum, unde fuga dilapſi, quos tam repentini ſuperventus vis terrorve perculerant. Nam quibus Plaſſedalum & Bredeneda tutanda obvenerant, pauci admodum, hoſtem nec videre voluerant: Aldenburgum, parte ſui in prædam profecta, eoque infirmior, dediderat miles; idem fecerant qui Snaskerkæ præſidio relicti, & vitam pepigerant. Sed ira gentis hoſtili ſanguine imbui feſtinantis, contemto armorum jure & ducis religione, qui pactiones ſignaverat, in cædes prorupit. Ejus ſceleris culpam ipſe in ſeditioſos rejecit, ſive id obtenditur dedecori, ſeu revera turbidus miles fidem ſuam principi dubiam perfidia in hoſtem venditaverat. Nox erat, cum fama rei ad Mauritium, ad cæteros, quibus id minus proviſum, terror prælatus eſt: nec falſos puto, qui credidere multis ab annis par periculum non adiiſſe res Batavas. Erant ibi copiæ, vires non dubie partis, & major copiis dux ipſe:

Iſabella ſeditioſos milites ne ſe deſerant precibus ac promiſſis obteſtatur.

Adventus Archiducis Mauritianos terrore percellit.

Snaskerkæ præſidium ab Hiſpanis trucidatur.

Magnum exercitus Batavorum diſcrimen.

ipſe: hoſtilia circum omnia: caſtra munire ſerum propinquo 1600.
jam hoſte, & fame laboraturis inutile. Nec Oſtenda exſpectandi commeatus, cum hoſtis intercederet: in Galliam fuga non fœda magis quam anceps: quod ſi illum jam jamque adventantem opperirentur, ſparſo per obſidium milite, ita ut portus quoque divideret, cædes magis futura, quam prælium. Spem amplexus Princeps, quæ reſtabat una, exquiſita ducum præfectorumque ſententia, nondum illuſtri die, Erneſtum cum novemdecim centuriis & turmis quatuor tormentiſque duobus præmittit, ut ponte ad Leſſingam antecapto, quod unum iter patebat, tranſitum ad ſe hoſti præcluderet: ſin minus, adventum moraretur, donec ipſe conſilia & aciem expediret. Sed Erneſtus, quanquam appropeerans, transgreſſum anguſtias hoſtem invenit, ſolaque ſpe extrahendi temporis, duobus tormentis, nec enim plura advexerat, aggere locatis, non procul Alberti caſtello, quod fugato receptui foret, laceſſit hoſtem. Qui dubius primum, an omnis Mauritii exercitus in prælium procederet, ubi ſecus comperit, collecto gradu, ferox ſemper ardensque in pugnam comparatione inſuper virium accendebatur. Nec illis contra animus aberat. Sed impari manu pugnandi conſilium magis, quam ſpes victoriæ. Nec ſine claræ virtutis experimentis cedere primum, mox fugere coacti ad octingentos perierunt, pars pugnando, pars jam capti, ferociore victoria, quam ut ulli parceret. Ea clades (ut ſæpe olim) cæteris ſaluti fuit. Nam dum cædes hoſtem occupat, tempus Mauritio datum equites primum, inde vehicula transponendi eam in litoris partem quæ Oſtendam reſpicit. Quod ſi vel tum transeuntibus hoſtis ſuperveniſſet, ingens ſtrages accipi potuit. Sed ille ſecuritate ſegnior, cum omnem eventum priori prælio metiretur, nuntios dimittere in proximas urbes, magnam Mauritiani exercitus partem cecidiſſe prælio, ipſum teneri incluſum: quibus lectis, pleræque civitates orationem, & quæ ſolita lætitiæ ſigna properantes, fortunam præcoci gaudio irritavere. Interea pedites, & quod equitis reliquum, vadum non procul mari monſtrantibus cymbis; duo agmina propius oppidum, qua portus anguſtior, facto ponte tranſierunt. Princeps, ut quosque traduxerat, ita in acie locavit, diſſimulato apud militem prioris prælii damno. In primori acie Anglos Friſioſque Verius tuebatur, duplici utroque agmine, cum duobus vexillis

Erneſtus, ad hoſti iter præcludendum miſſus, octingentis amiſſis fugere cogitur.

Mauritiani exercitus ordinatio.

1600. vexillis prætoriis, altero Principis, altero Hohenloii, qui Hollandiæ cuſtodiendæ relictus aberat. Mediam Galli obtinebant, hos Helvetii ſequebantur, & ex Andreano novus miles: Solmenſis hanc aciem rexit. Tergum ſervabat Giſtellæ manus Hollandica, poſthanc Germanorum agmen, quod unum ex copiis Erneſto datis exſors periculi fuerat, pariterque Trajectinum Vchtembroucio duce. Equitatus partim in fronte erat, partim mediam tegebat aciem, partim omnes ſequebatur. Sic ordinato exercitu Princeps, vetere ducum ſolertia, ſolvere naves, quæ jam multæ advenerant, & Oſtendam vela facere jubet, ut aucto in omnes periculo ſpem fugæ abſcinderet. Sed quæ portu conſederant, ante imperio parere non potuerant, quam æſtu levarentur. Relictæ centuriæ aliquot, quæ Neoportanos prohiberent in prœlio diſtentos erumpere. Nondum meridies erat, cum hoſtium equitatus longe aciem ſuam antevectus occurſat, ſed poſt leves tuborum conflictus, pulſus littore, in colles recedit, ibi peditum agmen opperitur, queis juxta mare tarde iter molientibus, tormenta graviter utrinque certarunt. Erant apud Mauritium, qui obviam eundum hoſti cenſerent: id enim fortius, & accendendæ militum alacritati. Sapientius alii manendum in loco, quo longius iter per difficilia arenarum hoſtilem impetum retunderet. Quod cum placuiſſet, adventantem jam propius hoſtem, disjecto equitatu, qui proſpectum ademerat, ad hunc modum inſtructum, Mauritius e ſummis collibus, quos in uſum prælii occupaverat, animadvertit. Tres de more acies, quarum media duplex totum littus impleverat: ita quatuor agmina haſtatorum erant, ſingulis adjecti cornuum in ſpeciem jaculatores majores ac minores, quos arcubaliſtarios & musketiferos vocamus. Primam aciem Dieſtani pepigerant, nullis centurionibus, uno ſub vexillo, quos inter agebat Mendoſa. Dexteram ſecundæ aciei partem, quæ integra Hiſpanorum erat, Montiregius & Villarſa, lævam, quæ partim Italica, regebant Sapena & Avilos. Inter utrumque hoc agmen ſtaturum Archiducem equitum manus aſſueta corporis cuſtodiæ cingebat. Extremo loco Belgæ Buquoio & Barlota rectoribus, cum auxiliis ex Hibernia Baſtucio duce. Equitibus imperabat Petrus Galenus per morbum Landriani: niſi quod Dieſtanis ſui aderant, in quos poteſtas tantum precaria. Vt diſtincta ipſis vocabula a lancea, thorace, tuborum

Solvere naves Princeps jubet.

Hoſtilis exercitus inſtructio.

rum armatura, ita in turmas diſpoſiti vehebantur. Flexo die, ubi propius conſtiterant acies, Hiſpanorum prudentiores rem in conſilium mittere, afferre communem Martem & dubiam belli aleam: non enim, ut creditum, hoſtem in naves moliri fugam, non terga dare impune cædenda: ita inſtructa acie, ita animatis ad pugnam omnibus, etiam viciſſe non incruentum fore. Videndum, ne eum ſperare cogerent, qui inter tot pericula deprehenſus prælium jam timere non poſſet. Obſidendum potius, cum ſua circum omnia, hoſti nihil præſidio foret. Interea quieſceret miles magnis itineribus & uno ſat prælio fatigatus. Erant ſententiæ quæ primam eſſe curam volebant, recuperandi caſtellum quod ab Alberto nominatum diximus. Sed & priore prælii ſucceſſu ita elati erant militum animi, ut non prælium ſibi, ſed prædam, eripi crederent; celebrato multorum vocibus vetere Hiſpanorum dicto, Quo plures Mauri, hoc clarior victoria: & fere eo ventum erat, unde ſine certamine invito hoſte diſcedi non poſſet. Ducum etiam plerique rapiendam putabant illam animorum incitationem & alacritatem exercitus. Spreta cunctatione ſalutari magis quam ſpecioſa, quamvis accenſis, hortamenta placuit admoveri, ut perficerent victoriam, augerent ſpolia, trucidarent non aciem, ſed reliquias cæſi a ſe exercitus. Illos expertes præliorum & hactenus in Deum principemque rebelles, receptus tantum fiducia, ut ſemel collata ſigna, proſtratos ſubita clade, nunc quoque pugnaturos, quia fugere non poſſent. Non hic foſſam, non vallum & quæ alia illis munimenta ignaviæ: venire ex latebris ſuis erutos, nec quicquam habere præter arma, quæ detrectata hactenus imbelli conſcientia. Ipſos in dextris gerere quantum eſſe ducem ſuum vellent: hunc enim diem, ſiquidem vincere auderent, redditurum ipſi imperium: neque bellum ultra: primum hoc & ultimum prælium: nam ad Turnholtam quidem merito cæſos qui fugere maluiſſent, quam hoſti occurrere: nec ibi aut prælium aut exercitum aut imperatorem fuiſſe. Nunc coram ipſum cui bellum gereretur, teſtem cuique virtutis. Ejus ingentes victorias, Calctum, Hulſtum, Ambianum, robur, conſtantiam, induſtriam a ſingulis exemplo ſuo flagitare. Hæc proceres, ut quemque acceſſerant, plura ad Hiſpanos veterum recentiumque admonentes: per decora majorum, qui non contenti tantum Europæ continuaſſe vincendo incognitos orbes, & al-

1600.

Duces Hiſpani militem ad pugnam hortantur.

1600. & alteram rerum naturam armis ſuam feciſſent, unde ingens illud & infinitum maneat imperium: per illum latiſſime regem, quem adeſſe ipſum & milites ſuos obteſtari crederent, ne ſororem, ne affinem relinquerent egenos & indecores, irent alacres & ſpe pleni, ut palam fieret, quod tam diu bellum adverſus unam gentem traheretur, non animos ſibi, ſed hoſtes defuiſſe. Fuere qui conjurarent, nulli ſe hoſtium vitam ſervaturos, extra Mauritium, fratremque, ut dignos, qui triumpho ſervarentur. Nec minus Mauritiani duces varia oratione, ut cujusque animis aptum, milites alloquebantur. Britanni religionis & belli ſocietate ac communi periculo, Galli proprio atque inſito in Hiſpanos odio, & recenti bellorum memoria accenduntur: Helvetiis Germanisque nomen & gloria gentis oſtentatur, ut quam ipſi virtutis nobilitatem a majoribus accepiſſent, transmitterent poſteris, ac meminiſſent alienam tuendo libertatem ſuæ ſe munimentum circumdare. Andreani hinc ad fidei experimentum vocabantur, inde ſtimulabantur injuria, quod Hiſpanus, ut transfugas, nullo hoſtium jure dignaretur. Princeps quoque non tenuit vocem: & te quidem, inquit, frater (nam is individuus ſemper aderat, nulla prece inductus ut ſe in naves reciperet) doleo, miſerorque, quando incertus belli eventus eſt, & tua hæc ætas non per ſe magis, quam patriæ cauſa tuta eſſe debuit, neſcio quo fato, in hoc mecum diſcrimine conſtitutum, ubi Reſpublica, quam pariter armis tuemur, uno in loco omni ſpe ſua periclitaretur. At quia eo ventum, unde pulſis ne fugæ quidem locus, & ecce iſtorum omnium oculi in nos converſi exemplum virtutis exſpectant, eo animo prælium capeſſendum eſt, victoriam ut ſperemus, mortem non recuſemus: hoc teque meque & inclyto Naſſaviorum genere dignum eſt, cujus jam nunc argumenta abs te poſci vides. Agnoſco ego hunc animum, agnoſcat patria, cujus te fortunæ manibusque tuis, quam claſſi credere maluiſti. Inde proximum quemque interequitans, mollique vocabulo filios appellans, teſtatur adeſſe juſtæ vindictæ Deum, cujus majeſtatem contemtam ſæpe perjurio: hunc belli auctorem eosdem ſecum habere hoſtes, quos ſubruat, eandem cauſam, ſacra, jus, fidem, quæ tueatur. Stare a ſe, quod hoſtilium copiarum validum atque exercitum fuerat: inde bellorum rudes, aut ſuis non minus quam hoſtibus infenſos, diſcordes & mutuo ſuſpectos invicem vereri, ne alter

Idem faciunt Fœderati.

Principis ad Henricum fratrem & cæteros hortamenta.

ter

ter alteri vincant. Nec quicquam præter temeritatis impetum ad prælium ferre: quem ſemel effuſum repreſſumque continuo langueſcere. Sic eandem gentem, ambiguis rebus inſtabilem, adverſis pavidam, proſperis nec fas, nec jus retinere. Cæterum etiamſi ultionis ſpes non incitaret, neceſſitatem eſſe, quæ cogeret. Hinc oceanum, qui nulli gratiam facturus ſit; inde hoſtem imminere, crudelem & perfidum. Vincendum illa acie, vel cadendum eſſe. Friſios aut Batavos advectus, Reipublicæ admonebat, quam patris patruorumque ſanguine conſtitutam, tot nuper illuſtribus victoriis auctam meminiſſent. Superba Hiſpanorum dominatio ut oculis occurreret, & quanto nunc intolerabilior victis quam olim integris ſervitus. Non tam de ſua aut ipſorum gloria (quanquam cur hanc quoque viris fortibus vilem?) ſed de ſalute, & quod ſalute prius, de libertate contendi: conjugum, parentum, liberorum, patriæ rem agi: ad ea omnia iter manu faciendum. His paſſim milites affatus ultro ordiri prælium ſtatuit, & tormentorum duo (ſex omnino erant) celſa in loca ſubduci imperat, quæ nautæ confeſtim, ſueta laboribus turba, magna vi pertracta moliuntur, obnixi ponderi & detinentibus arenis & clivi arduo, cratesque & aſſeres ſubſternunt. Nec minus ſua, quæ octo erant, ſed in littore, hoſtes expediunt. Diſploſis utrinque, horrendus fragor fluctus maris & circumjectum littus impleverat. Globi nusquam in vacuum cadentes uberi ſtrage graſſabantur, in Mauritianos tamen minus noxii: quod hoſtium tormenta in plano ſita, nec fulcimentis nitebantur. Claſſis quoque ex oceano hoſtem telis urgebat: quod ille expertus, ſimul minus patente littore, quia maris æſtus ſtata vice increverat, interius traducit aciem. Littori & campis tumuli interjacent longo tractu & inæquali, utcunque ejectas ſalo arenas venti converrunt cumulantque. Huc transfertur prælium, atrox diu & incertum, faventibus locis, vel adverſis. Poſtquam partium duces explicuere aciem, quantum loca ferebant, convalles & juga collium pedites tenuere, ulteriori planitie equites vehebantur. Sed Albertus, ut extenderet copias, media acie progredi juſſa, quæ frontis, in dextram, quæ tergi, in lævam rejecerat. Nam Hiſpanis optime fiſus, proxime Italis, gemini agminis impetum ſperabat ſuſtineri non poſſe. At Princeps mare verſus Verianum militem, proxime campos Gallum hoſti obtendit: cætera ſubſidio pone ſequebantur.

1600.

Prælii initium.

Et

1600. Et jam utroque pariter agmine jaculatores hoſtis emiſerat; quod ubi viſum, e Gallis ſimiliter armati quatuor in manus ſparguntur, quarum tres in lævam hoſtium partem impetum facerent. Nam adverſus dextram cum dilectis ſuorum Verius proceſſerat, teſtatus Principem illa die aut vivo ſibi, aut mortuo gratias habiturum, nec fefellerat. Ipſe enim inter primos dimicans, & repulſis propugnantibus, qui tubos ferebant, haſtatum aggreſſus agmen, duo accepit vulnera, equum perdidit & alii impoſitus, non ante quam frater Horatius cum recentibus copiis ſuccederet, reduxit militem. Simul hoſtium turmæ (nam id illis conſilium peditem alis firmare) acriter in latus invectæ non modicam ſtragem edidere. Quo facto & illorum augeſcere animos, & Naſſavianos labefactari contigit: & vehementius hoſte adorto, ingens repente pavor & fuga plerosque ab eo latere abſtulerat: tam inconſulta quorundam trepidatione, ut maris illati fluctibus armorum metu turpem certamque mortem incurrerent. Sed conſtantia cæterorum, & cunctis providus Princeps rem propere reſtituit. Laborantibus Galli ſubvenerunt, binas in partes diſtributo agmine, cura Solmenſis, ducibusque Ommervilla & Saulio. Et hi protentis haſtis congreſſi, primum proſpera fortuna utebantur, jaculatorum auxilio, qui ſuperiores locis, haſtatos hoſtium deſuper glandibus vulnerabant. Sed ubi integrum agmen Belgæ & Hiberni militis adverſum proceſſit, Helvetios cum Andreanis Solmenſis hortatur hoſtem invaderent. His ſtrenue pugnantibus, utramque Batavorum ſubmittit cohortem, Trajectinam hanc, iſtam Hollandicam. Poſtremi omnium Germani manus miſcuere. Nam per globos hoſtem incurſare, & quamplurimis catervis prælium committere Mauritio viſum, ita ut feſſis belli receptus, & recentes manus prælium exciperent, quod & hoſtem fregit, & ipſum invictum præſtitit, quia & ſpatium ſuis reparandas ad vires dabat, & hoſtis incidebat in integros, quoties ut fugientes incautius perſequebatur. Cæterum inter colles continuo pugnatum, qua detument, & ulterius, per intervalla reſumto impetu. Cum primum pedites concurrere, Ludovicus ſex turmis, quas tres alteræ ſequebantur, hoſtilem equitatum invectus disjecit. Quo tempore Gentius (is turmam prætoriam tuebatur) turbatos inſecutus, trans hoſtium copias pervaſerat. Tres inde equitum ductores ſuam quisque manum in Hiſpanos pedites dirigere. Nec Ludovicus neglexit, acer

acer in omnem rei gerendæ occaſionem, ſex loricatorum 1600.
turmas eodem rapere, quibus hoſtem urgeret. Inſignis eo die per multa certamina hujus præcipue virtus fuit, donec coorti Hiſpanorum equites, & undique affuſi, vix decem hominum comitatu ſuos prævectum incluſere, ſed ſua conſtantia & præfectus turmæ, Cloetio nomen, ſubveniens periculo exemit. Interea qui prælio exceſſerant colligi reficique, inſtaurare pugnam, cujus diverſis in locis ut non una facies, ita diſpar fortuna. Horatius propter plana, collium fine, cum ſex centuriis, alibi alius, ut cuique commodum, dimicabant. Vndique pugna ſe moverat, ceu integræ vires & novus utrinque hoſtis concurreret, modo huc, modo illuc inclinante victoria. Inter equitatus non ita diu armis quæſitum. Facile conſtitit Mauritianum præpollere, etiam ducum virtute: nam hoſtibus qui peritiſſimi aberant, Contrera per Hiſpaniam, Landrianus morbo: & jam Hiſpanorum lancearii concitato curſu Neoportum fugam intenderant, illi ſequebantur. Sed reſtabat pedes, pugnabantque adhuc feliciter, inter tumulos certe, quorum faſtigiis detrudebat Mauritianum militem, tormentis etiam, quæ in edito locata, ex propinquo imminens. Tres horas continuatum eſt prælium paribus animis: interea horrendæ ſtrages: multum ſanguinis fuſum, eminus, cominus vulnera & mortes. Iamque remiſerat ardor, corporibus quoque per labores, & quia jejuni plerique, languentibus, ni ſuos Princeps accenderet. Hic turbatos recomponere, & hoſti, ſiqua inſtaret, objicere inſtructas iterum manus, hic excitare ſingulos, ut ingenti animo capeſſerent pugnam. Tandem ſub veſperam equeſtri prælio rem conficere ſtatuit, hac parte virium invictus turmas duas mittit, quæ juxta tormenta in littore conſiſterent, altera Verii erat, alteri præerat Balius. His imperat hoſtem laceſſere, nec ſpes decepit, fore ut initium victoriæ ea ex parte naſceretur. Nam hoſtes, ipſi quoque finem prælio ardentes imponere, recta in eos vehebantur. Sed tanta in eos tormentorum vis detonuit, ut multa clade accepta equorum militumque, deflexerint iter. Per gyros tamen proximis collium interequitantes, & ulterius refugi, in littus redibant, donec proxime machinas iterum evectos Mauritiani maximo impetu fundunt. Submotiſque hoſtium turmis ſtatim cohortes impellunt, quorum duces Sapena & Villarſa vivi in poteſtatem venere. Parte ex altera Principis indefeſſa virtus,

præſens

1600. præſens conſilium, ipſe denique aſpectus, ſuos, dum vinci non patitur, victores facit. Quod ubi videre Hiſpani, qui adverſus medios dimicabant, quanquam pares aut adhuc validiores, fortuna partium territi, timide inſtabant: nec illos communia præliorum modo, ſed plura Mauritii proviſu fatigabant, quorum acrior ſenſus, ubi iris refrigentibus pavor irrepſit. Nam & Sole adverſo uſi fuerant, & ventus major æſtivo fumos ſabulumque in ora volvendo proſpectum ademerat: laboraverant quidem id cœli benificium intervertere, ſed imminens undique Mauritius verſare aciem non permiſerat. Tormentorum quoque diſpar uſus; Mauritiani adeo nullum tempus omiſerant, ut durante prælio tricies diſploſerint ſingula: tum quæ in edito erant aſſeribus ſubſtratis certius, ut ex ſolido, vulnerabant. Hoſti non eadem ratio, machinæque nullo munimine ſuffultæ, impetu & mole reſidebant, ad ultimum cedentibus arenis hauriebantur. Præter conſilium fors quoque Naſſavianos adjuverat, correpto flammis hoſtili pulvere, quo tormenta incitantur, & clamata ante tempus victoria veram dedit. Dux Albertus, dum ſpes ſuperfuit, totam per aciem obequitans ferebatur, cum Dieſtanis & in hoſtem proceſſerat, intecto vultu, quo notius exemplum foret, atque ita factum, ut haſtæ cuſpide a Germano milite auris perſtringeretur. Fuit & qui frænum ipſius arriperet, ſed perfoſſus ſtatim, egregia defenſantium fide. Tandem, ſuſpecta jam prælii fortuna, exceſſit acie. Credibile eſt capi potuiſſe, ſi qui tum Oſtendæ erat miles ex oppido in fugientem erupiſſet; aut qui ad Leffingam ponti ſervando miſſi, auſi fuiſſent ſubſiſtere: ſed pars ex matutina clade profuga, præteriti memor, futuri anxia torpebat. Equus tamen conſpicuo candore, quo vectus Archidux (ſed feſſum mutaverat) præda factus. Dilapſo duce, qui æquo hactenus Marte pugnaverant, pedem omnes referre, urgentibus præbere terga, tum inde effuſi fugere; præter Germanos quater mille, qui ſervatis ordinibus cedebant. Nec cunctati victores per ſtagnantia & locorum invia diſperſos ſequi. Sed Princeps poſt actas Deo gratias, jam ſero diei lectas ex acie cohortes & turmas ſubduxit, præſidium in omnes belli caſus: ipſe in loco prælii cum primoribus captivorum, cœnam noctemque ſumpſit, ſolo victoriæ munimento. Iacebant disjecta circum arma, laceri artus, cruentum littus & colles, novique corporum tumuli. Sunt qui peccatum in

Albertus acie exceſſit.

Mauritius victoria potitur.

eo velint, quod non ſtatim reliquias hoſtium proſecutus ſit calente victoria. Sed clades ante accepta, miles poſt longum prælium etiam inedia fatiſcens, pars magna ſaucii, captivorum turba, nox atra imminens, incertæ per foſſas ac voragines viæ, & caſtella interjacentia, deterruere. Clara tamen laus parta, nec facile multis retro annis parem inveneris. Veterum curioſi annotabant, ferme tribus ante ſæculis Albertum Auſtriacum Adolpho Naſſavio congreſſum vitam imperiumque rapuiſſe, eademque nunc die, quæ eſt poſtridie ſextiles Calendas, mutata domuum fata. Cecidere in ipſa acie hoſtium tria ferme millia, latiſſima Dieſtanorum ſtrage, & qua fugerant, obductæ cadaveribus viæ ac paludes. Sed & e victore exercitu mille ferme deſiderati, præter quos Erneſtus amiſerat: maxima pars Angli, quorum promtiſſima fuerat virtùs, cujus gentis centuriones octo in pugna occubuerant, cæteri omnes vulnerati extra duos. Venere in poteſtatem machinæ, & ſigna amplius centum, captivi multi & inſignes: ipſe Mendoſa dubio adhuc prælio, cum dejectus equo jaceret captus & ſepoſitus: magna pro eo Mauritii cura, per miſerationem communis ſortis & memoriam affinitatis. Nam Henricus Naſſavius per Hiſpaniam olim præpotens ex ea domo conjugem ſibi ſumſerat. Sapena ex vulnere occidit, laudata multum Mauritii providentia. Pueri nobiles e domo Archiducis ſtatim & ſine pretio remiſſi. At legati Ordinum Oſtendæ clauſi non alium unquam diem tam ſollicitum egere: primum qui ex deditis Alberto caſtellis, tum qui ex clade mane accepta profugerant, multum intulerant terrorem: poſtquam in conſpectu utraque acies, ut huc aut illuc fortuna inclinaverat, ita nutantem ſibi Rempublicam aſpicere videbantur. Verſi nunc ad preces, nunc ad reputandas bellorum vices, & ut quisque audacium conſiliorum impulſor fuerat, ita maxime periculo commoveri. At poſtquam eos exitus abſolvit, & inſequenti luce coram ipſe Princeps inceſſit cum captivis & omni victoriæ apparatu, tum vero læti vultus, feſta gratulatio. Viderant illum ſæpe victorem, ſæpe magna meritum: ſed ejus præcipue temporis auguſta ſpecies erat, qua tot capitum & patriæ ſalus, tantique triumphi decora ipſi ſecundum Deum immortalem accepta ferebantur. At aulici, ferendis odiis callidum genus, ab hoc maxime tempore cœpere procerum auctoritate potiſſimos Principis iræ, vulgi ſermonibus objicere, tan-

1600.

Cæſorum numerus.

Mendoſa captivus.

Sapena ex vulnere occidit.

Legatorum Ordinum durante prælio ſollicitudo.

Aulici inter Proceres, Principem, ac plebem odia ſerunt.

1600. tanquam qui tuta inter conſilia fortes, ſua cauſa tot armatos & ipſum ducem in tanta pericula induiſſent. Tres primi poſt prælium dies, magnum utrinque ad res momentum, deliberando inſumti, dum pars Aldenburgum recipere monet, qua iter in Flandriæ intima patebat, pars Neoporti ad obſidium redire. Simul ſævum ventis ac imbribus cœlum & ad quævis agenda incommodum morabatur, milites quoque vix parati obſequio, cognitis tum demum quæ ſubierant periculis pavidi, aut victoria efferati. Inter ipſos rixæ & vulnera ob captivos, quos alii juris reverentia, aut, ne pretium ſibi periret, ſervatos ſtudent, alii infenſi ob amiſſos ſocios, præcipue Scoti, & ſimilia hoſtium facinora obtendentes, nullo reſpectu rectorum prohibentium, palam trucidant. At Albertus interim, recollecto contra cladem animo, Aldenburgum aliaque caſtella firmare præſidiis, nec procul Brugis novum parare exercitum, ex his qui prælio ſuperfuerant, aut ex finibus undique accibantur. Neoportum quoque nonnulli profugerant, & poſtquam huc venerat Mauritius, perficere obſidium durante cœli inclementia vetabatur. Quo tempore quingenti primum, inde bis mille alii Barlota duce penetrarunt, adeo defendendis mœnibus pares, ut ſæpius, nec improſpere, erumperent. Queis Mauritius viſis, duodecimo poſtquam acceſſerat die abducit exercitum, & unum e caſtellis Oſtendæ imminentibus, inter prata ſe efferens, cui ab Iſabella nomen, cingere aggreditur, pari difficultate. Huc quoque ſe Claudius Barlota tranſtulerat, bonamque & extremam navavit operam, trajectus globo vir nobilis audaciæ, Lotharingus ortu, curandis olim vulneribus vitam toleraverat: mox per facinus haud honeſtum conciliatus Mansfeldio ferebatur, dictus uxorem ejus ſuſtuliſſe: ſed nactus honores, ita ſe geſſerat, ut mereri majora ſemper judicaretur, quo mors ejus nec luctu apud ducem, nec apud ipſius novitati invidentes gaudio caruit. Mauritius, ſpe in Flandria bellandi per locorum difficultates, & reparatas hoſti copias præciſa, tandem Oſtenda vela facit, gravi ex prælio fructum nullum præter gloriam deportans. Ante abitum, Alberti caſtellum juſſum dirui; ſed mox hoſtis reparavit. Provectæ jam claſſis poſtrema Spinolanæ naves ſilente forte cœlo auſæ laceſſere: ſed, coortis ſubito ventis, vix ſe remigio eripuere, inſequente claſſe, donec vada dirimerent. Ludovici per Brabantiam conatus aliquot evanuere:

Princeps ad Neoporti obſidium reverſus abducit exercitum.

Fruſtra quoque Iſabellæ caſtellum tentat. Barlota occiditur.

Mauritius Oſtenda vela facit.

& quod

& quod reliquum anni, ferme adhuc medii, per otium tranſiit, 1600.
partitis inter ſe hoſtibus, his felicis prælii, illis ſervatæ Flandriæ non ſpernendum decus. Dum Flandria bello fervet, Bruxellæ conventus agebatur, quem jam ante Albertus, more veteri, ſed pridem omiſſo, e cunctis ſuarum nationum ordinibus advocaverat: perſuaſus ab his, queis nota Belgarum ingenia, mores & verba civilia induere, & ſpecie poſcendi conſilium pecunias impetrare. Dixerat miſerari ſe mala quibus populi premerentur, nec velle aucta diſſimulando, & ſi pace remedium quæreretur, obvium ſeſe, ſin hoſtium pertinacia obſiſteret, non tamen deſperandum in cauſa meliore. Pro ſe Hiſpaniæ opes, unde ducenta quinquaginta ſcutatorum millia quot menſibus in bellum ſponderentur. Sed ut reſtitueretur diſciplina, miles ſine injuria ageret, æquum Belgas ipſos anniti, repertis ſtipendiis, queis præſidia alerentur. Et quando principalis patrimonii reditus jam olim bellis Gallicis oppignorati, dandum ſibi regiæque conjugi, unde generis, unde imperii dignitatem ſuſtinerent. Dum cætera conſultantur, prærogata interim pecunia, qua occurreretur ſeditioni latius indies ſerpenti, & Dieſtanis pleriſque mox prælio abſumtis, cum Hamontiano cœptum tranſigi. Sed Belgici Ordines per hanc occaſionem altius ſe Reipublicæ immiſcentes, quæ Hiſpani auxilii fides, quid præſidia, quid bellum terra marique depoſceret, ſcrutari: præcipue paci inſiſtere: multa Batavis haud immerito ſuſpecta, arces Belgicas & munerum prima penes externos, contra leges; jam quod iis ipſis tabulis, quibus Belgica tranſcriberetur, neceſſitas impoſita religioni; clauſæ Indiæ, & principes ipſi clientium in morem addicti regno Hiſpaniæ; partim ut gravia, partim ut iniqua incuſari. Hæc ſi rex Philippus demeret, veniaque Principum ſibi liceret cum Batavis inire fœdus, quo major accederet pactis fiducia, ſperare ſe brevi gentes ſub unum imperium coalituras. Conſentit Archidux ut Ordinum ſuorum nomine legati ad Fœderatos mitterentur, qui animos prætentarent. Venere Gerardus Hornanus Comes Baſſiniaci, Philippus Bentingius, Henricus Codus adſeſſor Iprenſis, poſt Neoportanam pugnam, quo tempore legati Fœderatorum Flandria egreſſi Bergis ad Zomam ſubſtiterant, rogabant inſtitui conventum, in quo inirentur rationes concordiæ, multa utrinque dicta in odium belli, pro pace & communi Belgarum ſalute. Ex Fœderatorum parte dictum, nihil ſibi gratius quam externa colluvie purgari Bel-

Albertus parentium ſibi Belgarum conventum agit.

Ejus ad impetrandas pecunias verba.

Ordinum reſponſio.

Legati Archiducis Bergis ad Zomam cum Fœderatis de pace agunt.

1600.

Fœderati pacem, niſi Hiſpano omni abrogata authoritate, ejectiſque externis militibus, fieri poſſe negant.

gicam, in hanc rem auxilium ſe polliceri. Si reſumerent libertatem, de religione nullum certamen fore. Cæterum non videre, quis exitus colloquio proponeretur: nam cum Hiſpanis quam pacem haberi poſſe, qui etiam bello abſtinentibus pacem non ſervarent? At Hiſpano Archiduces, pudendis Belgico nomini conditionibus, innexos: ipſis Brabantos, Flandros, aliosque Ordines: quam ergo vim habitura pacta cum illis inita, qui ſub dominis, ſub arcibus, ſub infenſo milite ducerent alieni juris animam? Illi rurſum, pacem quidem ſe, non defectionem moliri, nec æquum alteros arma retinere, exarmari alteros: ſed ratum Principibus fore quicquid inter ſe Ordines pepigiſſent. His dictis auditiſque Archiducum populi,

Ordines Belgici, deſperata cum Fœderatis pace, nova vectigalia reperiunt.

ſeponendam rati ſpem pacis cum Batavo recenter victore, belli onera examinant: & diu certato quantum gens quæque penderet, quia vetus forma Gallicis bellis inſtituta, ob mutatas provinciarum vires & arma aliis finibus illata, ſervari non poterat, ubi tandem convenit, in focos aliaque repertis vectigalibus, tricies mille florenos quoque menſe pollicentur, velut in annum futurum, ſed manſit & in ſequentes. Vt præſidiorum quisque apud ſe ſtipendia deduceret, ne quicquam cives præbere militi cogerentur, ut pars altera virium & locorum cuſtodes e Belgis eſſent, quæſtura Ordinum arbitrii foret: partim negavit Archidux; partim, ſpe facta, non præſtitit. Offendit multos & Henricus Guſmannus ex Hiſpania miſſus

Regis litteris offenduntur.

cum litteris, quibus Rex Ordines illos adhuc ut ſuos compellabat. Idem exemplo Hiſpaniæ inquiri volens in tabulas mercatorum, ſi cui connexa cum Batavis ratio, aut ad Indicanas ſocietates pecunia ſubmitteretur, obluctante Antverpia fru-

Dunkerkani in Fœderatorum piſcatores ſæviunt.

ſtra fuit. Dunkerkani non alias ſævius egere. Mandaverat Albertus ipſe Batavos ut commercio, ita piſcatu arceri, unde inopia aut ſeditio ſequeretur. Ipſi multis ſuorum ſuppliciis aſperati, proprias iras addiderant. Ergo imbelle hominum genus (& eſt plerisque piſcatorum ea religio, quæ nefas ducit vim armis propellere) perforata navium alvo, aut ignibus immiſſis, alios clavis transfixos longo metu ſenſuque mortis excruciant, tantaque vi mare inceſſerant, ut naves piſcantibus præſidio datas interdum aſſilirent traherentque. Sed ubi omne

Capti pœnas dant.

Batavorum robur emotum eſt, capti alii inhumana facinora ſupplicio expiarunt; aliis notas in latebras ſuffugium fuit. Ductor ipſe Wakenæus, aliquot cum navibus hoſtem inſequentem per Morinum fretum elapſus, Cantabriam attigit, & poſt

1600. & poſt actas e littore Armorico prædas, multis mox nautarum penuria abſumtis, & ipſe interiit morbo, an quia Hiſpanis faſtiditus. Contra Spinolanos remiges, ut omni cœlo certaretur, navis longa, ignotum ante Batavis, Dordrechti ſtruitur, ornata machinis viriſque: primum mercede conductis, inde ob facinora damnatis utebatur; quia bello captos eo ſervitii adigere mos Chriſtianæ pietatis non ſinebat. Probatum egregiis ſucceſſibus conſilium: nam ſtrato mari una plures hoſtium invecta in fugam egit, recepto navigio quod ſuccinctum ferebatur. Brevique eo crevit audacia, ut, paucis lintribus aſſumtis, & lecta nocte, Batavi remiges inter Brabantiæ Flandriæque caſtella Scaldim ſilentio ſubvecti, ubi ſub Antverpiæ mœnia penetrarant, navem tribus ſurgentem machinarum ordinibus, & minores ſeptem, primum ignoti, inde per vim & propugnantium cædes rapuerint. Excita clamore civitas, in mœnia procurrens, ſpectavit damnum ſuum ac dedecus inulta: nam victores ſecuri prædaque onuſti abiere, poſtquam notum carmen, in laudem Wilhelmi Arauſionenſium principis, non ſine affectu civium vetera recordantium tuba occinuerant. Magna ſpes belli Gallici Batavos ſub anni hujus finem impleverat, Henrico in Sabaudum ducente, qui, Hiſpano ſuſceptis ex ſorore ipſius liberis illigatus, nihil niſi illo conſcio auſurus credebatur. Cauſa armorum Salucia in Alpibus regio, Marchionatus titulo, quam ægræ per internos tumultus Galliæ Sabaudus ademerat. Pontifex Romanus pace Verbiniana lectus arbiter trahebat judicium, donec inſtante Gallo Sabaudus ipſe Pariſios ad Regem venit, & præcipuis miniſtrorum clam pretio corruptis, ipſum obſequiis ac promiſſis mitigabat: quæ ubi ad dictum diem non evenere, Henricus indicit bellum, urbeſque & caſtella Allobrogum vi expugnat: Fontano interim (is dux quondam in Belgica, tunc Mediolanum regebat) magnas cogente copias, quibus bellum Hiſpano agitari Italia, & omnes circum populi ſuſpicabantur: quippe & inſidiæ hinc in Venetorum arces, inde in urbem Mediomatricum erumpebant. Sed arma Alpina pax cita excepit, convento, ut pro Salucia Breſſiæ comitatus in Seguſianorum finibus, in quo pons Rhodani, Gallo traderetur, addita exceptione, ut Hiſpano copias in Sequanos Belgicamque trans eum pontem ducere liceret. Rex Henricus, ut regnum, poſt pacem externam, & intus religionum diſſidia æquis legibus coercita, certo hærede ſtabiliret, a Pontifice

Navis longa Dordrechti ſtruitur.

Batavi ſub ipſis Antverpiæ mœnibus hoſtium naves rapiunt.

Bellum inter Gallum & Sabaudum:

Cito in pacem deſinit.

Cc 2 divor-

1600. *Henricus repudiata Margarita Valeſia Mariam Mediceam ducit conjugem.*

divortium ab Margarita Valeſia, inviſa olim, nec bono rumore, & jam annis infœcunda exorat, conjugemque ducit Mariam Franciſci filiam Ethruriæ nuper principis, claram morum, & quæ rècentem apud Gallos Medicæi nominis invidiam quietiore ingenio elueret. Idem cum Anglia amicitiam firmaverat novis pactionibus, queis per mare prædonum licentia prædibus datis, & æquis judiciis coerceretur.

HUGO-

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS LIBER DECIMVS.

SVMMARIVM.

Cloetius Cracoviam expugnat. Fœderati in Dunkerkanos animadvertunt. Fruſtra tentatur Fliſſinga. Alberti militis ſeditio. Mauritius Bercam & Murſam in poteſtatem redigit. Albertus Oſtendam obſidet; Fœderati Sylvamducis. Eſſexii miſerabilis exitus. Hibernis rebellantibus fruſtra auxilium mittit Hiſpanus. Oliverii Nortii navigatio.

REparatæ auctæque vires in annum novi ſæculi primum gravia ac tarda minabantur: quippe ſpeculabundi duces & alter in alterius conſilia defixi diu ſubſtitere. Hyems & ver omne inter dolos & prædas exercita, antequam retenta vis belli impetu majore erumperet. Initio ſtatim miles, Brabantus ortu, Ieſuitarum vocibus & pecunia emtus, ut Gertrudisbergam falſa captivorum ſpecie hoſtibus aperiret, ante facinoris exitum deprehenditur. Mox equites Mauritiani haud ita multi agro Limburgico, perrupta arce quadam, prædam & captivos devexere. Ad arcem Cracoviam (quæ in Murſica ditione eſt, cumque urbe agroque dono ultimæ comitis ad Mauritium pervenerat, ſed a Salentino comite Iſenborgi ex Parmenſis conceſſione ad id tempus tenebatur) occupandam mittitur Cloetius turmæ præfectus, equitesque trecentos & modicum peditem trans Wachtendoncam rapit. Quo comperto Dulkius, qui Stralam propinquum oppidum juſſu Archiducis curabat, pedites plus quadringentos, equites paucos ſilentio ducens, incautos hoſtes per tenebras invadit. Iamque ceperat triginta, quosdam trucidaverat, antequam cæteri ſtrepitu exciti ſe explicuere. Sed per arcta viarum retrogreſſum, qua campi pateſcebant, prævectus alia Cloetius incurſat; ille, equitatu minor, villa occupata ad deditionem cogitur. Victor, ad 1601.

Cloetius arcem Cracoviam expugnat.

1601. ad quæ miſſus, properans, foſſam arcis, ut indices retulerant, glacie non interrupta perviam invenit, portam vi nitrati pulveris disjicit, præſidium expellit. Cum Hamontiano milite hactenus Albertus pepigerat, ut, relicta interiori ſede, Wartam oppidum arcemque acciperent, unde Leodicum ac Iuliacenſis ager ad prædam exponebantur, graviter ſane expoſtulantibus vicinis. Sed crebræ legationes & queſtus leviter transmiſſa, quia cognitum jam olim lucri genus, ſeditionis per ſpeciem ſumtu alieno bellum alere. Sic Bercæ quoque & Geldræ præſidiis Clivii vexabantur, accedebatque oneri immerentium populorum, quod Batavus tantundem ipſis pecuniæ indicebat, quantum alii abſtulerant, nihil referre dictans, ſponte an viribus diffiſi juvarent hoſtium opes. Audito parari in Hiſpania claſſem, & quia Dunkerkani mare liberius uſurpabant, major ſolito vis navium Oceano immiſſa, nec tamen defuere prædones, qui in conſpectu Sceverinæ (is proxime Hagam littoris Hollandici vicus eſt) exponerent captos, pretiumque acciperent. Sed mox circumventi a navigiis piſcatoriis, queis armati homines occultabantur, ſolito ſupplicio audaciam piavere. Immiſſæ & portui Dunkerkanos naves, ſaxis oppletæ, claudendos ad exitus. Sed, quoties mare abſceſſerat, ſciſſa oppidanorum ſecuribus ligna rurſumque æſtu impacti fluctus, cuncta disjecere. At miſſæ in Angliam mercatorum naves longis Spinolanis præda factæ, poſtquam bellica, præſidium aliis, diu non ſine hoſtium clade certato, mox igne injecto conflagraverat. Speraverant eædem Fliſſingam aggredi, intus corruptis, qui urbem incenderent. Sed unius conjuratorum, quem ægrotum forte mors imminens in pœnitentiam verterat, edita apud ſacræ rei miniſtrum confeſſione, fraus detecta punitaque. Novæ interim in Alberti partibus ſeditiones: claſſiarium inſeſſo Scalde tumultuantem Antverpienſes parte ſtipendii mitigavere. Walonibus, qui circa Oſtendam caſtellis impoſiti ad cædem usque aut vulnera præfectorum ſævierant, largius indultum, quia Batavorum promiſſis mutandam ad fidem trahebantur. Perſuaſi migrare præſidio Montem Guinoci tranſiere. Poſt iſta fœderati Ordines inſtituta in caminos penſione, & ex Anglia milite, e Gallia inſuper pecuniis adjuti, Flandricam rurſus expeditionem animo agitabant. Sed cum in celeritate ſpes eſſet omnis, ideoque prius neceſſe hoſtem inde avertere, placuit ultimis finibus oſten-

Hiſpani pariter ac Batavi vicinis pecuniam extorquent.

In Dunkerkanos Fœderati animadvertunt.

Fliſſinga fruſtra inſidiis ſtruuntur.

Militis Alberti ſeditio.

Fœderati Flandricam expeditionem iterum agitant.

oſtentare bellum. Præmiſſo igitur milite Mauritius, obtentu nuptiarum, quas Ludovicus Naſſavius cum vidua comitis Broukii faciebat, Arnhemum venit: nec moratus, centuriis ultra centum, turmis triginta Bercam properat, quam tum tenebat Archiducis juſſu Hieronymus Lopes. Milites illi Walones, Itali, Germani, nautici ad tria ferme millia: victus ſatis, machinæ ſex & triginta, munimenta mediocriter aucta, ex quo Mendoſa peſte adjutus oppidum ceperat. Dumque Mauritius ſueta prudentia adverſus vim externam ſe præmunit, Ludovicus Bernardus Avila non imperitus alias, tum Bommeliano nuper exemplo doctior, extra foſſam opera excitat; locumque paſcuis comprehendit, queis pecora paſcerent, quia ſale ſervandas ad carnes deſtituebatur; naves ſuas corrumpit ipſe, ne hoſti cederent. At Princeps claſſem, quam adduxerat, partim Rheno Coloniam usque diſponit, partim juxta ſe conſidere imperat. Inſulam, quæ propter oppidum amne circumluitur, caſtello modico inſtructam, primos ad ictus machinarum deſertam & opere amplius firmat, & cum ripa utraque pontibus jungit. Tum diſpoſitis, quacunque ſpes adeundi erat, ſtationibus, caſtra tribus partibus locat: uni ipſe præſidens locis editioribus ſecundum oppidum, ſuperiora ripæ Erneſto Naſſavio, media Tribuno Giſtello attribuit; ac duobus maxime locis foſſiones contramunimenta extra oppidum prominentia intendi imperat, validis circum cuſtodiis, quia crebris eruptionibus opera turbabantur. Primus impetus ad Caſſelienſem viam mille aut ultra hominum fuit, hunc Galli retudere, quorum ductor Caſtilionæus juvenis fortiter dimicans honeſtum vulnus retulit. Nec territi tamem obſeſſi quo minus & ex eadem parte, & qua Xantemum itur, ſæpius irruerent, non ſine aliqua clade ut improviſi proruperant, ſed repreſſi ſtatim accurrentibus e propinquo ſubſidiis. Quæ dum fiunt, perlatus nuntius Oſtendam ab Alberto obſideri, non parum attulit difficultatis: nam cœpto cedere indecorum, at perduci contra opera ram valido intus præſidio, & ſervari aditus, paluſtribus circum ac fallacibus campis, ſine magnis copiis non poterant. Rurſum Verius, quem Oſtendæ imperio deſtinaverant, abnuebat onus, ni viginti Anglorum centurias, magnum robur exercitus, ſecum abduceret, quod conceſſum; & exſpectans ſupplementa Princeps inſtabat operi. Interim obſeſſi victus ſibi modum præſcribere: nuntiis & ſublatis e ſpecula ignibus auxilia

1601.

Mauritius Bercam obſidet.

 auxilia

1601. auxilia implorare: nuntii intercepti. Geldræ ex oppido ſignificatione ignium ſpes monſtrabatur. Miſerat ſane Archidux ſolvendo Herenbergenſem obſidio, non modicis cum copiis; & carri vicinorum in hoc retenti. Sed mutatum conſilium, ſeu quia caſtra impervia, eximia ducis arte; ſeu quia ex uſu attinere illic hoſtilem exercitum, quo ſegnius Oſtendæ ſubveniretur. Vbi inferni meatus ſub valli extra jacentes partem ſucceſſerant, jactu globorum & oſtentata acie, velut facturus impetum, Mauritius obſeſſos prolicit, quos frequentes coactos defoſſi pulveris violentia diripuit: parati, qui ruinas occuparent, locum tenuere, quamvis hoſtis non multo poſt regreſſus acriter incumberet. Brevi cætera circum munimenta ſimili arte, aut per vim capta, pars metu deſerta, ſtatimque ad Caſſelienſem portam directæ trans foſſam vineæ ſub ipſum oppidi aggerem perrepſerant, quod timentes obſeſſi, & quia ſauciis compluribus medicamina non ſuppetebant, ad conditiones venere, eo maturius, ut perfugis, qui multi inerant, ſalutem & honeſtum cæteris exitum paciſcerentur. Læta imprimis populo Transiſalano iſta acceſſio, qui tributa, hoſti hactenus penſitata excurſionum metu, ſtatim abnuere, juſſis armari, & ad ſigna concurrere, agreſtibus. Medio menſe Iunio cœpta obſidio Iulii fine exitum habuit, cum jam Oſtenda viceſimo & quinto die Hiſpanorum viribus tentaretur. Sed antequam omni cum exercitu deſcenderet Princeps, Murſam oppidum, donatum ſibi, ut ante diximus, in poteſtatem redegit, dejecto imbelli milite, quem Cliviæ dux impoſuerat, feudi per hæredum internecionem ad ſe reverſi nomine, ditionem vindicans. Sed ipſe contra multis facinoribus patroni jura violaſſe arguebatur. Oſtenda, cujus nunc obſidium multis a ſæculis clariſſimum ac proprium velut bellum memorabo, inter Cluſam & Neoportum piſcatoribus lecta ſedes, jam olim Flandrici littoris partem exiguam occupavit. Porta paliſque vallari cœpta, quo primum tempore civilis belli initia, & multus mari prædo cuncta terrore oppleverant. Poſtquam Gandavenſi pace opes Ordinum invaluere, acceſſit fœderi, conſtanterque adhæſit, & mox Parmenſis, capto Neoporto ac Dunkerka, terribilis illic obſidii irritus, dein Lamota irrupta jam parte oppidi pulſus, famam addidere, & curam muniendi, quæ aucta ex quo Cluſa amiſſa, & præter Oſtendam nihil oræ Flandricæ reliquum. Frons oppidi in Septentrionem prominens aperto Oceano pulſatur. Lævo, quod

Berca deditur:

Et Murſa.

Oſtendæ deſcriptio.

in occidentem vergit, latere rivus Ipperleda, mari quondam 1601.
illabens, portum efficiebat: ſed qui, ut Flandriæ cæteri, recedente æſtu navium eſſet impatiens; nunc rivum opera abſcidere, portus manet. Quæ pars orientem aſpicit, arenoſis quondam collibus inæqualis, mox in planum deducta eſt, ne propinqua faſtigia hoſtem attollerent. Ita remotis quæ obſtiterant, proximam mœnibus planitiem irrupit mare, patente in centum pedes æſtuario, cui cedentibus ſemper arenis aucta profunditas: ubi æſtus adjuvit, immenſus gurges; ubi deſtituit, duarum haſtarum longitudine aquæ ſuperant: vadoſiore tantum in ipſis faucibus limine. Quicquid retro terrarum in auſtrum porrigitur, crebris foſſis interſciſſum, mare inundat, quo æſtuante mille paſſuum ſpatio & ultra ſæpe mergitur ſolum. Tantis naturæ præſidiis acceſſere munimenta, rudia quondam, ſed in artis modum, quantum locus ferebat, jam tum cœpta excoli, cum Caleto Hulſtaque victor rediens Albertus obſidium minabatur in hæc usque tempora dilatum. Vetus oppidum quod dicitur, nunc nihil niſi inane aquarum terræque ſpatium, mare aſpiciens, extra Oſtendæ vallum propriis quinque molibus littus impleverat. Hinc foſſa novum oppidum circumluens, ſeptis aquarum modum diſpenſantibus, bina & hic mœnia dividit, interiora octo propugnaculis excurrunt, quibus exteriora totidem aliis reſpondent; qua flumina prælabebantur, levior ſtructura, a tergo ſolidum opus, & nova foſſa intercedente velut triplex vallum. Hic oppidi ambitus, horæ circiter dimidiæ iter. Vltra, propriæ ſejunctæque munitiones, & quæ, ſi neceſſitas urgeret, deſererentur ſine labe oppidi: una palis præſepta trans æſtuarium fine dextri lateris: aliæ per campos tergo mœnium adhærentes, alit modico ſpatio & voraginum interventu avulſos. Flandri pertæſi excurſuum, queis omnis late ager exhauriebatur, & experti ſeptendecim caſtellorum, quibus tum clauſa Oſtenda, ſumtus ſine fine, licentiam militis gravem, & parem prope hoſtili, & nuper cœpta ſeditione ſuſpectam fidem, urgent Archiducem, ne diutius clariſſimam imperii ſui provinciam unica parte inutilem pateretur. Nec deerant diſſuaſorés, qui tantis oppidi munimentis, & patente Oceano, non obſidium, ſed inutilem exercitus moram ominarentur. Sed vicit ſpes, & promiſſa a Flandris vis ingens pecuniæ, & hærente ad Bercam hoſte non ſpernenda occaſio: præſertim cum & ex Italia Hiſpaniaque novæ cohortes adveniſſent, Trivultio Bracca-

1601. montioque ducentibus. Quinta igitur Iulii die Fridericus Herenbergenſis dextra oppidi, mox Hieronymus Montiregius læva aſſidet, e propinquo primum, ſed ictus tormentorum coegit longius metari. Carolus Notius oppidum tum curabat, ſufficiente victu & omni belli paratu, centuriiſque viginti & una: quibus acceſſit primum ad obſidii nuntium miſſa cum Vchtenbroukio cohors, ſtatimque virtus præſidii apparuit, valida eruptione, qua cæſi primores, quos inter Montiregius, & e vulgo ſupra quingentos. Poſtquam Franciſcus Verius ſummo cum imperio in oppidum venit, cum ſuæ gentis milite, cujus numerum novi ex Anglia delectus augebant, ſtatim e re viſum, quicquid extra oppidum munitio occupaverat, firmare cuſtodiis & longius proferre caſtella, quorum unum recens adhuc, & quadraginta militibus ſervatum hoſtis irrupit. Cæterum a poſteris oppidi partibus repulſus obſeſſor lævo maxime lateri imminebat. Stagnantibus locis aggerem ſtruxit nova arte, cujus laus ipſi debita, cum pleraque alia nuper reperta Mauritii Batavorumque ingenio inceperint. Faſces longos in pedes viginti ambitu paulo majore, quo firmius ipſo pondere aquis obſiſterent, inſertoſque his lateres religabant. Farcimina dicebantur: his ſenſim promotis, & vi machinarum ſuperpoſita portus veteris uſum navibus eripuit. Sed ex æſtuario, quod altera parte fluere diximus, perfoſſo littore diductus alveus, ſtatimque mœnium ſinu exceptus, melior ac certior deinde portus fuit. Huc ingredi, hinc exire centenæ ſæpe naves, efferre ſaucios, portare tormenta, ligna, victum, & quæ contra cœli injurias aut metum morborum deſiderabantur. Nec contra hoſtium, quanquam editioribus e locis, jactus longinqui & incerti quicquam valuere, tam raro periculo, ut ingens hominum multitudo ſola ſpectandi cupidine advectaretur. Externorum procerum dux Holſatiæ, Dani regis frater, & ex Anglia Northumbriæ comes, omnibus belli artibus ſtrepentem locum mirabundi inſpexere. Igitur omiſſis globorum minis, arenarum ſacci ac lapides opplendo gurgiti immittebantur, fruſtra, prævalente aquarum rapacitate. Vbi præcludendi commeatus ſpes nulla, verſas in occidentem urbis munitiones Catricius illa ex parte imperans admotu operum telorumque impetebat. Harum munitionum tres contiguæ Hiſtrix, Orcifauces & Sabuletum caſtrenſibus vocabulis dicebantur. Sabuletum oppido in vetere pars quondam collium, quos mari arena accumulat,

Albertus Oſtendam obſidet.

Verius oppido præficitur.

Obſidii hiſtoria.

lat, æquatis cæteris, unus tumulus eminebat, quem pro- 1601.
pugnacula duo, alterum alteri ſuperadditum, coronabant: aliaque operum circa, quia oppidi quod minus firmum inde propugnabatur. Huc tot adacti ab hoſtibus globi, ut collis totus ferro rigeret, nec tamen immenſo ſumtui par fructus fuit: nam dejecta facile reparabantur, & mortuis aut vulneratis ſuccedebant recentes. Inter eos, quos jactus abſumſerat, juvenis Caſtilionæus fuit, Gallorum tribunus, egregii ducis Coloniaci nepos, nec ipſe ab avita virtute degenerans. Ipſum quoque Verium, curando vulneri egreſſum oppido, Zelandia refovit & remiſit. Nec talium malorum immunis obſeſſor: ſed paucos intra dies Catricius & Bracomontius tribuni cecidere. Per oppidum, quo minus globi & ignita jacula timerentur, aggeſta parietum in morem denſa paſſim humus. Sed ne maritimum vallum hoſtis oppugnaret, propinquis jam foſſionibus, major metus. Itaque agger arcendo ſtructus mari disjicitur, ancipiti conſilio; ſed eventus contra Hiſpanos fuit, quorum foſſiones vimineæque turres, ubi venti fluctus impulerant, longe merſabantur, coactis cuſtodibus in tribunalia refugere, quæ ferendis machinis juxta extulerant. Sic admiſſum mare Oſtendam inſulæ in ſpeciem circumdabat: oppido quoque interdum nocens, ſed palis, ſaxis, & omni maritimarum gentium ingenio vis ſumma undarum in hoſtem diſpellebatur. Quatuor menſes abiere inter proſperas eruptiones, & contra mœnibus aſſultantium inanes impetus, crebraque transfugia, & captivos qui vanis rumoribus partes utrasque implebant. Detectus & proditor, qui bellici pulveris incendium hoſti promiſerat. Ipſe Albertus interdum & Iſabella, tardi laboris inſpectores aderant, alacri milite ducibusque in principum conſpectu, alii farcimina plura vaſum in morem orbibus connectere, & his quo liberet provolutis ſolidare humentia, nova caſtella veteribus addere: pars longe diſſidentia operum aut viarum connexu jungere: foſſam moliri quo cuncta facilius Brugis adventarent. At fœderati Ordines ſpe invadendæ Flandriæ amiſſa, poſt Bercam captam, pertæſi erogationum & Oſtendæ primum intenti, æſtatem multumque autumni nihil ipſi molientes transmiſere. Vbi trahi obſidium, nec tam periculum Oſtendæ quam ſumtus immanes verebantur, propoſitum hoſtem detrahere, aut ſi perſtaret, neglectas in partes incumbere. Diuque dubitato, quis locus facilem victoriam, nec ſine magno uſu, daret,

Silva-

1601. *Fœderati interim Silvamducis fruſtra obſident.* Silvaducis placuit, poſt diſcidium a fœdere nunquam aperto bello tentata. Nec præſidium tunc aliud, quam centuriæ duæ, turmæ totidem, quibus Antonius Grobbendonkius imperabat; ſollicita ſemper civitate, ne miles prævaleſceret. At cives ipſos haud ſane intrepidos magiſtratus ac ſacerdotes, quorum ingens copia eſt, certatim inflammabant, hi ne ſueta ſacra araſque & ſimulachra & Divos faventes deſererent, ac pollui paterentur: illi majorum facta recitando, quorum virtus Geldros toties a Brabantico limite repuliſſet, addebantque ſuum ipſi exemplum. Nam & per noctem lumina diſpoſuere, & edicto cavere ne eorum, quibus vivitur, pretia increſcerent, & ne ſuetis ante fores indiciis mortes noſcerentur. Aggerem quoque excitarunt, qui Fuchtenſem nomine portam prætegeret. Hac parte Mauritius caſtra fixerat, adverſa Wilhelmus & Erneſtus conſederat, utrinque via depreſſioribus campis eminens facile ad oppidum foſſores perducebat. Ea commoditas & urbis non alia quam ſueta olim munimenta, ſpem brevis acceſſus dabant, cum alioqui menſe Novembri tam propinqua hyeme cœptus labos terrere poſſet, & in ampla urbis ſpatia non pares obſidentium copiæ, centuriæ tres ſupra ſeptuaginta, turmæ triginta circiter: quippe Oſtenda juſtos poſcente exercitus. Sed nec eruptionum metus a cive, ſua tueri ſatis habente, nec ſueto talium, & circumfuſa planities late madens, poſitis caſtellis claudebatur. Repertum & amnes rivoſque juxta fluentes objectu molium ſupra ripas attollere, quo magis ſtagnarent adjacentia. Sed non ita id maturatum, quin bis in oppidum miles penetraret. Quippe ab Alberto miſſus, ad Brabantorum preces, in loca proxima Fridericus Herenbergenſis cum pedite & non invalida equitum manu, ſparſo rumore, paratiſque omnibus velut Helmundum vicum muniret, primum trecentos ferme, mox ad mille oppido inſerit, ignaro diu obſeſſore, &, ubi ſero cognoverat, paucis poſtremo ex agmine captis cæſiſque. Adverſus incendia, quæ a globis ignitis timebantur, vulgi rectorumque oppidi magna ſedulitas: tabulata arena ſternere, aheno tela excipere, cunctaque reſtinguendæ flammæ parata habere. Acceſſerat Archiducum nomine pollicitatio, privata damna ex publico reparatum iri. Vrgebat interim opera Mauritius, queis ad foſſam mœnium perductis, vineæ tantum & quæ urbibus ultima reſtabant. Spem non longinquam gelu interſcidit, exſpectato maturius intenſiusque,

ſiusque, concreto quicquid aquarum campis incubuerat, rigentibus quoque fluminibus, nec commeatus æque faciles, & laxior hoſti in oppidum via: tantumque frigus, ut excubiæ non ſine pernicie militum agitarentur. Vigeſimo ſeptimo die ſolvitur obſidio, dolente Mauritio ac reſpectante ſæpius an cœlum miteſceret. Sed impellebant abitum maxime Herenbergenſis copiæ, quibus & ille ſe junxerat miles, quem poſt ſeceſſionem Wartam in oppidum tranſlatum memoravi, pariterque tum Dieſtæ conſtiterant. Neque tam caſtris metuebatur egregio opere vallatis, quam ne gelatis amnibus nudum Hollandiæ latus incurſaretur. Impedimenta, navium ſublato uſu, quatenus potuere Heuſdam præmiſſa curribus, incenſa cætera. Munitiones, ut fuerant, relictæ, periti ducis ac gnavi militis egregium ſpecimen. Cætero autumni hyemisque leviter excurſum. Batavis Transrhenanam ripam, quæ contra Coloniam eſt, obtentu eorum, quæ mortuæ nuper comiti Murſenſi debebantur, raptantibus: & Bellijocoſo Archiducum juſſu populante quod Brabantiæ ſub Fœderatis poſitum tributa defugiebat. Stabat adhuc circa Oſtendam bellum: & alter obſidentibus atque obſeſſis labor, hybernum mare, nunc hæc, nunc illa opera quatiens. Accedebant morbi cœlo ſoloque juxta humentibus, quorum intolerans imprimis natio Angli deficere indies, aut diſceſſum in patriam Verium orare, per quæ imminutus defenſorum numerus, ita ut ſeptem millium vix tria reſtarent, Archiducem non latuit, qui cum nec immerſis navibus, nec ullo lignorum lapidumque aggeſtu æſtuarium videret præcludi poſſe, nec eo continuari opera, ſimul & mari & machinis hoſtium prementibus, ad manus rem perducere ſtatuit. Primumque, tentandis viribus, delectos militum octingentos, prætexta littore mœnia aſſilire noctu jubet, quod exſecuti fortiter; palosque & mari objecta late incendio depaſcebant. Sed mox æſtus recurrens coegit abſcedere, relictis ſuorum haud paucis, quos e proximo machinæ laceraverant. Placuit tamen, acceptis in caſtra ſupplementis, oppidum, tum qua retro in campos exit, tum qua mare proſpectat, gemino ex latere adoriri; Hiſtricique & Sabuleto, præcipuis illic munimentis, vi tota incumbere. Gnarum id Verio, captivi indicio, qui ſuorum paucitati metuens, nullo ducum aliorum, ſed unius ſuo uſus conſilio, plerisque neſcientibus, breves cum hoſte inducias facit, & injecta ſpe dedi-

1601. deditionis, obſides dat atque accipit. Sed orto hinc militum tumultu, Roſſemianorum maxime, qui ne hoſti infenſo proderentur imprimis metuebant, coactus Verius obſides Archiducis dimittere, cauſamque aperire centurionibus. Ea fuit, ut, colloquii ſpecie in ſpem auxiliorum adventantium, periculi tempora extraheret. Quo intellecto, viſum omnibus, quo obſidum ad hoſtes miſſorum ſaluti conſuleretur, clariſſimos hoſtium in oppidum allicere, cùm quibus actum lente, inſuetis & iniquis poſtulationibus, inter quas fuit, ut exeunti militi Archidux magnam vim pecuniæ numeraret. Interim e Zelandia quinque centurias ventus ſecundus in oppidum detulit, edixitque legatis & Archiduci Verius, preſſum ſe neceſſitate, veniſſe ad pactiones: nunc cum auxilia adveniſſent, ſalva ſacramenti fide non eſſe ut ultra procederet. Sperare ſe tamen, ſi quando Archiducis viribus ad extrema urgeretur, clementiam magnanimi principis ſibi non defuturam. Commovit Archiducem ea contumelia, quippe Flandria omnis velut ad certum ſpectaculum potiundæ urbis concurrerat, & jam didita fama propinquis regnis vagabatur. Nec Ordinibus ſatis excuſata fraus per ſe indecora, ad hoc periculoſa magis quam neceſſaria. Externi hoc anno caſus non leve momentum ad res Batavas attulere, quippe in Anglia Eſſexius, pacis cum Hiſpano maximus adverſator, cum cuſtodiæ exemtus, regia arceretur, & ille quondam gratioſus, ſuffultus clientelis, armatus legionibus, nunc ſine decore, ſine imperio vitam aulamve pati non poſſet, varia verſans conſilia, invaderet, an e longinquo bellum minaretur, inimicis cuncta rimantibus, a Regina, cujus animum ſuper veteres offenſas forma quoque ipſius ſpreta in iram accenderat, dicendam ad cauſam vocatur. Intellecto periculo, quod e præſentibus peſſimum erat ſecutus, nec de modeſtia nec de audacia ſatis ſumſit. Sed domi ſuæ detentis ſenatoribus, Regina quos miſerat, ipſe cum modica manu Londinum properans, dum amicos illic plebemque ſollicitat, a feciali publico prævenitur, qui Reginæ juſſu, ni confeſtim pareat, perduellionis crimen ipſi denuntiat; qua voce perculſa plebs, ſibi timens, alieni curam facile exuit. Portæ clauſæ, domus obſeſſa, ipſe conſilii inops dedit ſeſe, & in carcerem ducitur, comite Suthamtono. Datis judicibus, auditus publice, multa in inimicos dixit, præcipue in Cæcilium, quem hoc inter cætera crimine premebat, quod pacem

Eſſexii miſerabilis in Anglia exitus.

cem cum Hiſpano promoveret: illos ſe ultum eſſe, nunquam mutata in Reginam fide. Suſpenſa diu omnium exſpectatione, ecquid Reginæ clementia & veteres affectus poſſent, an facinoris magnitudo, & ſuſpecta dudum popularitas, validique inimici veniam præcluderent? Damnatus tandem ſecuri feritur, magnis circa ſuprema & pietatis & pœnitentiæ indiciis: capite proſtrato, ſectatores ſupplicio additi. At in Hiſpania ſtructa claſſis late terrorem ſparſerat: pars in hoſtilem Africæ oram directa & tempeſtatibus repulſa eſt: pars Hibernis rebellantibus egregium auxilium milites ſex mille, duce Iohanne Aquila tulit; is ſuperbo edicto præferens, veniſſe ſe ad Hiberniam e dæmonis faucibus liberandam, in auſtrinam inſulæ regionem, ubi Quinſala oppidum, appulit: magnasque Hibernorum copias fruſtra exſpectans, a Montijocio Anglorum nomine provinciam regente obſidio clauditur. Tentavit quidem perrumpere Tironus rebellium Princeps, per gelatas paludes juſtum agmen trahens. Sed clade accepta in latebras rediit. Aquila cum hoſte pactus dedito oppido, & quicquid Hiberniæ Hiſpani tenebant, Anglorum navibus militem in Hiſpaniam reportavit. Neque multo poſt infelix Hiſpanorum in Cæſaream Mauritaniæ urbem, (Algeriam nunc vulgo vocant, Arabica, ſed ea quoque corrupta voce) expeditio ad exhauriendæ pecuniæ cauſas acceſſit. Longinquas ad navigationes creſcebat Batavis audacia: quippe & fretum, quod Magellanicum a repertore dicitur, Draconi & Cavendiſſo Anglis emenſum poſtea, quartus eorum, quos fama excepit, Oliverius Nortius Roterodamenſis penetraverat: nec ſine magnis difficultatibus, inter Americæ fines & ignotum adhuc orbem, longis anfractibus arctatum mare vix eluctatus, Auſtralem qui dicitur Oceanum, eique obtentum Chiliorum littus magnitudinis incognitæ ferens corpora, inventis ibi quoque Hiſpanorum hoſtibus, inde reflexo curſu Borneonem inſulam devenerat. Bonæque ſpei promontorium prævectus, circumnavigato omni terrarum ambitu, non quidem opes ullas, ſed clarum patriæ decus, & non audita ante locorum nomina domum retulit. Alias vero naves idem iter aggreſſas, cum nec hominum nec victus haberent ſatis, disjectas partim Hiſpani, partim barbari rapuere. Capti fœde cruciati, atque enecti; quæ ut in barbaris inſcitia, ita in Hiſpanis barbaries erat. Sub hoc tempus Batavos, dum cuncta rumorum adverſus Phi-

1601.

Hiſpanus Aquila incaſſum Hibernis rebellantibus auxilium fert.

Oliverii Nortii navigatio.

1601. Philippum colligunt, in ſpem aliquam erexerat dictus vivere Sebaſtianus Luſitaniæ quondam rex; reperto homine qui ſimiles corpore notas præferens, & multa haud publicæ notitiæ edoctus a Luſitanorum callidiſſimis, cæterorum ejusdem gentis credulitati illuſit, donec ab Ethruſco duce Hiſpano traditus, audaciam & peſſimi exempli aſtum, traductus per populos, dein navali ſervitio addictus, morte poſtremum expiavit.

HVGO-

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS

LIBER VNDECIMVS.

SVMMARIVM.

Oſtendani obſidii continuatio. Mauritius in hoſtem ducit; Mendoſa & Spinola ei obviam eunt. Graviam obſidet & expugnat. Hiſpani militis ſeditio. Mendoſa in Hiſpaniam abit. Batavi octo turmas hoſtiles circumveniunt. Longa Spinolæ naves comburuntur. Batavi in India Hiſpanorum claſſem fugant. Luſitani Achemi regem in Batavorum necem impellunt. Indorum ad Batavos legati. Rex Ternatæ aliique Indorum reges in partes Fœderatorum tranſeunt. Societatis Indiæ Orientalis apud Batavos initium. Birenii ſupplicium. Novi in Friſia Orientali motus.

AD Oſtendam, longe adhuc ſpes obſidenti. Sed accenſus Verii facto Archidux, ſiquid contra ſpem poſſet virtus ſuorum ſtatuit experiri, gravique machinarum impetu, ex tumulo in id excitato, percuſſis diu munimentis, qua vetus oppidum, portusque vetus, ubi non parvam operum labem factam intelligit, nono Ianuarii ſub veſperam refluo mari aſſiliri urbem undique, illic præcipue oppugnare jubet. Ducenti duobus ſub centurionibus milites propugnaculum, cui Sabuletum nomen, recta impetere juſſi: totidem alii parati qui lævum molis latus, atque iterum alii, qui productam loricam incurrerent. Hos ſequebatur cum quadringentis Durangus Hiſpanorum tribunus, cui mandatum locis occupatis præſidium ſtatim imponere, victu in hoc inſtructus, nitratoque pulvere, & quæ ſtruendis munitionibus ſolita. Contra Hiſtricem ducenti deſtinabantur, qui invaderent, qui munirent totidem, ſub Gambalota Italorum duce pene trecenti; & ſub Auguſtino Mexia quadringenti, laborantibus ſuis commune ſubſidium. Deinde in cuneos diviſus omnis exercitus, non defuturus qua vocaret

1602.

Obſidii Oſtendani continuatio.

 occa-

1602. occaſio. Buquoio ſuum latus obtigerat, qua frons oppidi in orientem flectitur. Ad Sabuletum crudele prælium, quia monitus a transfuga Verius tormenta, & cuncta in perniciem hoſtium reperta, illac maxime intenderat, accenſis paſſim ignibus, quo oppugnantium facta clare noſcerentur. Reſciſſa palorum ſepe jam ſcalæ admovebantur; infraque haſtis Hiſpanorum & prævalentibus Anglorum gladiis pugna incaluerat, cum Verius, ſepta aquarum duo aperit, portumque veterem, cujus per vada transeundum erat hoſtibus, late inundat: qua vi non modo nitratus pulvis corrupit, quem miles ferebat, ſed multos in mare propulſos fluctus ſorbſere: nec ſequentibus auxiliis, ipſi, qui jam manus miſcuerant, coacti retro cedere, duplici clade, quem tela hoſtium & aquarum impetus inferebant. Buquoius ſibi juſſa ſerius exſecutus eſt, minusque perſtitit, quia inter moras creſcens iterum mare æſtuarium, qua ipſi via, impleverat. Tergo oppidi projecta, atque alibi levia operum, aſſultante hoſte neglexit Verius, gnarus diducendis defenſoribus ſpargi minas, cæterum nulli uſui iſta, & quæ brevi reciperentur, quod eventus probavit. Iacebant paſſim in vallo foſſisque, prout ſua quemque audacia longius extulerat, milites ac duces peremti: multi Oceano ferebantur. Octingentos ferme Archidux deſideravit, acceptis inquirenda ad corpora quatuor horarum induciis. Intus quadraginta ferme cæſi, vulnerati plures, quos inter Verii frater Horatius, egregie functus omni militis ducisque officio. Reperta inter Hiſpanorum corpora & mulier, quæ militari habitu animoque ſexum diſſimulaverat, velut exprobrans naturæ, quod ſe virum non genuiſſet. Infelix oppugnationis exitus, neque ſperanda Oſtendæ fames, & gravis hyems caſtris madentibus, multos ducum permoverant ſuadere Alberto, infauſtos conatus in tempore & ante majora damna deſereret. Sed ille, pro ſua Regisque gloria anxius, in longo & difficili labore pertendere, quam ſe uni oppido imparem fateri. Igitur læva caſtrorum parte aggeſtus ingens tumulus, unde machinæ detonarent: ad dextram contra æſtuarium ſenſim agger promovebatur, defixis humo tigillis, transverſisque inſuper aliis, queis farcimina modo in ſtruem colligata, modo decuſſata imponebantur, tabulatorum in morem, arena in ſummo congeſta, quo preſſior moles aquis obſiſteret: tanta quidem firmitate, ut & inſtructa velut ſolo lorica defenderet militem, & machinæ in obſeſſos inde dirigerentur. Nec eo tamen

men minus continuo navigatum, raris aut levibus damnis. 1602.
Aderant Alberto accita omni ex orbe ingenia, quæ certatim alia atque alia claudendo æſtuario ſuggerebant: cumque obſcura nocte quidam funem nauticum cum doliis demerſiſque anchoris utrumque ad marginem fixiſſent, obſeſſi captatis rurſum tenebris facile vincula reſcidere. Repertum Pompejo Targoni caſtellum, quod navibus impoſitum tormenta ferret, ſtatim apparuit infirmius quam ut fluctuum quaſſationem toleraret, &, quod ſubter in alveo erat ſoli, arenas ponderi ceſſuras. Factas eidem rates e laterum faſciumque compage, quæ cum æſtu pariter levarentur, Batavorum oppoſitis tormentis tela non ſemel evertere. Proviſum quoque, ſi iſtud iter hoſtium artibus deficeret, portum novum inter veterem & æſtuarium perfoſſo littore veteri oppido inducere. Quippe & Fœderatos tuendi maris & gloriæ cupido acriter animabant, decretumque, velut in longum duraturo obſidio, ſexto menſe mutare præſidia. Verio in ſummum regimen Fridericus Dorpius ſucceſſit. Reparatæ oppidi ruinæ, auctæque munitiones, parata ſingulos in dies pecunia quæ labori perſolveretur; cum Alberti militibus ne ſtipendia quidem ſatis ſuppeterent: unde inter ipſos ſemina ſeditionum, & obſequii detrectatio: ipſa imperia metus & odii plena, diſpoſito equite qui peditem, pecorum ritu, in pericula propelleret, aut retraheret fugientem. Flandrorum largitio longe infra ſumtus: Walones, quo minus multa conferrent, infidam Gallorum pacem prætendebant: Brabantis juſta excuſatio ex ſeditione militum qui Wartam tenebant, parumque abfuerat, quin conſpirantibus aliis arcem nuper Antverpiæ & Hulſtam occupaſſent. Injecta & ſpes Archiduci, poſſe ſubito Bredam irrumpi. Sed miſſum nocte Fridericum Herenbergenſem, itineris errore devium, mox dies detexit. Fratrem ejus Adolfum haud multo poſt eques Mauritianus intercepit. Servabatur hactenus Hollandiæ per arces modo arctiore, modo laxiore cuſtodia Franciſcus Mendoſa, prælio ad Neoportum captus, & quanquam vidua Brukii comitis, Clivenſiumque legati pœnas gravium facinorum expoſcerent, quæ ille partim ut neceſſaria; partim ut imperata defendebat, non viſum Ordinibus in captivum, belli jure munitum, judicia exercere. Sed quia in duces, non item ut in milites, conſtitutum erat libertatis pretium, diu diſceptatum, tandemque convenit, ut quicunque e fœderatis populis per Belgicam, Hiſpaniam, Indiam,

Verio Dorpius ſuccedit.

1602. Americam, toto denique Philippi imperio capti tenebantur, eos Mendoſa ſolvi curaret. Valuit in tantum apud Regem aut Mendoſæ aut futurorum ducum reſpectus, ut pactis acceſſerit. Reverſi toto ex orbe nautæ & mercatores, quos ſpe commerciorum advectos hoſtilis ira, aut ob diverſam religionem ſacerdotum odia oppreſſerant, pars exeſos vinculis artus, ſqualloremque & tenebras, pars remorum duriſſimam ſervitutem ſub crudelibus dominis memorabant. Magnumque in eo momentum fuit ad concitandam in Hiſpanos plebem veterum injuriarum vix memorem, & vulgi ſtudia proceribus paranda, quorum clemens & populare factum, libertatem civium ſuorum ante pecunias habentium, lætiſſimis animis excipiebatur. Ita partim impletis pactionibus, partim ſponſoribus datis, exiit Mendoſa, de Batavorum republica, quam propius didicerat, honeſte ſentiens: eoque pacis quam belli utriſque partibus ſuaſor. Scriptæ tum & leges certiores ſuper redimendis in poſterum captivis. Toto hoc vere majorem, quam unquam antehac, exercitum Ordines conſcribebant, auctis animis, prælii Flandrici memoria, & novis hoſtium ſeditionibus, unde ſperabant, antequam exſpectatus ex Italia miles in Belgicam adventaret, aut hoſtium cæde renovare gloriam, aut terreſtri itinere per Brabantiam in Flandriam, &, ſoluto obſidio, Oſtendam penetrare. Perſtabat ſane Mauritius cauta conſilia audacibus præferre: ſed procerum ſententiam regina Angliæ & rex Gallus comprobavere, majore ſuadendi auctoritate, quia militem ac pecuniam ſubmittebant. Conducta & Germanorum equitum vis, magnoque paratu, indictis publice ſupplicationibus, menſe Iunio, ſerius quam oportuit, cum ſub idem tempus Italicæ copiæ fines Belgicos attigiſſent, iter ſuſcipitur. Simul miſſæ diverſas in partes litteræ ad Atrebates, Brabantos, Flandros, aliosque earum partium Ordines. Scribebant Fœderati de ſuis rebus, de Regum auxiliis magnifica: de ſeditionibus militum adverſa in parte, de urbium agrorumque vaſtitie non minus vera: quo tot miſeriarum pretio, niſi quod in miſeriis ultimum, ſervitute? Nec enim obſcurum, quid Hiſpani jam dudum pararent: & ne quem falſa tranſcriptio falleret, aut inane nomen Archiducis, viderent ipſi penes quos belli ſtatuſque publici ſummum eſſet regimen. Si cordi majorum gloria, ſi poſterorum libertas, darent ſe ſocios, aut ſaltem modicis tributis egregios conatus adjuvarent: irent Archiduces, & quietiora regna quære-

Mendoſa libertate redimuntur omnes e Fœderatis captivi.

Magnus Fœderatis ſcribitur exercitus.

quærerent. Hiſpanos paucarum arcium præſidia, pelli faciles: tum ipſos Reipublicæ, tùm ſacris quem vellent morem impoſituros. Non magnum intercedere laborem ad bona maxima, pacem & libertatem. Mauritius triplici agmine viaque duxit exercitum: erant equitum quinque, peditum octodecim millia, currus ferme bis mille: medium agmen Wilhelmus Naſſavius, dextrum Verius, ſiniſtrum Erneſtus ducebat, intervallis ita temperatis ut coire facile poſſent, interim diviſis itineribus celerius procederent. Lixarum turba, molæque & furni, & cuncta, alias navibus advehi ſolita, terreſtri itinere minus commode ſequebantur. Ad Noviomagum tranſito Moſa, inde in agrum Leodicum ducit, paterni quondam exercitus, non Albani armis, ſed fame domiti, caſtra relegens: quod malum ut ipſe vitaret, acribus minis propinqua oppida, ſponte in Hiſpanum proniora, cogit commeatum in caſtra afferre, & æquo pretio vendere, ne ſic quidem ſatis reperto, quod tantis copiis ſufficeret. Decimoquinto die Centronum pago, non procul Tilemontio, ſubſedit omnis exercitus, cum jam Tilemontium Mendoſa veniſſet. Hunc enim, audito Ordinum paratu, miſerat Archidux, relicto ad Oſtendam Iohanne Rivaſio, qui ſervaret caſtra & circummuniret. Perſuaſi, qui Wartæ agebant, intermiſſa ſeditione, augere Mendoſæ copias, ita ut haberet quinque peditum millia, equitum quatuor. His ſe jungere juſſus Ambroſius Spinola, cum octo millibus Hiſpanis atque Italis, quos recens adduxerat, in ſpem gloriæ conatus fratris maritimos, & rem Hiſpanam lecto milite adjuturus. Pactus cum Philippo de reſtituendis ſumtibus, ipſe ſuis cohortibus ſtipendium præbebat, &, quanquam ſummam imperii obtinente Mendoſa, jus reddens iiſdem, tenebat cæterorum ut inopiæ, ita licentiæ impermixtos: quibus hoc conſecutus eſt, ut nullus unquam miles quietius & ſeveriore diſciplina egerit, exemploque cognitum, vim militaris imperii pecunia maxime contineri. Propinquus caſtris eduxit Mauritius copias, in prælium hoſtem laceſſens. Sed continuit ſuos vallo Mendoſa, impar virium, an ex captivitate fractus, adhuc & ſua funeſta auſpicia paveſcens, ſemelque accepta clade in poſterum cunctantior. Detrectato certamine ab his, qui ſæpe ipſi præliorum formidinem objecerant, cæterum videbat Princeps ingentia cœpta in irritum cecidiſſe: quippe interiora penetrari tanto agmine, arctis viarum, inimica inter oppida, propinquo ad occaſiones hoſte, non poterant:

1602.

Mauritius in hoſtem ducit.

Mendoſa & Spinola ei obviam eunt.

Oblatum prælium Hiſpani detrectant.

1602. rant : quo properius retro cederet & flumina quæreret, victus quoque deficiens, immatura adhuc meſſe, admonebat. Ne tamen, poſt tantos conatus, annus tranſiret inglorius, ad ſpes minores verſi animi, ſtatimque Gravia ſuccurrit, Cukiæ regionis oppidum, Moſæ adſitum, munitum ſatis operibus, & egregio intus milite, cunctiſque ad tolerandum obſidium.

Mauritius Graviam obſidet.

Huc ubi die octavo perventum, gravi per æſtus itinere, nec ſine morte novi & laborum inſueti militis, terna caſtra Mauritius locat : parte ſuperna fluminis Verius, infra ipſe, qua campi paluſtri ſolo in Brabantiam abeunt Wilhelmus curabat. Pontes duo ſtructi in flumine, longi paſſus centum & quindecim, quicquid caſtris interſitum, nec minus ripa altera, quæ in Geldriam patet, perpetuo aggere, profundis & late patentibus foſſis ; caſtelliſque & machinis claudebatur. Munimentum, quod ultra flumen oppidani tenebant, telorum vi derelictum, juvit obſeſſorem. Mendoſa interim, quanquam flagrantiſſimi tribunorum ſuaſerant abeuntem hoſtem continuo inſequi & conatibus intercedere, fortunam, &, ſi male ſuccederet, offenſas metuens, tum vero pecuniæ, & propterea rerum ferme omnium egenus, conſulere Archiducem maluit, inſigni temporis diſpendio. Nec Archidux certa reſpondit, tantum caveri monens, ne abducto longe regio exercitu ſubito Batavi Flandriam claſſe occuparent.

Mendoſa infra Graviam & Mauritium caſtra metatur.

Quo metu Mendoſa ex hoſtium conſiliis ſua ſuſpendit, & ad Ruremondam utcunque paratis, quæ putabat neceſſaria, tandem & ipſe ad Moſam infra Graviam & Mauritium caſtra metatus eſt. Erratum multi putabant, & debuiſſe ſuperiora ripæ eligi, cui regioni Raveſteiniæ nomen eſt, quo victum Batavis auferrent, queis cuncta ſubter hoſtilia. Sed poſitis jam ſedibus, caſtra Batavorum prætergredi periculoſum, & tardum circuitus quærere, cum inſtans operi Mauritius ingentes vineas pluribus locis ſub foſſam oppidi duxiſſet, commoditate aggerum, qui utrinque fluminis ripæ muniendæ poſiti, facilem viam fodientibus præbebant. Nec jam ſpes ulla Hiſpanis, niſi ut Mauritii & Wilhelmi inter caſtra, late patentibus ſpatiis neglectiora, irrumperent, inque oppidum penetrarent, paratis jam ſcalis, ligonibus, ad ſcandendas aut diruendas munitiones, ducente Thoma Spina lectiſſimos peditum mille, quos alia ſubſidia ſequebantur. Sed in omnes partes intentæ cuſtodiæ, & quanquam noctu profectis, inter longas paludum moras illuceſcens dies, audaciam fruſtra habuere.

buere. Inde Mendoſa irriti auxilii pudens, ſpectaculo capiundæ urbis ſe & exercitum ſubduxit, tacitis ſignis Venloam concedens. Ordines pro Berca ſolliciti Erneſtum cum præſidio eo miſerant. At Antonius Gonzales, oppidi Graviæ præfectus, cum quo mille quingenti diverſi genus milites, dum ſocii in conſpectu, crebris eruptionibus hoſtem fatigaverat: neque tunc, ſublata quanquam ſpe liberandi obſidii, protrahere tempora documentis virtutum deſinebat. Poſt bimeſtre obſidium, cum Angli ſepto, quod aquas foſſis oppidi continebat, imminerent, Friſiis alia ex parte intra foſſam vineas agentibus, & e Mauritii caſtris, paratis qui mœnia ipſa ſubruerent, ſeptingentis ferme ſuorum amiſſis, præſidiarii decoris pactionibus armati cum ſarcinis exiere. Graviam Geldricæ quondam ditionis, poſt annexam Brabantiæ, & Maximiliano comiti Burenſi acceptam pignori, gener Wilhelmus Arauſionenſium princeps emerat, belloque amiſſam, pace Gandavenſi, ejecto Germanorum præſidio, receperat. Sed ante annos octodecim nacto oppidum per præfecti ignaviam Parmenſi, avitam nunc ditionem Mauritius ingreditur, poſt Bredam, Lingam, Murſam, iterum ſibi victor & patriæ, cui non ſine magno uſu prolatum in Moſam imperium. Quæ dum aguntur, milites aliquammulti irritati jam dudum nullis aut exiguis ſtipendiis, derelicto Mendoſæ exercitu, Hamontium ſe contulerant: ille, antequam impunitate creſceret numerus, vim properandam judicans, raptis eo machinis, paucos peditum in deditionem recipit, equites diffugere, nec minis aut precibus permoti, cum alia loca fruſtra attentaſſent, arcem Hochſtratanam, Breda non procul, volente præſidio invadunt, brevique aucti magna colluvie veterum militum, qui ſibi debita, partim & novorum, qui nihil præter facinorum licentiam petebant, lecto duce, ſenatum & comitia & leges conſtituunt, majore cura quam ſi vera civitas coiſſet. Ipſæ rapinæ non niſi juſſu & in commune fiebant: ſeorſim ſiquis auderet, eadem, quæ alibi, furibus pœna. Queis commotus Archidux, & in magna inopia exemplum metuens, corrogato, quod haberi pecuniæ poterat, eos, qui in fide manſerant, puniendam ad perfidiam hortatur, paratque obſidium. Illi, ubi ſe non ſeditionis in morem, quæ illis partibus minime nova, ſed hoſtiliter haberi ſentiunt, auſi viciſſim inſolita, victum, arma, machinas a Batavis orant impetrantque. Iuvabat quippe frui hoſtium turbis, & alios

1602.

Gravia deditur.

Hiſpani militis ſeditio.

1602. aliis committere, egregio ærarii proviſu, parium malorum ſecuros. Captæ Graviæ nuntius, & a Mauritii exercitu metus, Albertum propoſito avertit: nec tamen paruit Belgarum Ordinibus, qui ſub id tempus parandis tributis convocati ſuadebant pecunia mitigari infenſum militem. Sed Hiſpanorum primores novis potius cohortibus ſtipendia, illis ſupplicia deſtinare. Rerum minis in verba mutatis edictum prodiit, quo omnes qui in arce Hochſtratana erant, ni certum intra diem veniam precarentur, proſcripti, interfectoribus promiſſa merces, bona publicata, qui commeatu juvarent addicti ſuppliciis, uxores & liberi in exſilium miſſi: addito ſuper cætera crimina, quod ſpem Graviæ liberandæ ipſorum ſeditio corrupiſſet. Inania erant, adeoque ſpernebantur, ut publicatum ſit reſponſum militaribus facetiis, quibus Alberto prælii metum, Graviam fruſtra adſpectatam antequam ipſi ſecederent, præterea ſumtus aulæ regios, eſuriente exercitu, objectabant: poſitis ex adverſo ducum laudibus, qui benigni comesque in militem fuiſſent. Et quid adeo mirum, ſi, poſt tot alios, quod deberet dominus id agros depoſcerent, aut ad ea auxilia decurriſſent, quæ juſta feciſſet ultima neceſſitas? Subdebant, contra pœnas horrendi carminis, partim ſe armis, partim inopia tutos fore. Laboravit Octavius Frangipanis, pontificis Romani legatus, pacare ſeditionem. Sed illi, niſi reſciſſa edicti ignominia, conditiones omnes aſpernabantur. Graveſcente autumno, Germano equite dimiſſo, Mauritius reliquum copiarum in præſidia diſtribuit. Idem fecit Albertus, multum nudatus transfugis, & Italo milite, ut recente, per labores imminuto. Partem tamen exercitus in caſtra ad Oſtendam & naves Spinolanas, partem in ea loca miſit, quibus hoſtium, aut ſeditioſorum impetus timebantur. Venloæ quoque civibus, qui præſidia pertinaciter hactenus recuſaverant, ſæpe & expulerant, propinquo ob Graviam periculo, perſuaſit militem admittere. Mendoſa in Hiſpaniam abiit, ubi minus benigne exceptus eſt, mortuo Philippo patre, & occupato ab aliis filio, qui bellum ipſi infelix, nec pacem ſatis curatam, tum auſa inauſaque prælia exprobrabant. Diſcedentibus copiis evenit, ut turmæ Batavorum quatuordecim octo turmas Albertinorum ſine ducibus, Trajecto ad Moſam non procul incurioſius agentes circumvenirent: multi equitum in ipſis cubilibus deprehenſi, capta ſigna quinque, & ſuſpenſa in Hagienſi palatio, equorum ingens præda. Sub hyemem

Alberti in ſeditioſos edictum ſpernitur.

Mendoſa in Hiſpaniam abit.

Batavi octo turmas hoſtiles circumveniunt.

hyemem cum alias in partes ſeditioſi incubuiſſent, miſſus cum 1602. turmis triginta tribus, juncto peditatu ad mille ducentos, Ludovicus Naſſavius, ut extrema hoſtium tributum negantia popularetur, Viti fanum irrupit, totoque menſis ſpatio incendio vicorum & rapinis graſſatus, agro Lucemburgico non modicam vaſtitatem intulit. Mari multa Batavis proſpera. Audiebatur Fridericus Spinola longis octo navibus ex Hiſpania adventare. Simul Martinum Padiliam, accepto maris imperio, claſſem paratam habere, incertum Batavis Britanniæ, aut Hiberniæ minaretur. Miſſæ a Regina naves, quæ ſpecularentur conatus, & qua daretur opprimerent. Longas Spinolæ duas apud Seſimbriam Luſitaniæ oppidum telis perfoſſas mox combuſſere: data ſervis libertas, vita cæteris. Quominus plures corrumperent obſtabat ingens Luſitanica navis, ejus generis, quas Caraccas vocant, pretioſis mercibus onuſta, quam dum oppugnant & mox prædantur Angli, fuga cæteris patuit. Fridericus in Hiſpania diu retentus, dum pacta cum Rege firmaret, ſex reliquis navibus (habebant milites nongentos, mille quingentos remiges) menſe Octobri Flandriam petit: quo audito, Regina tres naves ſub littus Britannicum & freto Morinorum locat. Batavi ſuarum quatuor addidere, præter eas, quæ oram Flandriæ ſervabant. Angli, conſpectis longis navibus, ſignum ſociis dedere: illæ uſæ nebuloſo ſimul & ſilente cœlo littus Anglicum legebant, tam prope, ut remiges quidam, delimatis compedibus, in vada proſilierint. Sed Batavi tum a litore, tum e freto inſecuti, non procul Gravelinga, duas tormentis lacerant, & bis terve invecti ſuarum navium mole dirumpunt: mali remique & totæ puppes avulſæ Oceano fluitabant, truncæ naves vi fluctuum ſorbebantur. Servati hominum ferme ducenti: quo minus plures exciperentur miſericordiam metu ſubmovente, ne victi victoribus præpollerent. Vna præterea ad Caletum naufragium fecit, inſcitia regentium: duæ aliæ longarum navium telis pervulneratæ, & in Flandrica brevia impactæ, Neoportum attigerunt. Sexta, qua Spinola vehebatur, mari Zelandico vagata, non ſine periculo jactuque rerum multarum, ſpe libertatis animatis ſervitiis, Dunkercam tenuit. Haſce tres cum Fridericus cæteris navibus, quas Cluſæ habebat antea, junxiſſet, ex agri Walachrici populatione ſtudens reparare rem & gloriam, hiberno ventorum flatu retentus eſt, & quia interno externoque bello vexatus Archi-

Spinolæ naves ab Anglis Batavisque comburuntur.

1602. dux armandis navibus nudare præſidia abnuebat. Creſcebant per Indiam fama & commercia Batavorum, magno Luſitanorum damno, quibus olim repertoribus centum inde per annos poſſeſſa navigatio, & contra Caſtellanos aliasque Chriſtianas nationes reverentia Pontificiæ donationis, partim vi quoque & armis defenſa jam primum extorquebatur. Philippum igitur adeunt, ut florentis regni unicum columen, ſuosque & populi reditus juſta claſſe defendat: ex eo bellum, hactenus Belgicæ pene concluſum, in alium quoque orbem tranſiit, cui gerendo Andreas Hurtado Mendoſa deligitur, qui tum forte Cunalam, piratam Indorum Malabarum, quinquaginta annorum rapinis & jam regiis inſignibus nobilem, magna cum laude expugnaverat. Hic quoque magnis navibus, Galeones vocant, minoribus ſupra viginti, Luſitanis militibus octingentis, Indis ſupra mille quingentos præter navalem turbam, juſſus in reges populosque, qui Batavos ad mercatum admiſiſſent, dura exempla ſtatuere, Bantamum Iavæ urbem primam exitio deſtinat. Forte evenit, ut eodem tempore, id erat hujus anni initium, quinque Hollandicæ naves, imperante Wolfardo Hermanni, ea in loca mercandi cauſa advectarentur: ferebant homines circiter trecentos, impar ſane Luſitanis certamen, quorum ſola prætoria, & magnitudine ſua & virorum copia, totam Batavorum claſſem ſuperabat. Metus tamen amittendi in poſterum commercii, & ſpes parandæ apud Orientis populos laudis & gratiæ, ſubegit non quidem manibus conſertis, ſed tormentis certamen aggredi, quibus egregie inſtructi Batavi non parum noxæ hoſtibus attulere: quippe ventis invecti, & cum liberet refugi, mobilitate ſua impetus Luſitanorum fruſtrabantur. Ita per dies aliquot pugnatum. Captis ſuarum navium duabus, merſis aliis, Hiſpani, ipſa inexſpectati mali novitate perculſi, abſceſſere, Ambonam petentes, ubi Itonem pagum, & ſiquid præterea Batavas partes ſequebatur, cædibus & incendiis, arborumque odoriferarum excidio, ultore nullo, impune vaſtarunt. At victores in urbe Bantamo, quam ultimo diſcrimini exemerant, feſtis plauſibus excepti, Bandam mox ivere, ubi nucis odoratæ optimus proventus eſt, & hujus inſulæ ſuſcepta tutela, cum populis (neque enim regnantur) fœdus fecere: ne aromata aliis gentibus venderent, religionis ob cauſam moleſti alii aliis ne eſſent, ſed Deo judici rem permitterent: jus quisque in ſuos dicerent: perfugas ab aliis alii ne receptarent. Ad eam formulam, procedente tem-

Commercia Batavorum per Indiam creſcunt.

Ad illa impedienda cum claſſe mittitur Hurtado.

Quam Batavi captis duabus navibus fugant.

tempore, cum aliis quoque populis & regibus, Hiſpanicam vim formidantibus, amicitia, ſocietasque contracta eſt. Sumatræ facile princeps urbium eſt Achemum: hujus regem, falſis in Batavos criminibus, & emtis, qui in aula plurimum poterant, quarto ante hunc anno, perpulerant Luſitani, partim ut in ipſis navibus, ſubmiſſis qui per ſpeciem amicitiæ inviſerent, partim in urbem evocatos trucidaret, multumque cædis factum fuerat, incautis ejus perfidiæ navibus; potu inſuper earum regionum mentem exſternante lymphatis: vix naves ſervatæ. 1602.

Luſitani Achemi regem in Batavorum necem impellunt.

Præferente mox Rege facti inclementis pœnitentiam, Hollandi, qui poſtea advenerant, pactis ſuper emtione aromatum initis, rurſum comperiunt fidem ipſius a Luſitanis tentatam: unde cum conventa non ſervarentur, Arabum navibus e portu egreſſis, in ultionem acceptæ ab Indis injuriæ, injiciunt manum, quæ res, gentium juri minus congruens, hoſtibus criminandi Batavos materiam dabat. Sed reverſi poſtea Zelandi, alieniore jam a Luſitanis Rege, culpam hanc purgavere, ipſum orantes, ut legatos ſecum mitteret, viſuros non piratarum colluviem, ut falſo apud ignaros ſpargebatur, ſed opibus & fide inclitam gentem, cui nulla niſi in Hiſpanos arma. Placuit Regi conſilium, quo certior eſſet in poſterum utras in partes tutius inclinaret.

Rex Achemi legatos ad Batavos mittit.

In itinere prope Helenæ inſulam a Caracca Luſitanica, margaritas & pretioſa mercium ferente, laceſſiti ultro Zelandi littus inter & ipſam, medios ſe dedere, perfoſſamque vi machinarum coegere ad deditionem. Hominum quod erat in Braſiliæ oram expoſitum. Princeps legatorum e Sumatra (nomen ei Abdulzamat) mortem in Zelandia obiit, honeſtisque exſequiis, & monumento culta memoria.

Legatorum princeps in Zelandia moritur.

Superſtites alii Mauritium, tum caſtra ad Graviam habentem, ſalutatum ivere, dona a rege ſuo ferentes. Vbi vim peditum equitumque, & opera non barbaris modo incognita, ſed apud nos quoque ſuetis majora, attoniti ſpectabant. Arabum nomine cum illis transactum. Harum rerum fama alium in orbem perlata, non modo vanas ſuſpiciones diſcuſſit, ſed plerisque perſuaſit plus in Batavorum amicitia, quam in ſervitute Hiſpanica eſſe præſidii. Rex Ternatæ (una Moluccarum eſt) palam in partes tranſiit, ejusque oratu Neckius Luſitanos apud Tidorim proximam inſulam adortus eſt. Sed cum paratos & arce tutos offenderet, jactis utrimque telis, ipſe demta manu mutilus, pauciſque ſuorum amiſſis, prælium diremit. In Patania quoque & Cocinſinenſi ora alibique gratus adventus: at in

Rex Ternatæ aliique Indi in Fœderatorum partes transeunt.

Ceilone

1602. Ceilone majorum inſularum una, ubi aroma Caſiæ optimum naſcitur, regem Candiæ Fimalam nomine Luſitanis, a queis raptus olim eductusque fuerat, infenſum, Spilbergius res Batavas edocuit, amicitiæ & fœderis percupidum invenit. Ioræ quoque rex (eſt id regnum in Malacenſi regione) veteres in Luſitanos offenſas promere auſus, Iacobum Hemskerkium, duas tum naves ducentem Hollandicas, incitavit ad Caraccam immenſæ magnitudinis in freto, quod Malaccam inter, Luſitanorum coloniam, & Sumatram intercedit, opprimendam; auctor idem teſtiſque victoriæ. Batavi præda, quanta non alias parta, contenti vitæ hoſtium (ſeptingenti ferme erant omnis ſexus atque ætatis) pepercere, quanquam recentia multa exſtabant Luſitanicæ crudelitatis exempla. Ipſa navis Macaunte venerat, quod oppidum Luſitani in imperio Sinenſi precario tenent, quo nuper Batavi aliquot cum appuliſſent, a Luſitanis in patibulum acti fuerant, perſuaſis Sinenſium magiſtratibus non niſi prædonum eſſe colluviem. Eſt autem Macaus apud Cantonem amnem, per quem unum exteris in Sinenſe Imperium aditus datur, ſicut egredi ad externas oras ex eodem imperio niſi per Cinceonem, alia regione portum, haud licet. Partæ ex hoſtibus publicis opes, magnum Luſitanis & Regi damnum, Batavis & privatim, & in commune cum laude commoda afferebant. Reperti tamen in gente non minus ſimplice, quam quæſtus ſtudioſa, qui partem abnuerent, velut minus deceret, mercatores militare lucrum, &, ut ferme accidit, multis immerentibus raptum. Movebat & vetus cum Luſitanis amicitia, cœpiſſe credita quarto ante ſæculo, cum Vlyſſiponem Saracenorum tum regiam, Syriam belli ſacri cauſa petentes Belgæ expugnavere: unde magna ipſis apud Luſitanos, nec his minora per Belgicam jura. Quin & poſt mota per Belgicam arma, ſubactamque Philippo Luſitaniam, invitati ab Ordinibus Luſitani & ut ipſorum ſub imperium tranſirent, commerciis & omnium civium commodis uſuri, venerantque non pauci, odio in Caſtellanos, ut olim finitimos, nunc dominos, aut ne flagrante illic inquiſitorum potentia, Iudaicæ aut Arabicæ ſuperſtitionis rei peragerentur. Cæterum quin hi, qui ſub regis Hiſpani ditione manentes, opes ipſius ſuis foverent, omni jure hoſtium loco haberentur, præſertim poſt tot apud Indos injurias, dubium non erat: ac ne quis ambigeret, palam Ordines edixere. Illud obſcurius, an quæ captis in navibus Italorum bona inveniebantur, in prædam cederent.

Batavi Luſitanorum Caraccam capiunt.

Res

Res inter æquitatem & jus belli media tranſigendo deciſa eſt. 1602.
Hactenus multa mercatorum collegia Indiam frequentabant, quorum æmulationes cum illic rerum pretia accenderent, hic contra imminuerent, neque poſſent diverſi & infirmi conatus Hiſpanicis viribus obniti, fœderati Patres e multis corporibus unam ſocietatem fecere, impoſitis diverſas per urbes curatoribus, qui per legatos interdum convenirent, & lata lege, ne quis ſeorſim, viginti intra annos, ultra montem Bonæ Spei, aut Magellani fretum navigaret. Præfinita dies, intra quam nomina ſua, qui onerum obventionumque participes eſſe vellent, profiterentur: ita ut decennio demum exacto nova fieret profeſſio. Collata pecunia ad ſexagies centena millia. Ex hoc tempore, velut novo bello per orientem exorto, ſocietas Indicana magna pars Reipublicæ cœpit haberi, cum non modo pars prædarum ad ærarium perveniret, ſed privato civium ſumtu hoſtis publicus per rapinas & impendia exhauriretur. At Philippi longæ inopiæ fine hujus anni, adventu Americanæ claſſis, in parte ſubventum. Ejuſdem cum Gallo inimicitiæ, ne ante quidem ſatis preſſæ, clarius erumpebant, ſparſis per Brabantiam libris, qui ſuperſtite Margarita Valeſia injuſtum cum Medicea conjugium, privatam ſobolem, libidineſque Regis acerbe arguerent. Convictus & Gonthaldus dux Bironum, quo tempore Henricus in Alpibus bellabat, Sabaudi filiam ſibi conjugem, & dotalem Burgundiam cum Hiſpano pepigiſſe, ſub Regis liberumque pernitie. Accitus in aulam, cum Regi ad veniam prono crimen negaret, primus omnium fuit, qui illo regnante, nobili ſanguine ſecuritatem publicam firmavit. Vir animi immenſi, honorum inſatiabilis, cæterum belli artibus, & in patriam meritis nemini Gallorum cedens, antequam imperatorium ſæpe decus tali exitu fœdaret. Atque ita unum intra biennium viros duos, Angliæ Galliæque ſub regibus ſuis principes, ambitio miſerabili fine abſumſit: ſed Eſſexii ut conatus excuſatior, ita mors placida & quieta: Bironium conceptum animo ſcelus & cæleſtis vindicta eo usque perſecuta eſt, ut ſuprema quoque mixtus impietati & furori exceperit. Emdani quoque motus recrudeſcebant. Edſardo in principatum Transamaſianorum Enno filius ſucceſſerat, & cum omnium Ordinum querelis premeretur, ſeorſim agendum ratus, nobilitatem facile ſuam fecerat, ut quæ pari in ſubditos licentia principem imitaretur. Cum Emdana civitate pax facta ferme in leges Delphizylianas, niſi quod obſcura quædam & frau-

Societatis Indiæ Orientalis apud Fœderatos initium.

Bironii perduellionis rei ſupplicium.

Novi in Friſia Orientali motus.

1602. fraudem nectentia implicabantur. His diductis, minora oppida & agreſtes contemnens, gravi tributo onerabat. Mox Nordam oppidum, minus parens imperiis, armatus irruit, nec contentus indicere mulctam, erectis palam furcis, cives ſub jugum mittit. Vnde cum Emdanis veteres offenſas exſuſcitans, alios Nordano exemplo territat: promtiſſimos vulgi a magiſtratibus divellit, pollicens, excluſis Batavis, ad ipſos transferre Hiſpaniæ commercium: & verum erat, amice illic excipi, qui Ennonis literas attulerant. Formidoloſum id fœderatis Ordinibus, eoque magis, quia frater Ennonis Chriſtophorus Alberto militabat, alter fratrum Iohannes, a Pontifice impetrato cum Ennonis filia, cui patruus ipſe, conjugio, Paterbornenſi pago Romana ſacra promotum ibat. Et undique indicia afferebantur, laborare Comitem, quo ampliſſimum Amaſii oſtium Hiſpanicis claſſibus pateſceret. Primo tamen occupatis alibi armis, quatuor tantum centuriæ, Emdanis auxilio miſſæ, iniere urbem ſub idem tempus, quo jam Enno copiis prope admotis a ſua factione admitti ſperaverat: unde rejectus ille vicos circum occupat, caſtellaque claudendæ urbi & flumini imponit. His compertis Ordines, quibus poſt captam Graviam vacuum vicinorum rebus conſulere, rogante civitate, Warnerum Duboiſium equitum tribunum cum turmis aliquot, & centuriis ferme novemdecim, eo mittunt. Is paucos intra dies, rudibus belli defenſoribus, invadit caſtella urbemque liberat. Enno, ut a conſpectu ſuo dedecus hoc removeret, interiora Germaniæ petens, uſurpata Batavis alieni imperii jura, quanta poterat verborum invidia differebat, quorum conſcii Ordines, cauſam facti, & ni præveniretur, ſuum & Germaniæ periculum ſcriptis vulgavere.

HVGO-

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS

LIBER DVODECIMVS.

SVMMARIVM.

Eliſabetha moritur: diverſi de ipſa hominum ſermones. Scotiæ rex Angliæ poſſeſſionem init. Fœderatorum legati illi gratulantur. In pacem cum Hiſpanis eſt proclivis. Tyrono veniam dat. Puritanorum ac Romanenſium preces rejicit. Romanenſes regii ſanguinis Virginem in regnum evehere conantur. Fœderati Tranſamaſianorum lites componunt; expoſtulanti Imperatoris legato modeſte reſpondent. VVachtendonca Hiſpanis capta iterum deſeritur. Fridericus Spinola a Fœderatis navali prælio caditur. Herenbergenſis in ſeditioſos mittitur. Mauritius illis ſuccurrit. Herenbergenſis recedere cogitur. Mauritius fruſtra iterum Sylvam ducis tentat: bis mille hoſtes cadit: Archiducis in captivos ſævitiam vindicat: munimentum ab ipſo exſtructum fruſtra aggreditur Archidux. Seditioſis Gravia hoſpitium tribuitur. Ambroſio Spinolæ ſummum jus in caſtra ad Oſtendam traditur. Apertum in Hiſpania Fœderatis iterum commercium vectigalia corrumpunt. Simulata clementia Archiduci haud feliciter cedit. Fœderatorum in Orientem & Occidentem claſſes.

PReſſos pace Gallica Batavos ſecuta in hoc tempus mors Eliſabethæ altius bello immerſit, ſublato, quod ut primum fuerat, ita poſtremum perſtiterat, armorum auxilio. Poſtremus illi dies tertius Aprilis, diu vivendo ad vitæ tædium perductæ, ex quo ſenectam ſuam, quam prope ad ſeptuageſimum annum perduxerat, ſperni ſentiebat, & ſpes ac conſilia etiam eorum, queis maxime confiſa, ad ſucceſſorem vertere. Longum fœminæ, nec domi tantum, ſed externis quoque rebus, celebre imperium multos ſermones præbuit, aliis futura per ſpem metumque conjectantibus, aliis ex ante actorum memoria contendentibus, quæ tanto vitæ ſpatio proſpera atque adverſa. Hinc afferebatur, capitis damnata mater, & quidem ſub adulterii crimine, unde in ipſam, velut incerti

1603. Eliſabetha moritur.

Diverſi de Eliſabetha hominum ſermones.

1603. certi genitoris, multa hoſtium convitia: mox dominante ſorore, ipſa carceri mancipata, nec leve excelſo animo onus, quod Philippo Hiſpaniarum regi, cum quo longa mox ipſi bella, libertatem, ſi non & vitam, debebat. Cruentum quoque regnum tot procerum pro Romana religione tendentium cæde: tum illud non minus novum quam invíſum regibus cunctis exemplum, & ne ipſa quidem neceſſitate ſatis excuſatum, occiſa fœminæ imperio fœmina, & cognata, & ſupplex, & regina. Iam & divulſam Hiberniam, & in Batavis Angli militis ſeditiones, velut juſſas, erant qui exprobrarent. Pars ſane miſeriarum fuit, tantum ævi ſine conjugio, hinc incertus hæres: & rumorum materia multis multa, plerisque Liceſtrii amores objectantibus, & poſt illum Eſſexii, cujus ferociorem juventam & formæ in ipſa ſeneſcentis faſtidium cæde vindicata: mox animum ut ex amore in odium, ita ex odio in pœnitentiam verſum, nec aliam magis morbi mortisque cauſam. Dicebatur contra, gratam Deo & vitæ & imperii diuturnitate oſtendi. Ipſa quoque primæ ætatis mala adjeciſſe prudentiam & uſum utriusque fortunæ. Nec tam mirum, ſi aliquot rebellantium morte, ſi bellis quoque ſtabilita ſecuritas, quam quod per annos quadraginta quatuor muliebre regnum, non tutam tantum, ſed & florentem Angliam præſtitiſſet: nec nulla arma, niſi juſtiſſimis de cauſis, ſumta. Purgatam religionem ad Eduardi regis exemplum, nec impetu tamen aut libidine, ſed in concilio gentis legitimum in modum re diſceptata, nec ſævitum in ſequius ſentientes, niſi ſero, poſtquam Ieſuitis doctoribus amorem patriæ & una imperii reverentiam exuiſſent. Scotiam a Gallis, Condæi partes ab adverſa factione, multum Belgicæ ab Hiſpanis ipſius ope vindicata: &, quamvis inter magna proferendi Imperii invitamenta, manſiſſe contentam ſuo, nec aliud ex victoria, quam religionis probatæ ſibi libertatem, & ſuſpectæ merito potentiæ modum concupiviſſe: ita poſſeſſa oppida Galliæ reddita, Scotiam puero ſervatam, Batavorum, ut imperium acciperet orantium, rejectas preces: quin & recens per Hiberniam captis præſidiis veteribus, novis imminutus, nunc hoc, nunc illo primorum abducto, debilitatam factionem, ipſamque partium vim ac ſpeciem Tironum eousque infractum, ut in genua provolutus præfectum veniam commiſſorum expoſceret: (is namque ei honorum cumulus paulo ante exitium evenerat.) Sollicitatam ad nuptias non ab Anglis tantum, ſed a Carolo Auſtriaco Imperatoris, Henrico & Fran-

Franciſco Galliæ regum fratribus: a regibus quoque, Hiſpaniæ Philippo, Erico Sueciæ: quod petita eſſet, felicitatis: prudentiæ, quod recuſaſſet, quia & civi nubere magnitudini ſuæ impar, & externos maritos Anglia formidabat. Probra, quæ in ipſam ſparſa ortum ex ſexu & formæ elegantia, & ſueta regnantibus licentia, ſumſiſſent, virilibus curis refelli: nec tantum imperii artes, ſed & linguarum veterum ac novarum adfuiſſe peritiam; rara etiam privatis mulieribus decora: unde ingens illi nomen, nec vicinis tantum metui aut miraculo, ſed a Mauris usque & Sauromatis per legatos ſalutata. Dubitaverat hactenus nemo, quin mortem Reginæ, quæ certum ſucceſſorem nunquam ſibi deſtinaverat, ingentes per Angliam motus exciperent: quippe Scotiæ regi Iacobo ut ſanguine proximo, ita vetera accolarum odia, privatus quoque eorum metus, qui matris in cædem conſenſerant, obſtitura credebantur, paratis in Anglia qui regium & ipſi genus oſtentarent: tum vero & Romanenſium vis timebatur, ne, quod ob adultam Reginæ potentiam auſi non fuerant, per turbas facilius ſperarent: inſtigante etiam Pontifice, qui vetuerat alienæ religionis regem, quantumvis ſanguine proximum, admitti. Nec tantum Hiſpano in omnes populorum motus intento ea ſpes, ſed & Batavi, quanquam Iacobum, ſuper religionis nexum, officiis jam ante occupaverant, ſuam ipſi ſocietatem imputare, & belli partem in Britanniam transferre tacitis votis ominabantur. Inſperato evenit, ut ſtatim poſt Eliſabethæ exceſſum, vetus Reginæ conſilium, & quod antiſtitum & Londini magiſtratuum nobiliumque in promtu erat, regem Iacobum edicerent, non exſpectata publici conventus auctoritate, ob moræ periculum, & quia plerumque interregna per novas leges & pactiones vim imperii in poſterum imminuunt. Ita, repugnante nemine, Scotiæ rex Angliæ poſſeſſionem iniit, primusque intra omnem annalium memoriam Britanniæ totam inſulam uno imperio complexus eſt. Non omiſere gratulari ei hanc magnitudinem fœderati Ordines, per litteras primum, inde per legatos. Hi fuere Henricus Naſſavius, Mauritii frater, pars tum Fæderatorum ſenatus & equitum magiſter, Walravius Brederodius, Iohannes Oldenbarneveldius & Iacobus Valkius, qui in ea legatione diem ſuum obiit. Locuti ſunt in hunc modum: Adſumus, Rex maxime, medii inter luctum & gaudium; amiſimus eam ſcilicet, cujus beneficia nec fando aſſequi poſſumus: ſed, recepimus te, ut ejus

1603.

Scotiæ rex Angliæ poſſeſſionem init.

Fœderatorum legati illi gratulantur.

1603. regni, ita virtutum omnium hæredem. Quod jam olim votis, quod nuper ad feliciſſimum inchoati imperii nuntium decretis publice ſupplicationibus, id nunc te coram voce ac mente Deum comprecamur, fauſtum ut hoc tibi, fauſtum poſteris, fauſtum Britanniæ, fauſtum nobis eveniat. Te vero rem obſecramus unam, ne patiaris in Belgarum cervicibus ſtantem Hiſpanum, inde in aliena imperia moliri gradum. Convenit religioni tuæ, tot piorum cœtus ſanguinariæ ſuperſtitionis regno eripere: convenit juſtitiæ, tueri cauſam probatam regibus: convenit prudentiæ, longe dispellere regnorum ſubſeſſores, Pontificis Romani ſatellites, quo judice, hoc quidquid obtines præda eſt. Fecit hoc Eliſabetha, perficies tu, tantoque facilius, quanto tibi valida ætas, virile robur, latior potentia, fundata liberis domus. Veniet in partem miniſterii fides noſtra, quorum proſperis atque adverſis patuit, vinci poſſe Hiſpanum. Bonum ſane Chriſtianum pax eſt. Sed quod cum validis atque infidis haud aliter quam bello pares. Si omnium, quos cauſa jungit, opes conſpirent, mulctatus ille Belgica, aut, ſi ne tum quidem ſapiat, exutus Oceano & transmarinis imperiis, quod Batavis Anglisque promtum effectu, veniet ad veram concordiam, cujus optima cuſtos virium æqualitas. Nunc Oſtendæ tertium in annum protrahenti triſte obſidium, ſuccurras oramus: utarisque his navibus, quæ juſſu Reginæ armis victuque inſtructæ a nobis undecim numero, nihil præter imperium tamen tuum exſpectant. Ad hæc ille de amicitia benigne pollicitus, cæterum regni novitatem excuſare, viſurumque in tempore quid factu optimum, haud celans interim pacis ſe conſilia qua poſſet prælaturum. Quippe ipſi cum Hiſpano nihil hactenus hoſtile: quin ultro Philippus, ſi de regno certandum foret, auxilium illi ſuum obtulerat: ingenium quoque mite, & omne genus litterarum ſtudia, in queis ætatem egerat, quieti quam armis propiora. Archidux quoque cum Regina, non cum regno ſibi bellum fuiſſe interpretatus, vetuerat edicto Anglis noceri, dimiſſo inſuper quod inter captivos ejus gentis: mox legatum miſit Carolum Arenbergiæ principem, ſimul Hiſpanus Iohannem Baptiſtam Taxim, paci promovendæ, de qua anno ſequente convenit. Hanc Batavorum legati, cum præcidere non poſſent, morari nitebantur, ac ſpem Regi facere, poſſe & ſibi cum libertate pacem obtingere, ſi Rex cunctando matureſcere pateretur pendens adhuc e paucorum annorum eventu Hiſpani conſilium.

Iacobus in pacem proclivis.

lium. Docebatque idipſum Oldenbarneveldius, arcana Fœderatorum tractare ſolitus, prolata ducis Brunovicis manu, quem Cæſar Rudolfus ejus rei conſcium fecerat. Nec ſic quidem refrigerata Iacobi in pacem feſtinatione, contendunt unice Batavi ut auxiliorum ſi ſpeciem obtinere non poſſent, jus tamen ipſis ne negaretur. Adjutabat has preces Galliæ Rex, ſuſtentandis ſociis anxius: ideoque in Angliam miſerat Maximilianum Rhoniacum, ærarii ſui cuſtodem, & conſiliis intimum. Ratio tandem hæc reperta, ut pecuniarum, quas Gallus in Batavos erogaret, pars tertia Britanno imputaretur, exſolvendis nominibus quæ Gallia ſuis contracta bellis Britanniæ deberet. His contenti Ordines, quanquam, per Rudolfum Winwodum, Regis Britanniæ oratorem, tentati, num & ipſi pactionibus comprehendi vellent, cum gratiarum actione recuſarunt. Reliquum anni capeſſendis regni ſolennibus viſendæque Angliæ Iacobus impendit, interim aliorum regum, ſui quoque populi legationes audiens. Tironus ipſe Hibernorum rebellium Dux, veniam petiit accepitque. De religione querelæ afferebantur diverſæ e duplici hominum genere. Puritanos in Anglia vocant, qui Eccleſiæ ſtatum haud dum ſatis illic integrum atque ſincerum exiſtimant, & puritatis amplius requirunt, unde origo odioſi nominis. Hi multa ex veteri uſu retenta improbant, antiſtitum ordines, additas baptiſmo cæremonias, & alia rituum magis quam dogmatum: quæ cuncta mutari poſſe ſpes inde, quia jam pridem Scoti rejecerant. Contra Romanenſes, multum laudata religionis ſuæ tum alibi tum per Britanniam antiquitate, & ſua in Regem Regiſque matrem fide, ſi non publice, quod tamen in Gallia rex diſſentientibus permitteret, at privatim Deum colere patrio ritu impune ut poſſent orabant. Vtræque preces rejectæ: ſuſpectis Romanenſibus ob eam, quam Pontifex Romanus in reges ſibi vindicat poteſtatem. Et Puritanis infenſo Rege, quod ab ejus ſectæ hominibus, per ſpeciem Eccleſiaſticæ auctoritatis, in Scotia minus reverenter habitus eſſet; unde eorum pertinaciam ſcriptis quoque editis accuſabat: quippe liberos cuique genti ritus, quos divina lex non vetaret, & ſumma etiam in ſacris regum imperia. Quædam tamen ex illorum voto conſtituta: ne ſacrum baptiſma fœminæ aut privati tractarent; ne plura in unum ſacerdotia cumularentur; & in mores doctrinamque miniſtrorum eccleſiæ acriora judicia. Sed Puritanorum offenſa intra voces ſtetit: aut ſiqui miniſtrorum

1603.

Tironô veniam dat.

Puritanorum ac Romanenſium preces rejicit.

1603. inobſequentes, miſſione, exſilio, vinculis coerciti. At Romanenſium quidam, aſſumtis aliis, quibus rerum novarum cupido erat, conſpiravere, Arbelam, regii ſanguinis virginem, ope Hiſpani in regnum evehere, diviſis jam inter ſe ſummis Britanniæ honoribus. Puniti capite auctores, conſciis & ſilentii tantum reis carcer, & admotæ mortis metus pro pœna fuere, prono rege ad parandam novo imperio clementiæ famam.

Romanenſes irrito conatu regii ſanguinis virginem in regnum evehere ſtudent.

Hæc dum apud Britannos aguntur, Enno Transamaſianorum comes reipſa edoctus, ab Imperatore verba ſe & in urbem minas facile impetrare, cæterum vim exſequendi abeſſe, eorum qui apud Batavos plurimum poterant gratiam tentare ſtatuit, atque ipſe Hagam proficiſcitur, multa pro ſe publice ac privatim, multa in Emdanos jactans, ut regere regique neſcios, & fluxa fide. Simul aderant ab Emda legati, multa & ipſi contumacia, & conſpectiore irreverentia præſentem in principem. Ordines fœderati poſt longa jurgia, de fide civitatis in ſe nihil dubitantes, ejus ad ſecuritatem arbitrium flexere: convenitque ut Delphizyliana fœdera ſervarentur; nova hæc acceſſere: Vt eorum quæ poſt acta obduceretur memoria, nec pœnas ex imperatoris decreto Comes expoſceret. Redderentur utrinque domus, agri, machinæ, percepti fructus, captivi. Daretque operam Enno, ut qui peregre eo nomine capti, ſolverentur: nec diplomata negaret ab urbe navigantibus. Tributa tertio quintoque ante anno impoſita urbi, irrita haberentur: de novis conſtituendis ageretur in Transamaſianorum concilio. Comiti id jus indicere, ni faceret, ipſis per ſe convenire, deque re communi conſulere in medium. Sine ejus concilii decreto bellum indicere, militem conſcribere nefas: tantum quod arcibus ſuis ſervandis præſidii ſatis, retineret Comes: viciſſim civitas militum ſeptingentorum cuſtodia, & operibus queis vellet firmaret urbem: militem Transamaſiani alerent: operum ſumtus in oppidanos, quæque intra oppidum bona, deſcriberentur: quicquid munimentorum ambitus clauderet, ejuſdem eſſet cum urbe juris. Magiſtratus Emdanos crearet urbis ſenatus: creatis auctoritatem ſuam Comes adjiceret. Cum in has conditiones Comes & legati urbis aſſenſiſſent, reſtabat ut totus urbis magiſtratus, & Transamaſianorum Ordines eaſdem comprobarent: quod ſane futurum erat, pavida imprimis belli nobilitate, ut quæ agris timeret, & miſſi a Fœderatis qui cunctantes impellerent, etiam majore præſidii parte abducta, quo

Fœderati Transamaſianorum lites componunt.

quo pacatior eſſet rerum facies. Sed ab Imperatore novæ ſpes 1603.
Ennonem immutavere: nec jam tacebatur nullam eſſe vim pactorum, quæ Imperatoris decreta tollerent, crimina condonarent, muniendi facerent poteſtatem, invito Imperatore, cujus in urbem jus ſummum. Mox a Rudolfo, irato haud parum quod res Emdanæ externo arbitrio agerentur, Maximilianus Cochiacus ad Fœderatos mittitur, qui accuſatis graviter Emdanis cauſas referebat, queis Imperator motus jampridem & aliis & ipſis quoque fœderatis Ordinibus edixiſſet, ne auxilio eſſent rebellantibus, & tamen ipſos urbem invaſiſſe ſuo milite, bellum per agros cœptaſſe, egiſſe prædas, quas injurias demi, ſerio Imperatorem jubere: tum ſingulatim, quæ in poſtrema pactione iniqua videbantur, recenſebat. Ordines ad hæc, quanquam compellati ſuperbius, modeſte reſpondent, ſponte ad ſe veniſſe Ennonem, pepigiſſe ſponte: nec cuiquam vitio verti ſolere, quod componendis vicinorum controverſiis applicuiſſet animum: tum a pactionibus Delphizylianis, quæ & Imperatori placitæ, quam minimum potuiſſet receſſum: militem quoque miſſum in urbem, non in Imperatoris injuriam, ſed ne Hiſpanus, qui pace Verbiniana jus in regionem quæ trans Amaſium ſibi exceperat, oportuniſſimam infeſtandis Batavis urbem præriperet, ſimulque imperio Germanico ſubduceret. Ita Trajectum, ita Geldriam & alia trans Rhenum, ita Mediolanum, & ipſa ad Imperium pertinentia, occupata quondam, ac poſtremo Cameracum, contra eunte nemine. Nec immerito ſuſpectos ſibi nuntios & literas, qui ab Ennone ad Regem ducesque Hiſpanos commearent. Verbis mollibus addita in legatum dona; at Emdæ plena adhuc odiis, plena ſuſpicionibus omnia. Oneravitque & hoc Ennonem apud Batavos, quod frater ejus Iohannes, ut ante diximus, impetrato a Pontifice cum Ennonis filia, cui patruus ipſe, conjugio in Patelbornenſi agro Romana ſacra, & res antiſtitis promotum ibat, irrupta urbe, in eos, qui libertatis obtentu reſtiterant, exquiſitis ſuppliciis ſæviens, quos inter conſul oppidi tortus, inde in partes ſectus fuit. Vltima hyeme Wachtendoncam oppidum ſubito Hiſpanus cepit, amiſitque. Emtus quippe piſcator quindecim milites, duce Matthæo Dulkio, (Stralam is in proximo regebat) tectos ſtramine arce intulit, accurrentemque vigilem, ut manum ſcandenti porrigeret, transfodit: ibi exſilire milites, pontibusque clauſis vectos trans amnem Nierſam ſocios

Legati Imperatoris apud Ordines querelæ.

Horum modeſta reſponſio.

Hiſpanus VVachtendoncam capit, amittitque.

1603. cios admittere, qui haud procul deliteſcebant. At oppidi præſidium, quanquam arce præfectoque Rihovio captis, aggerem contra ſtruere, expedire machinas. Et forte evenerat, ut turmæ duæ Batavorum prædæ cauſa adequitarent, quæ, audito tumultu, ingreſſæ oppidum, ſtatimque ſubmiſſo a Berca & Murſa milite, cingunt arcem, oppugnatamque & victus egenam recuperat ſexto die. Haud multum poſt Grobbendoncus, diſpoſitis in Campania Brabantiæ inſidiis, quinque Mauritianorum turmas adortus, ipſe equitatu minor, circa ſeptuaginta occidit: capti multi viri equique, cæteri effugere. Equeſtre damnum inſigniore multo navali victoria penſatum eſt. Nam Fridericus Spinola, otii inglorii pertæſus, magnoque animo in famam properans, & populandæ Zelandiæ intentus, octo naves longas, minores quatuor, præter remigum turbam, e caſtris ad Oſtendam lecto milite onerat, portuque Cluſano egreſſus, vento leniter obſecundante, transvectus vada hoſtiumque conſpectis navibus, patente æquore locum prælio legit; obſederant de more portum naves bellicæ tres Zelandorum, in quas imperium habebat Iuſtus Maurus, præterea naves longæ duæ, Hollandica altera, altera e Zelandia. Harum quatuor ultro obvias (quinta vento deſtituente longius aberat, nec ullum niſi tormentis uſum præbuit) prior ingenti cum clamore cominus Spinola invadit, nunc hanc magis, nunc illam, ut ſpes in quamque dabatur, circumveniens, urgensque tuborum jactibus, tam cœlo, quam navium militumque numero valentior. Nam in Batavorum claſſe non plures triginta ſex e Fliſſingano præſidio milites erant, queis pro armis tubi: at nauticum vulgus, ingenio pugnax, nunc prope, modo longius machinis armiſque niti, haſtis enſibusque intendere vulnera, ademto per fumum conſpectu, ac velut nocturna prælii facie: donec ipſe Fridericus, dum puppi hoſtili audacius inſultat, haud uno vulnere confectus, & cum illo alii ſuper trecentos, multis ſauciis, fracti quoque remi, ſpem primum victoriæ Italis ademerunt: inde & metus acceſſit, ne pluribus hoſtium navibus e Zelandia adventantibus clauderentur undique; itaque in tempore portum repetunt. Hac Zelandorum victoria, paucis ſuorum amiſſis, quippe denſior ipſorum navigiis compages, minusque in glandium jactus patens, magnus ille initio haud ſatis cognitarum navium terror concidit totus, comperto jam vinci poſſe etiam ſilentibus ventis. Ad mediam usque æſtatem

Quinque cohortes Mauritianorum Grobbendoncus fugat.

Fridericus Spinola navali prælio a Fœderatis ceditur.

æſtatem nullum niſi ad Oſtendam bellum, quia Batavi, non acceptis, quæ ex Anglia Scotiaque ſperaverant, auxiliis, ſua tueri ſatis habuere; & Archidux Bercam capere Rhenumque tranſire cogitans, novos ad conatus novas ex Hiſpania Italiaque copias, duce Ambroſio Spinola, præterea e Germania peditem, & Lotharingum equitem opperiebatur: qui, poſtquam advenere, Spinola ad Oſtendam relicto, Friderico Herenbergenſi peditum ſeptem, tria equitum millia tradit. Sed prima illi mandata eos, qui Hochſtratam conceſſerant, excutere. Iuſſerat id Philippus, tam in præſens ſecuritatis, quam exempli in poſterum cauſa; & ne, armis in alia verſis, illi nudatas partes incurrerent: & nuper, Namurcenſi provincia ſpoliata, captoque Iudonia oppido, & arcis Carpenſis præfecto, redierant tuti atque opulenti. Severiſſima tum diſciplina, juſtoque militi imitanda, Hochſtratani agebant: intentæ vigiliæ: extra veſtem aut clauſo cubili ſomnum capere impermiſſum: fœminæ extra arcem ſepoſitæ: pugnare inter ſe, ſecreta habere colloquia aut literas, capitale. Leges ſine venia pœnis ſanciebantur. Intellecto imminere obſidium, Ordines Mauritiumque adeunt, auxilium orant impetrantque, data fide in hoſtem una pugnaturos; teſtati tamen, in captivos ſuos ſuo arbitrio uti velle, quia ſolita inter hoſtes armorum jura, ut transfugis, negabantur. Octingentos ſuorum arci includunt. Cæteri, mille quingenti pedites, equites ſuper mille, Mauritium exſpectant. Is, comperto jam adveniſſe Herenbergenſem, & cœptare in arcem hoſtilia, pedites paulo minus decies mille, ter mille equites hybernis rapit, ac Gertrudisbergam properat. Qua in urbe triſte evenit ſpectaculum, mutua ex rixa colliſis inter ſe Gallis Angliſque, æmulis ſemper nationibus. Iamque totarum cohortium ſurgebat prælium, mortuis aliquot, ſauciis pluribus; atque ipſe Bethunius Gallorum tribunus prohibendæ pugnæ medius incurrit, telo trajectus, quo occubuit, incenderat ſuorum animos. Vix Naſſaviorum ducum & Principis conſpectus & voces diremere impium multamque in cladem iturum certamen. Hinc junctis Mauritii ſeditioſorumque copiis, proceſſere una, novo exemplo, contrarii ſacramenti milites. Inter camporum plana caſtraque hoſtium rivus intercedebat, humenti circum ſolo, quem Herenbergenſis errore, an de adventu Mauritii nihil ſuſpicans, occupare neglexerat. Princeps, ſubitis pontibus traducto cum machinis milite, oſtentat aciem. Sed Heren-

1603.

Fridericus Herenbergenſis Hochſtratam in ſeditioſos mittitur.

Mauritius ipſis ſuccurrit.

1603. bergenſis curruum poſitorum valli in ſpeciem, locorumque præſidio ſe tenuit, equite tantum juſſo procedere, unde leves pugnæ. Nec totum hoſtem aggredi Mauritio viſum, antequam cuncta ſibi aut hoſtibus oportuna exploraſſet. Herenbergenſis, tum alia, tum ne commeatu intercluderetur, metuens, nocte obſcura tormenta primum, tum militem dimittit Herentaliam verſus, retentis interim contra hoſtem excubiis, quo diſcedens falleret. At ubi conſilium dies aperuit, qui arcem tenuerant, primi tergis inſtitere, ubi cæſus inter cæteros Roſnæus, clari per Galliam Belgicamque ducis filius, ipſe tum Lotharingo militi imperans. Mauritio & ipſi parato fugientes ſequi moram objecit rivus alius, & hic vado tranſiri difficilis, tum anguſta ſtagnansque multum via; cum equite tamen præcurrens hoſtem invenit jam ante emenſum anguſtias patentibus campis explicuiſſe aciem. Et quanquam flagrantibus in prælium Hochſtratanis, tam vindictæ, quam probandæ apud novos amicos virtutis ſtudio, non placuit recte compoſitum agmen ſine machinis ac pedite aggredi; quæ tardius ſequebantur, ſupra itineris uliginoſi difficultates cœlo quoque per fulmina & continuos imbres gravi. Soluto obſidio, Mauritius medium ſe turbæ ſeditioſorum audacter immiſcuit, ut habita fide arctius fidem adſtringeret. Animus illi, dum penes ſe pars hoſtilium copiarum, Silvæducis obſidium, anno ante altero per hyemis ſævitiam intermiſſum, denuo experiri, ſpe ſola in celeritate, ſi nuda, ut erat, præſidii urbs ſubito ambiretur. Sed re ad concilium Ordinum perlata, inſtantibus Zelandis ut Flandriæ inferrentur arma, permiſſoque tandem Principi faceret quod e re publica videretur, abſumti interim dies octo: & quanquam paratæ jam Herenbergenſis copiæ, auctæque ad diſturbandos quoslibet conatus, manſum tamen in ſententia, non tam potiundæ urbis fiducia, quam quia ex uſu attinere vano labore hoſtem, ac non alibi ſua ad tutanda incerto exitu cogi. Quidam ultra ſperavere, belli tædio oppidanos aut mutaturos fidem, aut id acturos, ut partium medii nec timerent, nec timerentur. Ergo adulta jam æſtate ad Fuchtam vicum Princeps, ad Flimam, qua Heuſdam iter eſt, Hochſtratani conſedere, longo ſatis inter caſtra utraque intervallo. Tertio ſtatim die Herenbergenſis adfuit, quaque urbs patebat, ſilveſtribus locis, vico Dalemo nomine communit ſeſe, projectis in Mauritium caſtellis. Ille contra, qua medium ſolum in colles tumeſcit, opera ac

Herenbergenſis prælium detrectans Herentaliam recedit.

Mauritius Sylvamducis iterum tentat:

Herenbergenſis urbi ſuccurrit.

ac machinas diſponit. Multumque temporis actum ſegniter 1603. inter tela, aut leves pugnas. Tandem captum Herenbergenſi conſilium extra urbem præſidium ponere, viam propter, quæ Fuchta Flimam protenditur, hac ſpe, ut præciſo e Mauritii caſtris ad Hochſtratanos itinere, in ſejunctos facilior eſſet audendi occaſio, aut alimentorum inopia, quæ Heusda in caſtra vectabantur, obſidium abrumperet. Marchioni Bellæ Italorum tribuno datur id curæ, militesque bis mille, flos diverſarum cohortium; queis circum urbem nocte traductis aggeſta humo faſcibusque ad humanæ ſtaturæ altitudinem opus creſcebat. Serius præcipiti jam nocte compertum id Principi, qui ſuorum cum flagrantiſſimis advolans, excitat ſingulos ad non minus difficile quam neceſſarium virtutis documentum. Primi Angli fortiter aſſiliere, rejecti haud minus fortiter: inde Gallis acriter inſtantibus ceſſere hoſtes, portisque oppidi clauſis cum effugium non eſſet, nec ulla circum auxilia, cæſi cum ductore, aut circumjectis paludibus merſi; captique centum & quinquaginta. Evenerat forte ſub idem tempus, ut ad Oſtendam Archidux, ſtudens exitus ingreſſusque militum acerbitate ſuppliciorum inhibere, nactus navem quæ vado adhæſerat, duodecim milites, ægros omnes, ſuſpendio addiceret, obtendens non terra, ſed aqua captos, ubi nulla forent belli fœdera. Quod ubi in caſtra perlatum, judicans Mauritius facinus crudele, nec quicquam ad maritimum bellum pertinens, ut fere amant jura inter hoſtes conſtitui, ſimili ſævitia æquandum, ex omni captivorum numero duodecim ſorte lectos ſtrangulari jubet, uni horum ætatis miſeratione facta gratia; quanquam erant, qui pactorum violatorum ſanctimoniam non paris tantum, ſed dupli numeri ſupplicio expiandam cenſerent. Triſtis ſane imago & inter belli mala haud tacenda, cum egregii juvenes nec quicquam tale commeriti, trepido vultu, anxia manu, preces inter gemitusque, non tam mortem quam fœdum mortis paventes genus, incluſa chartis fata ſua tractarent inſpicerentque, aut damnandi alienum ob crimen, aut abſolvendi non innocentiæ, ſed fortunæ præſidio. Inventus tamen perditæ temeritatis, qui ſua ſorte liberatus, emtusque ab alio, vicarium ſe in diſcrimen iterum mitteret. At oppidani ſolo ſe telorum jactu vindicabant, accidítque, ut idem ictus Marchioni Malaſpinæ, & Oliverio Tempelio, a Mauritio ad Flimiana caſtra euntibus, crura utraque defringeret. Malaſpina Alberto ad belli conſilia multus, ac

Mauritius bis mille hoſtes cadit.

Archiducis in captivos ſævitiam pari modo vindicat.

1603. nuper ab Hochſtratanis captus, debili corpore ſupervixit. Oliverium abſtulit vulnus, viginti per annos tutatum Ordinum partes, quorum tum militiæ judicem agebat, inſuper Hochſtratanis ad id tempus additus rector, qui eorum impetus ratione frænaret. Poſt hæc Albertus ipſe in urbem venit, cunctaque explorans advertit, ſtructum Mauritianis leviter munimentum, quadrato aggere, non procul eo loco quo Bella nuper ceciderat. Hoc cum ſibi opus eſſe Archidux dixiſſet, (eratque non dubie futurum magno uſui) ſublecta vox, perlataque ad Principem transfugæ indicio. Interjectis diebus aliquot, prius paulo quam illuceſceret, varias in partes ſimulato impetu, vera vis deſtinatum in locum incubuit: nec omiſit Mauritius valida ſuorum atque Hochſtratanorum manu eodem tendere, ſublatis quoque ignibus, admonitus inde periculi. Detexit dies novum machinarum ordinem caſtello imminentem, aliaque ex oppidi vallo & propugnaculo eodem dirigi, queis incuſſa undique munimenti hiſcebant latera, ita ut miles cavata humo ſe abderet. Acceſſit tamen Princeps, ſevereque edixit, ſi quis præſidium deſereret, capitis pœnam fore. Simul foſſæ ambitum tuborum corona ornat: ac tria tormenta e caſtris ferri imperat, quibus hoſtilium vis retuſa, verſique in fugam oppugnatores, deſertis lintribus, quas tramittendis paludibus interjacentibus convexerant: machinæ vix abductæ: dolabras, faſces, crates aliaque in excidium parata rapuere Mauritiani, reparandoque & augendo operi vertere. Archidux, quæ prima ipſi veniendi cauſa, varios in hoſtem conatus præferens, ter mille milites, velut oppido transmiſſurus, manere illic præſidio jubet, unde querelæ civium, pacta viginti per annos ſervata invocantium. Sed neceſſitas & pœnæ metus ſilentium fecit, quin & excitatum proxime urbem munimentum, quod arcis, vitato nomine, uſum præberet. Ingruentem ſub hyemem, ſtagnantibus circum locis paluſtri humo, diſceſſere exercitus. Seditioſis, quorum egregia hoc anno opera fuerat, aliud ſibi pro Hochſtrata hoſpitium præberi orantibus, turbæ capax, & ad prædas oportunius, re diu apud Ordines diſceptata, Mauritius Graviam, ſui juris oppidum, ſponte attribuit, ut intra mœnia, circumjectiſque caſtris ſine civium injuria agerent. Pacta quoque firmata propius, de præda partiunda, & ne Fœderatorum aut imperii Germanici agros infeſtarent. Quamdiu cum Alberto conciliati non eſſent, for-

A Mauritio ſtructum munimentum fruſtra aggreditur Albertus.

Seditioſis Gravia hoſpitium tribuitur.

ſortem ſpondebant operam, ita tamen ut ſeorſim tenderent, fodiendi oppugnandique immunes, conciliati redderent Graviam, Hochſtratam reciperent; in hæc fidem & obſides dedere. Et hæc quidem iſtis in partibus geſta, cum interim circa Oſtendam immenſum creſceret & belli artium & ſumtuum certamen. Exacta quippe hyeme per graves procellas, nunc his, nunc illis, ut ventus tulerat, infeſtiores, vere medio in omnes oppidi regiones e caſtris factus impetus, cumque in vim tam late fuſam propugnatores non ſufficerent, capta hoſtibus munimenta tria, cuſtodita negligentius, quæ tergo oppidi in agros prominentia aquarum intercurſu, diſtingui memoravimus, paucoſque poſt dies eadem in loca inſtituta ab obſeſſis eruptio ſucceſſu caruit, aucto illic hoſte & valido. At alia non magna mole opera, quæ trans Æſtuarium tenebantur, aſſultante Buquoio, defenſa feliciter. Dorpius tum oppidum curabat, cui miſſus ſucceſſor Notius. Media ferme æſtate ad Oſtendam Ambroſius Spinola advenit, duro ac multis deſperato labori finem pollicitus, ſi ſummum jus in caſtra ſibi traderetur. Nec vana temeritate, ſed ita docentibus, quibus & locus & bellum gnara erant, poſtquam reperta per aquas via faſcium ſtrue, tempore tantum ac diligentia opus, ut hoſtium munimenta velut carptim vellerentur. Conceſſit Philippus eo facilius, quia præter claras celſi animi virtutes, quarum jam certa ſigna dederat, ex opibus etiam ſuis, affectis id tempus ærarii rebus remedium offerebat. Invidiam, quam primo maximam ſubierat, tot inter Belgas & Hiſpanos militi ſimul & pecuniæ imperans homo Italus & belli novus, paulatim evicit, intentus ipſe cunctis, & prudentiſſimis obſequens. Statimque demotis queis lucro quæſturæ fuerant, parato ipſius proviſu, quod opus eſſet pecuniæ, transfugiis & ſeditionibus occurſum. Simul ſpes præmiorum clara ingenia attulerat, quibus egregia æmulatio, novas oppugnandi artes & machinas promere; & inventa exſequentium, certa mercede, parabilior opera. Ac nec obſeſſis minus aut virtutis aut induſtriæ: ne intenderetur annona, juſſa alimenta palam proſtare, vigiliæ indefeſſæ, interdum & erumpendi audacia: tum quæ vis hoſtium aut maris disjecerat, peritos per artifices reparabantur. Tanto copiarum in arctum compreſſo, tot vulneribus laboriſque obnoxio, exortam haud mirum contagem ſollicita medentium cura levabat, partim & evecta ægro-

1603.

Obſidium circa Oſtendam intereim fervet.

Dorpio præfecto Notius ſuccedit.

Ambroſio Spinolæ ſummum jus in caſtra ad Oſtendam traditur.

Ejus in promovendo obſidio diligentia.

Obſeſſorum virtus.

1603. ægrotantium turba. Sed & , præter ardentes globos & manu jaciendorum ignium nova commenta , hoſtium materiæ per æſtum arenti haud parum mali dedere. Præcipuus oppugnantium labor circa rates quæ ferendis machinis ſtruebantur , auctore eo , quem alibi diximus, Tatgone Romano , ſollertis ingenii , ſed bello inexperti. Hæ ad lævam quidem , qua minus violentum mare, propinquioribus machinis; at dextro latere, qua Æſtuarium eſt , telis quidem haud æque urgentibus , at plerumque ipſo aquarum impetu diſturbabantur : quippe involuti faſcibus lapides disjici primum vinculis recedentibus: mox cætera, ſublato quod retinuerat onere, fluitare. Nec territus tamen Spinola alias aliis ſufficere rates atque adjungere, ipſa damnorum experientia monſtrante novas muniendi vias. Senſimque promoto Buquoii aggere accidit, ut difficilius jam naves , invehendo militi , machinis, pulveri, victui, inirent aut excederent ; nonnullis ſubinde illiſis in vada , aut , ubi vis telorum compagem ſolverat , pelago obrutis. Contra oppidanorum jactus oppugnatores partim noctem legebant, partim terrena opera aquis reſpuentibus , transverſos palorum faſciumque ordines, ubi tutioribus locis exſtruxerant, mox doliis ſubter natantibus , admoliebantur. At in Hiſpania apud Regem , qui modico rerum uſu pleraque alieno , quam ſuo , arbitrio faciebat , nova conſilia veteribus , vetera rurſum novis præferebantur , ut cuique ſuadendi auctoritas aut ſpem eventus retuderat. Erant qui dicerent erratum graviter , cum prohibiti Hiſpania Batavi , ut populus mari potens longinquas merces , novo prorſus , nec audito antehac Hiſpaniæ damno ab Indis peteret , aut armis quæreret. Quanto patrem ſapientius illa gentium inter ſe conſuetudine attinuiſſe ſpem pacis , parata , quoties uſus ferret, ab ipſis hoſtibus navium copia ? Si præſentibus futuriſque malis remedium quæreretur , demendam Batavo neceſſitatem , quæ ſola ipſi ſuas vires oſtenderet. Conſilium per ſe haud abſurdum avaritia corrupit : quippe aperto per edictum commercio, impoſitum vectigal ingens,ut præter vetera onerum , mercium pretii paulo minus quam tertia , in centenos ſcilicet triginta nummi , fiſco cederent. Nec id in Batavos tantum , ſed in gentes omnes, ne Batavi alieno nomine occultarentur, & privatis in illos odii cauſis, quorum auxilio duci bellum credebatur: tantum his , quæ in terras Archiducum , aut mari interno inferrentur , data immunitas. Proprium Batavis hoc additum, ne merces apud ſe factas importare

Apertum in Hiſpania Fœderatis iterum commercium vectigalia corrumpunt.

re liceret, neu quicquam eorum, quæ ferrent aut auferrent, nomine rectoribus ſuis perſolverent: diplomata quoque Archiducum accipere jubebantur. Quæ gravia atque iniqua non modo adverſum Fœderatos nihil valuere, ſed regem quoque Galliæ permoverant, primum ut par onus Hiſpanis imponeret, deinde cum non ſatis id ultionis videretur, Gallis omnibus negotiationem Hiſpanicam, manente Philippi edictó, interdiceret, propoſito bonorum damno, mox & capitis. Sed nec Archiducis ſimulatæ clementiæ genus aliud felicius ceſſit, cum omnibus apud hoſtes agentibus nec alio crimine contactis, reditum permiſit innoxium, ſimul redditum iri, quæ ipſis poſſeſſa quondam tum fiſco tenebantur, adempto tamen alienandi jure. Edicti verba multis ſuppoſita fraudibus, punitaque illic omnis extra Romanam religio haud paucos, alios fundati jam lares, & certior apud Batavos quæſtus, detinuit. A Dunkerkanis exigua damna: inter cætera abductis abusque Tameſi Batavorum navibus, quas ſocia præferentes inſignia prædones deceperant. At contra ab Indicano collegio miſſæ in Orientem naves tredecim, Stephano Hagio imperante. Ab Ordinibus ſub Paulo Cardeno ſex aliæ, quæ Braſiliæ oram popularentur. Hyems aſpera tempeſtatibus, quarum vi perlatus in Scaldim, repertusque Antverpia non procul cetus, ob rei novitatem fabulam vulgo, minima quoque in omen trahenti, præbuit. Quidam ad minas eam in urbem anno ab hoc altero non minus ingentes, quam irritas, poſt eventum retulere.

1603.

Simulata clementia Archiduci haud feliciter cedit.

Fœderati in Orientem & Occidentem claſſes mittunt.

HVGO-

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS

LIBER TERTIVS DECIMVS.

SVMMARIVM.

Ad Imperatoris de pace literas Ordines reſpondent. Seditioſi militis in Germanos licentia. Mauritius occupatis aliquot caſtellis munitoque Ardenburgo Cluſam obſidet : Velaſcum in ſe egreſſum fundit. Fruſtra ſubveniente Spinola Cluſam in poteſtatem redigit. Oſtenda Spinolæ deditur. Pacis inter Hiſpanum & Anglum leges. Iacobo liberum cum Antverpienſibus commercium Fœderati negant. Ieſuitæ in Galliam redeunt. Interaquii filia res novas in Gallia molitur. Mansfeldii & Ludovici Naſſavii obitus.

1604. *Baſſiniacus juſſu Alberti cum Ordinibus de pace acturus non admittitur.*

NON omiſerat inter hæc pacis conſilia Albertus, ſeu ſpe vera, ſeu ut recuſatæ ividiam hoſtibus faceret. Comes Baſſiniacus, Boxtelii filius, juſſu Archiducis iter tutum ab Ordinibus poſcerat : illi, ſi per literas agere vellet, reſponſuros ; adventum ſibi non placere. Vſus erat & hac & rerum Emdanarum occaſione Archidux, ut apud conventum Germaniæ in urbe Ratiſpona, quem tum frater ipſius Mathias moderabatur, incuſaret Batavos, ut ſuæ ac finitimorum tranquillitatis inimicos. Et erant, qui ſtudio in domum Auſtriacam, aut ob religionis diſſidium, acerbas ſententias dicerent, clamantes ſtatuendas paci leges, & qui abnuerent cogendos armis arma deponere : moderatiores impetum temperavere, factumque decretum de mittenda ad Ordines legatione, quæ dum cunctatur, miſſæ interim ab Imperatore litteræ mala vicinis principibus ac civitatibus tolerata memorantes, jubenteſque rapta reſtitui : nec tantum quæ ipſorum militi patrata, ſed & Hochſtratanorum rapinæ ob ſuſceptum patrocinium ipſis imputabantur. Ordines, quæ ad ſe pertinebant, excuſantes, ſeditioſorum facinora illis adſcribenda ajebant, qui, cum aliorum periculo militem ſibi conductum

Imperatoris de pace ad Ordines litera.

Ordinum reſponſio.

ductum ſtipendio fraudarent. Se nihil aliud quam ſuam ſecuritatem quæſiviſſe, & tamen, quantum fieri poterat, paciſcendo Germaniæ quoque conſultum. Sed verborum benignitate injuriæ adeo non tollebantur, ut anni hujus, quem nunc inchoamus, principio ſeditioſi nihil eorum, quæ in hoſtem licita, in Germanos reliquum fecerint, contemtis minis intra vocem manentibus. Namque ipſa hyeme poſtquam Endoviam in Brabantia, in Geldria Erkelenum, congeſta multos per annos præda ab Alberti milite opimum, diripuerat, egreſſam Geldra ceciderant turmam, arcem inſuper Carpam excurſibus oportunam occupaverant, ſocio hactenus Batavorum equite, mox illo omiſſo in Weſtfaliam incubuere. Coacta oppida agrique tributo metum redimere. In Coloniam diſploſa tormenta. Patelbornenſium occiſi circiter quadringenti, ob milites duos, cum inſolentius agerent, a ruſticis trucidatos: incendiis quin etiam, & omni libidinis, aut ſævitiæ genere graſſabantur: plane ut miſerari ſubeat infelices populos, quos tot jam per annos alieni belli mala pene bellantibus ipſis gravius affligabant. Ordines, propius periculum veniente Oſtenda, ſtatuerant hoſtem obſidio pellere aut abducere, aut aliud aggredi, quo & gloria & in Flandriam aditus ſervaretur. Corrogata in tempore pecunia, & miles undique; Scotorum quoque nova cohors, Baclavio tribuno, & Anglorum ſupplementa, permiſſu Regis, non, ut ante, imperio. Medio vere, dum pars equitum cum ſeditioſis hoſtium Brabantiam quatit, & in omnem partem ſparſa belli fama incertum hoſtem tenet, Princeps, Senatu Ordinumque legatis comitantibus, copias, duodecim circiter millia, e Walachria in Catſandam transvehit. Flandriæ regio eſt Catſanda, pulſata Oceano, cui latus in ortum vergens Atro, quod dicitur, flumine, alterum longo portu Cluſano, tergum aliis aquis ambitur, inſulæ in morem. Atro flumine exponitur exercitus, peccatumque in eo quod non Cluſano portu invectus eſt, quæ Fœderatorum concilii ſententia fuerat. Quam, ni Princeps in itinere mutaſſet, aliorum ſuaſu, an majora vero pericula fingens, impetu cepiſſet oppidum, præſidio antehac nullo, ad Oſtendam quoque ſuperventurus timidis aut incautis, & in multa ſpatia diſperſis, ſeu prælii placeret fortuna, ſeu victu hoſtem intercludere. Interim Cluſani portus ripam ulteriorem miſſus e caſtris ad Oſtendam & aliunde miles impleverat, curante id Spino-

Margin notes: 1604. — *Seditioſorum in Germanos inſolentia.* — *Princeps in Flandriam exercitum transvehit.* — *Ejus error.*

1604. Spinola, qui & ante in ſpeculis diſpoſuerat adventum claſſis nuntiaturos. Et quanquam bellicæ Batavorum naves longas hoſtium in oppidum retro cedere coegerant, metu ne fauces portus clauderentur, caſtellumque adverſa ripa ſitum, haud ingens ſane, tormentis verberabant, tranſponi miles haud potuit, bis fruſtra tentato, duobus cum millibus obſiſtente Pompejo Iuſtiniano, inter Spinolæ conſilia tribunorum præcipuo, & ſuper militiæ laudem, harum quoque rerum egregio ſcriptore. Quærenti Mauritio qua via interiorem Flandriam peteret, ſorte ruſticus, inde & exigua hoſtium manus illac fugiens, vadum monſtravere, eo in alveo, qui retro Catſandam ampleċtitur: aggere illic, juxtaque caſtello, Coxida nomine, occupato, pons & præſidium ponitur, vacuo ab hoſtibus tempore, dum inter ſe conſiliis diſſident Trivultius & Iuſtinianus. Duo alia in propinquo munimenta, Catharinæ & Philippi vocabulis, ſpe citius & ipſa ceſſere. Nam Catharinam pulſatam globis, cum jam deſperato opere abduci machinas Mauritius imperaſſet, deſeruit Trivultius, & quæ ſub illo mixta militi tumultuaria agreſtium manus. Audito quippe ſtrepitu, qui abeuntium erat hoſtium, ipſi contra, augeri copias, claudique exitus interpretati, Philippum in caſtellum profugerant, nec ibi ſubſtitere, ſed Iſendicum properant, relictis in Philippo ſuorum ſexaginta, qui, conſpecto hoſte, deditionem haud ultra diſtulere. Iſendicum ad expugnandum (id caſtellum ultima Flandriæ ora ad Hontam jacet) obſidio opus: namque hoſtes, cæteris pulſi locis, ad ſexcentos hic conſtiterant. Die ſeptimo facta deditio. Occupato illic Mauritio, adductus hoſtis in ſpem recuperandæ Catſandæ, nocte ſumtis lintribus molitur tranſitum. Iam ſexcenti inobſervati fixerant pedem, ſequentibus aliis: videre, qui illac curabant, Scoti, queis impellentibus hoſtium repente fuga & clades. Pone Cluſam Ardenburgum jacet, haud ignobilis quondam oppidi nunc veſtigia tantum præferens, id Princeps, comperto relictum cuſtodiæ diffugiſſe militem, intrat, munirique imperat. Penetratoque & Middelburgo (id quoque non longe municipium eſt) & in arce, quæ ſola loci tutela, poſito milite, jam Cluſæ obſidium animo volvens, quia Oſtendæ intercedentia loca hoſtis præceperat, tendebat duo ad fluenta, quæ Damma Brugiſque Cluſam navigantur, modico diviſa limite, ſaporis diverſi, unde dulci ac ſalſo facta nomina: ſed qua ferentem eo viam lacus arctat

Mauritius aliquot caſtella occupat.

Ardenburgum munit.

Fœderati Cluſam obſident.

Mor-

Morkercanus nomine, ut fere omnis ille ager aquis inciditur, 1604.
juſſu Alberti Ludovicus Velaſcus munierat ſeſe; egreſſusque *Velaſcus*
præſidium, & cum primis, quos forte inciderat, hoſtium pu- *in Mauri-*
gnæ allubeſcente fortuna, priusquam eques ipſi additus ſuc- *tium egreſ-*
curreret toto ſtatim agmine preſſus funditur: merſi ferme *ſus fundi-*
quingenti: capti ad trecentos, ita ventum ad flumina, &, *tur.*
quanquam hoſtis interſederat, alia parte ſimulatus, alias repertus tranſitus, vado primum, tum ſtructis pontibus. Hinc orto terrore deſerta caſtella, quæ a portu Cluſano in occidentem vergunt, unum præter, Georgii nomine, quod & ipſum adductis machinis metu magis quam neceſſitate deditum. Egreſſo præſidio reperta fraus mali moris. Iuxta vaſa nitrato referta pulvere poſitus funis ignem illaturus & pernitiem adſtantibus. Tum littus inter & oppidum trina caſtra Principi poſita; queis ipſe Wilhelmus & Erneſtus imperarent. Quod ultra flumina erat, ſtagnans undique, attributis navibus ſervare Notium jubet Oſtenda regreſſum; atque inde loricam pertexi Ardenburgum usque, crebris cuſtodiis. Sed priusquam ingenti ambitu perfici opera potuere, bis Cluſam paluſtribus locis miles penetraverat, magnoque numero, quod propugnando oppido creditum contra vertit, præfecti per inſcitiam: parvo quippe victu intus; aucti qui conſumerent. Tentavit & Iuſtinianus valido ſatis agmine commeatum perducere in urbi proxima, quem obvii e præſidio exciperent. Sed re comperta Mauritius cum equite & machinis accelerans, hoſtem diſpulit: currus farina onuſtos & homines aliquot cepit. Remigum Spinolanorum, qui cum aliis extra urbem proceſſerant, quinquaginta transfugere, quorum indicio certior Mauritius cibum in oppido exiguum in tempus ſufficere, multa quidem in ſpeciem parare, ſuis pariter hoſtibusque fallendis: indicto per caſtra jejunio, qui mos ardua & periculoſa tentanti, machinæ quoque expeditæ: mox & mole eximia pontem ſtruxerat, velut quo trans portus latum ſimul & profundum gurgitem in vallum aſcenderet; cæterum reipſa deſperatis aliis, obſeſſæ turbæ famem opperiebatur, eo intentior claudendos ad exitus, nec transfugas ultra accipiens, cum Flandriam interim eques raptaret. Multa ſimul incommoda premebant Archiducem: ac quo minus relicto uno apud Oſtendam exercitu alterum in hoſtem duceret, impediebat maxime ſeditioſorum metus, qui tum cum Batavis, prædæ partem alteram pacti, Brabantiam incurſabant; inde Hænoviam peti-

 turi.

1604. turi. Neceſſarium igitur ratus hos, quamvis cum dignitatis & pecuniæ detrimento, ſibi adſciſcere, hoc magis, quia & alii ſimilia minantes aucturi numerum timebantur, oſtentare incipit pacis vias: & quanquam non repente convenit, quia actas hactenus prædas in ſtipendium imputari ſibi non patiebantur, molliti tamen colloquiis animi, eluendisque offenſis vim omnem in Leodicos agros verterant, aut ubi Archiducum terris conſederant, ſua exigebant tributa, cætera innoxii, fruſtra urgentibus promiſſa Mauritianis, qui, ut numero impares, ſpernebantur. Nec parvus Fœderatos metus inceſſerat, ne tradita Gravia malefida colluvies repararet amiſſam veterum partium gratiam, magno cum irriſu credulæ facilitatis. Seu pudor, ſeu, ablato refugio ab ipſo Archiduce, ultionis metus prohibuit, reddidere oppidum, receptis Hochſtrata & Carpa arcibus, quas Archiduci permiſerunt: ipſis, dum ſtipendia expedirentur, Rurmunda pignori data & clari obſides. Fuere qui ad Principem transfugerent. Bis mille Alberti accitu venere in Flandriam, quo virium auctus, tutiusque jam imminutis aliarum regionum præſidiis, urgebat Spinolam, Cluſæ ut ſubveniret, famem haud ultra toleraturæ. Ille, invitus quanquam & ſatius judicans Oſtendæ vim ultimam admovere, obſequitur imperio. Primum tentamentum fecit poſitis haud procul Morkercano lacu machinis, ſi forte telis præſidia pelleret. Sed contra eo vecta tormentorum vis major ipſum pepulit. Wilhelmi deinde caſtra aſſilit, lectis cohortibus turmisque, & omni paratu, quo vallum diruitur: dejectus hinc quoque non ſine ſanguine. Retrogreſſus inde, & irruptis Catharinæ & Philippi caſtellis, (modico milite tenebantur) illac Catſandam inſulam nocte vadoque, dum refluus æſtus, pugnabat ingredi: id quoque cognitum, miſſique alii poſt alios, qui ripam tuerentur. Dedit is dies non obſcurum exemplum Hiſpanorum militum conſtantiæ, qui ſervatis Ordinibus denſam contra globorum nubem arduumque aggerem intrepidi nitebantur. Defenſorum non minor virtus, multorum imprimis e Gallica nobilitate. Princeps ipſe aderat, recentes feſſis ſubjiciens. Ita, cum jam creviſſent maris æſtus & dies, repreſſo impetu, cæſi nec pauci nec ignobiles; inter hos marchio Rentiacus, Montigniaci partium regiarum clari quondam inter Belgas ducis filius. Gravia oppido profecti hoſtilia tum primum reſumſerant, agnitique inter mortuos recente commilitii memoria. Obſeſſi, poſtquam

Albertus ſeditioſos ſibi reconciliat.

Spinola Cluſæ fruſtra ſubvenit.

quam auxiliorum ſpes nulla, nec fœda tantum animalia, ſed 1604.
ſiquid uſquam corii ſevique fames abſumſerat, tertii menſis exitu tradunt oppidum: milites ter mille egreſſi vix ultimas habebant vitæ reliquias, pars in itinere defecere. Septuaginta machinæ venerunt in poteſtatem: naves longæ decem. Servitia, mille circiter quadringenti erant, donata libertate. Turcæ & Mauri plerique cum litteris remiſſi ad ſuos, quo gratia apud barbaros & tuta commercia pararentur. Aurelius Spinola, Ambroſii gentilis, dimiſſus hac lege, ut & nautæ Batavi, quos Archidux captos habebat, ſolverentur. Catſanda, Iſendicum, Cluſa portuſque operibus firmata. Philippi & Catharinæ caſtella hoſtis ſolo æquaverat. Flandriæ imperium ab Ordinibus fœderatis Henricus Naſſavius, & ſub illo Carolus Notius accepit. Perſtabat adhuc Oſtenda duros inter labores ab hoſte, morbis, mari exiguo ſpiramento, dum in Flandriæ urbes tuendas hoſtium cura diſtrahitur. Notio in præfecturam oppidi Giſtella, huic mortuo Lonius, ei Daniel Marketta ſucceſſerant, multis utrinque tribunorum & centurionum mortuis. Plurima obſeſſoribus reperta, e queis pons erat, Targonis ſtructura, rotis æneis, quas vis equorum protraheret. Pars ejus una funibus compacta, quo minus tela transmitteret, erecta trabe in altum tollebatur, ita ut deſcendere laxatis retinaculis poſſet, hanc placebat munimento ſuper immittere, quod trans æſtuarium lunata ſpecie ſitum memoravimus. Sed vaſtum ſumtuoſumque opus ludibrio fuit, una rotarum globis dejecta; deinde ad foſſam caſtelli defixis lignis mali in altitudinem, queis moles impacta ſiſteretur. Igitur in occaſum verſa vis, ductique aggeres trans portum veterem, & qua tergum eſt oppidi. Exterius jam ceſſerat vallum; quod oppido cohærebat, cum pars ſuffoſſo pulvere diſſiliſſet, oppugnatum fruſtra. Tum, quibus Hiſtrici & Orcifaucibus nomen eſt, munimenta paulatim diruta ceſſere. Horrendæ prorſus rerum vices, cum hoſtis intrando oppido, contra illi arcendis hoſtibus, cæcos ſubter humum meatus ſtruentes inter ſe obſcuri, atque improviſi implicarentur: incertoque ignium eventu, ſua ſæpe opera auctoribus in exitium verterent. Fractis per longa pericula Hiſpanis Italiſque (nam diſcretus cuique labos, quo manifeſtius ſpectaretur, & æmulatio accenderet) allecti præmio Germani Sabuletum invadunt: & quanquam primos vis nitrati pulveris diſtulerat, impulit cæteros Barlæmontius,

Mauritius Cluſa potitur.

Marketta interim Oſtendam defendit.

1604. donec jugum tenuere. Hinc vetus in oppidum cuniculis ibatur. Obſeſſi erumpere interdum, inque amiſſarum munitionum vicem novas interius extulerant, quas vano duraturi in longum obſidii omine Trojam dixere. Nam recens humus fluxa per ſe non ſat telis obſtabat, & quanquam ſumma æſtate, quoties ab Oceano flarent venti, cuncta ruinis nudabantur. Ipſi Ordines reputare ſumtus immenſos, & par maximis cladibus militis damnum, & nullum Oſtendæ uſum tot caſtellis cingentibus. Seu decus, ſeu utilitas ſpectaretur, præter Bercam Graviamque, majus in Cluſa præmium tribus menſibus parta, quam totidem per annos decertata Oſtenda Alberto daret. Iamque augeſcente autumno elapſum hoſti tempus alia cœptandi, & hyemem venturam formidoloſam obſeſſis. Quod ſi contra iretur exercitu, primum iter aquis interfluum, & in medio Damma ac Blancoberga præſidiis hoſtium tenebantur, tum firmata tanto temporis caſtra, junctæ copiæ, dux milesque promtus prælio, periculum oſtentabant. Mandatum igitur Markettæ ut longum certamen quam poſſet honeſto fine abrumperet, quod factum. Et emiſſæ primum naves, cum parte machinarum: tum miſſi legati exitum omnibus cum armis ac tormentis quatuor impetravere, utque captivi permutarentur, facili Spinola, æſtimatione ſpectatæ virtutis, an quia incerta temporis prævenire feſtinabat. Ter mille, per media hoſtium caſtra transgreſſi, Cluſam venere ad Principem, nec ille ut victos excepit, ſed gratias egit quaſi victoribus. Archidux cum conjuge viſurus locum, pro quo tot ipſi ſuſcepta vota, tantum impenſum temporis & pecuniæ & ſanguinis (quinquaginta ſuorum millia amiſſa ipſi prodidere, ex obſeſſis qui ciciderunt major numerus) inveniunt nihil præter inanem aream, hinc exſtantem informibus tumulis, inde recedentem in obliquos ſpecus, adeo confuſis operum veſtigiis, ut quæ tuendo, quæ impetendo oppido ſtructa vix eſſet dignoſcere. Oppidanorum quod ante habitaverat Cluſam tranſiit: & quanquam multis immunitatibus ab Alberto propoſitis, diu haud reperti qui incolerent, horrentibus cunctis tetram cruore & humanis oſſibus ſedem. Super hos, quos ante retuli, legatos in Angliam plures Philippus & Albertus miſerant; hic Iohannem Ricardotum, & Ludovicum Verreikium; ille Ferdinandum Velaſcum comitem ſtabuli Caſtellæ, & Alexandrum Rovedium ſenatorem Mediolanenſem: cupidi pacis uterque, nec tam Anglorum metu,

Oſtenda Spinolæ deditur.

Philippus & Albertus legatos in Angliam mittunt.

metu, quam ut ſublatis fulcimentis Batavos ſub jura retraherent. Nec deerant in gente pugnaci belli ſuaſores, qui in publico Anglorum concilio (namque id tum convenerat) referrent veteres cum Batavis neceſſitudines, matrimoniaque & fœdera, multo ante quam Iacobam Britanno nuptam Philippus Burgundus per nefas principatu excuteret: cauſam amicitiæ, quod ſine ea neutris tutum mare, & quoties conveniret opima commercia. Hiſpanis contra nihil opus, & bellum lucro fuiſſe: maxime vero providendum, ne Batavi rebus extremis ſuis, aut Gallis, veteribus Britanniæ inimicis, aut Hiſpanis ob religionem & dominandi libidinem hoſtibus, accederent. Nimis multa exſtare documenta, Britanniæ eſſe dominos qui eſſent maris. Rex ad hæc immotus, ſatisque in Britannis & Batavis virium ratus, illis ut pace, his ut bello ſubſiſterent, armorum ſocietatem ab Hiſpano oblatam repudians, in pacem conſenſit. Præter leges, quæ ſuetæ fœderibus, pleræque erant de libera navigatione, qualis ante bellum fuerat, vectigalibus iiſdem. De America & India ſilentium, quia & Anglus excludi impatiens, & Hiſpanus pertinax neminem admittere, relictaque res arbitrio plus valituri. De religione convenit, ne in Hiſpania Angli adire templa cogerentur; panis ſacrato obvii exhiberent honorem, ni mallent via decedere: nautarum delicta exercitoribus fraudi ne forent.. Ad Batavos hæc pertinebant. Hoſtes rebellesque alterius alter ne juvaret, neu juvari a ſuis pateretur: attamen privatorum facta in ipſis vindicarentur, pace publica incolumi. Fliſſingam & Brilam per pactorum fidem negabat ſe Britannus Hiſpano poſſe tradere: interim milites, qui iſta oppida ſervarent, impermixtos bello fore. Pacandis Batavis una operam darent. Siquid eſſet moræ, ſaltem ut commeaturis inter ſe Belgis Anglisque iter pateſceret. Naves bellicæ ſupra ſex aut octo alterius portubus ne conſiderent. Britannis Batavicas merces in Hiſpaniam, Hiſpanicas in Bataviam vectare interdictum. Sublato hunc in modum bello, rex Iacobus, ut domeſticâ quoque certamina evelleret, Scotorum Anglorumque obliteratis nominibus utroſque voluit communicatis legibus unum in regnum, Britanniæque nomen coaleſcere, rem aggreſſus difficilem magnisque contentionibus agitatam, dum recens diſcrimen & æmulatio, cæterum haud dubie ſolido in poſteros bono. Mox, ſecundum ea quæ cum Alberto convenerant, poſtulat a Batavis ne

1604.

Pax inter Philippum & Angliæ regem:

Ejus leges.

 prohi-

1604. prohiberent Britannos e mari intrato Scalde Antverpiam ſubvehi, ſolutis vectigalibus quanta cives penderent. Illi vero excuſavere, oſtenſo haud injuria inſtitutum ſibi, nequis ad hoſtes, niſi mutatis navibus, pervaderet; quo certius cuncta explorarentur: nec ægre ferendum, ſi poſſeſſo a ſe flumini legem imponerent, cum Hiſpani etiam maris vias amicis auderent præcludere. Inde vero ut Anglos rapinarum infamia laborantes ad innocuos quæſtus verteret, vetuit ne quis externo ſub imperio mari militaret: terreſtre ad bellum ſiquis huc aut illuc iret, diſſimulans. Alio edicto Ieſuitæ, & non regni more lecti ſacerdotes Britannia proturbabantur; adjectaque cauſa, quod id genus hominum docerent pontifici Romano jus eſſe populos in alterius ſectæ reges obſequio ſolvere, qua nullam exortam eſſe peſtilentiorem imperiis ſententiam. At iisdem diebus, Ieſuitæ iidem, certis ſub legibus, in Galliam reducti, unde olim exciderant, cum ex ipſorum diſciplina juvenis Regis vitam petiſſet: dirutum & monumentum, quod ejus rei memoriam cum Ieſuitarum infamia præferebat. Haud ſilente Pariſiorum ſenatu, una opera & auctoritatem ampliſſimi ordinis & ſecuritatem Galliæ ſubverti. Sed Rex, ſuo quoque periculo, quod plerique ominabantur, imperterritus, Pontificis in gratiam ornabat acerrimos potentiæ ejus defenſores. Ipſum inter & Hiſpanum ſuper antiquas novæ odiorum cauſæ aggregabantur. Villiregio, cui plurima apud Henricum fides, miniſter erat Hoſtius, cujus opera, multus in negotiis, ipſe, ad literas exarandas, & notarum arcana utebatur: hic pretio inductus, maxima quæque ad Raffium Gallum, exſulem agentem in Hiſpania, ille ad Philippi ſenatores referebat: queis promptum introſpectis Galliæ conſiliis certius cuncta decernere. Et quædam Britanno monſtrata ſimultates ſeverant. Detecto per Raffium dolo, Hoſtius fuga primum, tum ſubita morte ulteriorem inquiſitionem prævenit. Etiam fœmina res movit, Henrica Interaquii filia, forma atque ingenii venuſtate inter primas: utroque pellectus Rex, cui haud aliud facile vitium extra amores objeceris, libita ut expleret, nuptias ſuas promiſerat, ſi marem pareret, ſcriptoque firmarat fidem. Poſt prælatam in conjugio Medicæam, illa coacta ad placandam Reginam chirographum Regis reddere, ſolitudinis & religionis obtentu altiora conſilia diſſimulans, externas opes ambiebat queis filio ſibi genito perfugium adverſus Reginæ iram, ut ipſa mox edixit, ut alii interpre-

Iacobo Britannos Scalde Antverpiam ſubvehi non permittunt Fœderati.

Ieſuitæ in Galliam educuntur.

Interaquii filia res novas in Gallia molita ab Henrico ignoſcitur.

terpretabantur, jus in regnum aſſereret. Aditus Britannus alienum imperium turbare recuſaverat: at Hiſpanus cauſam probare, largiter polliceri. Vbi & hæc eruperant, capta mulier paterque & frater Arvernorum comes. Sed veniam Henricus dedit, iſtorum in crimine ſuum agnoſcens. At Philippus metuens, ne his ſuccenſus ille cauſam bello faceret, ortum ſuper vectigali certamen, quæ nuper decreverat, reſcidit: verſaque in Batavos ira, omnes ejus gentis finibus ſuis jubet excedere, mercesque poſthac illatas publicari. Habuit hic annus clarum in Belgica funus Petri Mansfeldii, qui per annos quadraginta fidus Hiſpano, maximis functus imperiis, Lucemburgi tum præſes, actam inter bella vitam rara ſorte extremum ad ſenium perduxerat. At apud Batavos Ludovicus Naſſavius occubuit, æmulus juvenis majorum gloriæ, & in quo multa ſpes celſæ, nec improvidæ virtutis.

1604.

Mansfeldius moritur.

Ludovicus Naſſavius occumbit.

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS

LIBER QVARTVS & DECIMVS.

SVMMARIVM.

De pace inter Fœderatos & Archiducem varii ſermones. Pacem urgenti Imperatoris legato generoſe Ordines reſpondent. Bellum utrinque properatur. Fœderati irrito eventu Antverpiam obſident. Mauritius VVoudam capit. Exercitum in Flandriam infert. Militem mari ex Hiſpania adventantem Fœderati capiunt merguntque. Spinolæ de bello propere finiendo conſilium. Buquoius ad Cæſariswartam caſtra ponit. Spinola Oldenſaliam & Lingam expugnat. Berga ad Zomam bis fruſtra Archiduci tentantur. Grobbendonkus irrito conatu Graviam aggreditur. Buquoius in VVachtendoncæ obſidium mittitur. Mauritiani Spinolæ caſtra adoriuntur. Omervilla & Trivultius occiduntur. VVachtendonca deditur. Geldram fruſtra tentat Princeps. Cracoviam Buquoius capit. Grobbendonci turma cæditur. VVartius Candiæ regis dolo in India occiditur. Matelifius cum duodecim navibus Indiam petit. Reformatorum Aquarumgrani perſecutio. Henrici in legatum Philippi ſibi dolos ſtruentem indignatio. Anglicana conjuratio.

1605. SEneſcentis jam belli ſumtus in annos creſcentes, & ingens æquatarum virium ſpecimen Oſtenda, ſpem multis diu intermiſſam reddiderant, extremos armorum impetus in pacem deſituros: hinc ſermonibus aut libellis ex ſpe aut cupidine quiſ-
Varii de pace inter Archiduces & Fœderatos ſermones. que diſſerere. Quibus Belgarum Auſtriacum cordi imperium, æmulas Batavorum civitates, infenſa ſtudia, divulſamque molem in ſe ruituram, aut prædam externis regibus fore, ni redirent in principatum veterem, & tot ſæculis expertum: addenda priſcis legibus, ne in Hiſpanum Belgæ revolverentur, indefinitum jus commercii, religionum impunitatem in ſpem propioris concordiæ: iret miles peregrinus, & peſtis altera Ieſuitarum factio: honorum decora penes cives: tum, quæ maxima, in nationum concilio tractarentur, veriorem hanc

cum modo libertatem. Contra in Gallia alii ab Auſtriaca domo diſcidium Belgis etiam ſuadebant : vanum nomen Archiduces, ſine viribus, ſine imperio : vires hoſti ; imperium Hiſpano obteri, & quæ, Belgica exhauſta, paupere Hiſpania, ſpes belli trahendi una, Indorum divitias jam ad illos deficere, qui mari prævaleſcerent : viceſima jam militum ſeditione infamem Alberti principatum : quod ſi, augeſcentibus ſubinde odiis, Gallus expergiſceret, depaſtis utrinque agris incubituram egeſtatem ac ſolitudinem. Sponte igitur potius, quam vi ſubacti, redirent in Galliæ corpus, avitaque ſacra in ſede ſua ſiſterent, Batavo victore peritura. Novem arces aut caſtella obſtare, quantulum moræ undique coeuntibus, quibus extracta gens, crudelior an ſuperbior incertum, Pirenæis poſthac jugis & remoto Oceani ſui littore clauderetur. Sparſa late imperia levius ſubditis incumbere : & pacem in poſterum, certis lege Salica hæredibus : nulla ſui jactura, Galliæ bonis in commune uterentur. Erant per Germaniam qui hinc magnitudinem Hiſpanicam, inde Batavorum abſtruſos receſſus, & lætiorem bello fortunam expenderent : nec poſſe vincendo tranſigi : facilius honeſtiusque illis armis Hiſpanus Turcam retunderet, aut exiguum imperii damnum propagatis alibi finibus compenſaret. Batavis libertas pretio daretur. Eſſe imperiis ſuos orbes, &, cum in ſummum excreverint, minui. Iamdudum nec Tunetem nec Guletam Hiſpanis, nec Auſtriaca domo Helvetios repeti : ſic & hos populos projici debere, ut maxime cederent, ſuſpectos ſemper belli memoria, & per religionis diſcordiam exemplo quoque nocituros : quin partem horum ipſis Burgundionibus pretio partam, quo juſtius, quæ emerant, vendituros. Hæc ferme externi. At domi, extra paucos, quorum reſpublica in manu & præſtructa conſilia, cæteri, quis faſtus Hiſpanorum, quam fixum Batavis diffidere, reputantes, ſpes omnes improbabant, tanti adhuc belli finem in obſcuro molientibus fatis. At Maximilano Cochiaco Imperatoris urgenti mandata, & magni nominis legatis Mogontiacenſi, Saxoni, aliiſque iter & commeatum tempuſque agendi & locum poſtulanti, quæ apta oſtentui & movendæ plebi omnia, reſpondere Ordines : haud immemores ſeſe quæ mala veteribus colloquiis accepta : nec Imperatorem & Germaniam, ſacra quanquam ſibi nomina, contra hoſtiles inſidias profuiſſe : nihil Batavis optatius, quam quæ multis periculis, longa induſtria pararent, me-

1605.

Imperator's legato pacem urgenti generoſe reſpondent Fœderati.

 tum

1605. tum belli extra ponere: ideo tam diu oratos vicinos, ut æqua pace imminentia arma præverterent, quæ poſtquam neceſſitate edita ſolidam genuiſſent libertatem, regibus quoque & principibus probatam, hanc ſe neutiquam falſa pace mutaturos: cum Belgarum primoribus paciſci ſe antehac, nunc etiam, paratos. Archiducum quam nulla vis eſſet, Spinolam monſtrare, hominem externum, accepto ex Hiſpania in Belgas imperio. Salva ſe religione, ſalva Republica, veram ſecuramque pacem nunquam abnuturos. Sin id ſederet, ut divinis rebus unum Pontificem, ita humanis unum regem Hiſpanum imponere, videret Germania, Batavos nec ſuæ, nec publicæ ſaluti defuturos. Cæterum quod de illatis damnis referret, daturos ſe operam, ne æquitas ſua deſideraretur: munimenta ulla ut redderent, Spinola cum maxime Rheno imminente, inconſultum. Scituros ipſi Germaniæ ſic proſpici, ſi Mendoſæ agmen & contumelias cogitarent. Prodiit per eosdem dies & Franciſci Rhedani, viri doctiſſimi, & in Republica cum honore verſati, deque eadem etiam res geſtas patrio ſermone ſcribendo bene meriti, liber, ſed ſcriptore mortuo ab amicis vulgatus, qui vetera novaque, & Auſtriacæ domus, & Hiſpanorum malefacta referens, & quam infida principum in populos fœdera, præſertim quos Pontifex perjurii religione exſolveret, par periculum Reformatis & Romanenſibus oſtentabat: nec alium quam vincendo exitum: deſperatas hominibus vias Deo pateſcere. Quæ dum verbis aguntur, re interim bellum properari. Acceſſerat Batavis id virium, quod Oſtendæ impenderant, & e Gallia copiæ adventabant, monente Rege, priores in apertum egreſſi, trahere hoſtem quam trahi mallent. At per Germaniam Britanniamque delectus utriſque partibus agebantur, venali fide, aut ut quemque religio huc aut illuc impulerat. Expedivere & pecunias Batavi promtius: cunctantius ſub jure Archiducum Belgæ, ut quibus nolentibus bellum & ſuſpecta ærarii tractatio, tum Fœderati offenſas auxerant, ſcriptando ad proceres ſuper communibus commodis; quæ terruere Albertum, quo minus, & ante ſæpe, & tunc maxime, flagitatum Belgicarum ſub ſe nationum conventum haberi pateretur: veritus, ne, multa negando, invidiæ impar foret; aut ſpreta Ordinum auctoritas vicino exemplo in vim verteret: prodentibus hunc metum ad amicos literis, quas Batavi interceptas ad Belgarum primores tranſmiſere. Itaque Albertus,

Bellum interim utrinque properatur.

tus, diſcutiendo conſenſui, ſingulas nationes coire permiſit, *1605.* ægros animi ſpe fovens Indicanæ pecuniæ, quam proſpera & opulenta Hiſpaniam claſſis advexerat, pronæque pacis, ſi bello modicum in tempus acrius inſiſterent. Initium illic anni actum otio inter gaudii imitamenta, dum Ambroſius Spinola, toti jam bello impoſitus, (is Hiſpania recens aderat, expenſis apud Regem ejus gerendi rationibus) aurei velleris honorem induit, &, Britanniæ legato coram, pax Alberto juratur: virilique ſobole firmatum Hiſpaniæ regnum ſacris ludiſque celebrant. Summo jam vere, nec ante copias acceperat, Ordinum conſulto Mauritius magnum opus aggreditur; Antverpia petebatur, urbium quondam Belgicarum florentiſſima, nunc, abductis in Batavos commerciis, partas olim opes famamque retinens, incitabat ingens ſpes gloriæ: quippe viginti ante annos Parmenſi duce longa ac difficilis obſidio, incompoſitis ſociorum rebus, vix ſero adepta ſucceſſum, jactantia victoris, fidem mundo fecerat, in una urbe poſſeſſionem Belgicæ verti. Conſilium haud abſurdum, ſpatioſam urbem haud magnis copiis claudendi, planis agrorum adjacentibus Scaldim ſuperfundere, ſeſſuris in edito caſtris, ſed oppoſitam fluminis ripam, quæ Flandrica eſt, occupandi haud expedita ratio. Erant, qui ex Catſanda nocturnis itineribus mitti per agros militem ſuaderent. Mauritio magis placebat claſſe iri; quæ, dum paratur, magno, ut fit, molimine, ſuſpicio injecta hoſti, ſtatimque Antverpiam peti rumor percrebuit; variis exceptus oppidanorum animis, dum pars læta, velut propinqua libertate, alii ſuſpecta fame intendere rerum pretia, multi collectis ſarcinis moliri fugam. At Spinola trepidantes firmat addito equite, qui modeſte ac ſine injuria civium habitus, tum oram Flandricam, quæ contra Antverpiam ſita Waſiæ nomine appellatur, inviſens, & ter mille pedites cuſtodiæ relinquit, verſuros ſe qua hoſtis incumberet: quippe haud ignarus, potiri hoſtem fluminis non poſſe, ni & iſtam ripam merſis agris poſitiſque ſtationibus ſuam faceret. Lecto igitur die pariter Mauritius Bergis ad Zomam juſto agmine proceſſit, & Erneſtus Naſſavius quod reliquum militis claſſe vehens e Zelandia Scaldim ſubiit; primumque Batavorum munimenta proſpere perlapſus, ubi propius Antverpiam, & hoſtium caſtella venit, nocte quanquam, haud inconſpectus, tela inter penetrabat, Flandricos aggeres invaſurus: ſed exciti globorum ſtridore,

Spinola aureo vellere donatur.

Fœderati irrito eventu Antverpiæ obſidium aggrediuntur.

qui

1605. qui præſidium illic agitabant, tecti aggerum interpoſitu vela ſequebantur. Erneſtus vento in Brabantiam rejectante naves, qua juſſum, appellere, & jungere copias vetabatur, dubium alioqui prælium etiam providis facturus. Tentandæ tamen fortunæ, lintribus tranſponit ferme quadringentos, qui coortis hoſtibus facile fuſi, pars & in poteſtatem venere. Tribunus Dorpius premente victore armatus in flumen deſiliens, periculum periculo evaſit. Erneſto Brabanticam in ripam relato, irritus conſilii Mauritius Woudam, caſtellum haud procul Bergis ſitum, quintum intra diem in deditionem cogit, haud dignum quidem, quod exercitus peteret tantus, & a tanta ſpe veniens: nec nullo tamen pretio, nam prædo hoſtilis inde flumina infeſtarat. Cæterum ingentes minæ, non in vanum modo, ſed contra cecidere, anno haud alio Batavis infauſtiore. Wouda tenente Mauritium, Spinola, quanquam tum maxime circa legatum Britannicum ſtrepente aula, haud ſegnis feria inanibus prævertere, Scaldi pontem ſuperjecerat, quamcunque in partem hoſtis duceret, promtior ſequi, eoque immitior his qui Woudam dediderant, tanquam præproperi timores, adeo ut in quoſdam & capite animadverterit. Nec parum Fœderati nutavere, magnis adventantium Spinolæ copiarum rumoribus, quid potiſſimum aut peterent aut tuerentur; Rhenum inſideri ſuadente Mauritio, ne hoſtis illac in nuda imperii pervaderet. Vicit ſententia in Flandriam ire jubens, Cluſæque conſuli. Spes aderat caſtellum hoſtile, cui Saxo Gandavenſi nomen, ubi aquæ ex Gandavo derivatæ in Hontam ac mare exeunt, obſidio premere: id ſi eveniret, minari urbibus, ſin minus, tanti tamen in alia belli flagrantis Spinolæ retinere impetum. Haud procul Iſendico Mauritius vico Waterfleta illatum claſſe exercitum locarat, cum Spinola, præmiſſa copiarum parte, celer aſſequitur, ipſumque inter & Saxi caſtellum, Bucholta is locus dicitur, ſedem legit ſpeculandis reprimendisque hoſtium conatibus. Ita fixi diu egere, nullis, niſi levibus equitum præliis. Vrere lixarum naves, quæ propius Mauritii caſtra advenerant, Pompejus Iuſtinianus, imperio Spinolæ paludes ingreſſus, ſperaverat: ſed prævisus, depulſusque. Iacet ea in regione Walachriam contra Patientia caſtellum, cujus oppugnatione Mauritius otium pellere agitabat: ſed ſtructum viæ medio leve munimentum eripuit Spinola, ſuisque caſtris perpetua lorica

Mauritius VVoudam capit.

Mauritium in Flandria locantem caſtra aſſequitur Spinola.

lorica attexuit, madidoque & inſalubri ſolo ſita Mauritii caſtra morbis & transfugiis deſolabantur. At ignavum hactenus terra bellum maris penſavit fortuna. Ex quo primum in Batavis res motæ hæc adusque tempora, inter onera Hiſpani vel maximum fuit, quod potiſſimus & ſuus miles longe ex Italia difficili itinere in Belgas duceretur, nullo interim uſu & gravibus impendiis. Ei rei Spinola levamentnm reperérat, Oceano ex ipſa Hiſpania Flandriæ portubus inferre copias. Mille ducenti milites Hibernicis bellis exerciti Petro Sarmiento tribuno Vlyſſipone imponuntur octo navibus, ac celocibus aliquot, quarum omnium curam Petrus Cubiara acceperat, hoc inter cætera mandato, ut, ſi Flandria negaretur, vitato Galliæ littore, Britanniæ oram adiret, tutum ibi hoſpitium, ope legati Hiſpanici, & quos ille Britannorum donis emerat, habiturus. Ordines fœderati, ut terrore talem in poſterum audaciam arcerent, Wilhelmum Hautænium Zelandici maris præfectum jubent Hiſpanis in freto Morinorum occurrere, captosque ſine venia mari mergere. Non claſſe bellica Hiſpani, ſed onerariis adventabant, & quidem, quo laterent facilius, Germanicis aut Britannicis. Hautænius parte datæ ſibi claſſis Flandriam, parte Britanniam prælegens, quicquid medio mari navium explorat. Reperti hoſtes Doberniam juxta, cum nec vela ſubmitterent, & ultro ſe glandium jactu tuerentur, pars occiſi; cæteris nando, aut ſcaphis Anglorum excipientibus effugium fuit. Aliam navem jam portu propinquantem Zelandicæ duæ cum premerent, pariter vadis adhæſere. Sed Zelandicæ ut mole, ita periculo leviore, hoſtilem oppugnant capinntque. Vectores, uti juſſum, in mare præcipitantur, multum ante queſti de fortuna, non quod vitam eriperet, quam nec perpetuam homines, nec longam ſperaſſent & milites & veterani; ſed quod in gladios jurata manus inter undas fluctusque morte non ſua caderet. Die poſtera captæ naves aliæ, una incenſa, eodem militum fato. Bini ferme inter ſe colligati ſigno ſimul cunctis e navibus dato jactabantur: unus nihil hoſtili manu opus dictitans ſponte deſiliit, ignotus inter ignotos, gloriæ tamen circa ſuprema avidus. Ea clades virum naviumque partem ferme alteram abſumſit: nam naves quatuor vento ferente portum tenuere, ibi quoque multis per hoſtium tela peremtis aut ſauciis. At Dobernienſes, dum mari pugnabatur, ſpectatores, mox irati bellum ſolo

1605. Fœderatorum caſtra deſolantur.

Militum ex Hiſpania mari adventantium partem alteram Fœderati capiunt merguntque.

Dobernienſes in Batavos iniquiores.

1605. ſolo ſuo importari, globos ex arce jaciebant pro nuper hoſtibus in amicos veteres. Batavos ob hæc aula criminantibus poſtea Britannis reſponſum, non quæſitas a ſe Britanniæ in fluminibus naves, quod tamen impune Dunkerkani feciſſent; ſed calentem victoriæ impetum hoſtem magis ſuum, quam terræ mariſque confinium reſpexiſſe. At ipſi haud æque facile purgabant, quod ſpecie ſcrutandi Anglos, qui contra Regis edictum mari militarent, haud ita dudum naves Hiſpanicas, partam Batavis prædam, ſuum in littus pertraxerant, datiſque pro legato Philippi vindiciis, vim belli eluſerant per juris imaginem. Cæterum qui recens appulerant Hiſpani, Oceani ante hyemem trajectu deſperato, manſere illic magnos per ſumtus domino graves, atque interim miſerrima a facie, dum nudo littore poſitis tuguriis vivunt inopes, aut ægri pereunt: nam tabe, vulneribus conſumti haud pauci, & ipſe Cubiara. Iam ex Italia ſex validæ cohortes ſueto per terras itinere adventabant, præter novos Archiducis per vicina regna delectus: haud alias tanta partium vi: quippe Spinola, in Hiſpania apud Regem cum eſſet, captæ Oſtendæ gratiam auctoritatemque præferens, facile perſuaſerat, lentum bellum pro hoſtibus, cui finem imponi poſſe ſi Rex in longum danda contraheret, paſſim pro dicto uſurpans, ſigniſque inſcribens, Iam aut Nunquam. Seditionum igitur mala commemorans pecuniam & binos poſcebat exercitus, quorum altero ſua tueretur, altero Friſiam quateret, magno ſtatim fructu, quia Transrhenana tributa damno hoſtium ſibi acceſſura: tum hoſti plurimas urbes, quas nunc amnis defenderet, limitem fore, juſtoque exercitu opus ſpargenda ad præſidia, ſpe mox majore, quando inde ipſa Batavorum viſcera terra marique pateſcerent. Sapiens conſilium ut primi ſucceſſus juverint, cæteris haud pro ſpe ſecutis, pergam memorare. Sedentibus adhuc in Flandria ducibus, dum Princeps Cluſæ providus Iſendicum munit, & Spinola illum falſo metu retentat, Buquoius juſta cum manu haud procul Agrippinenſi Colonia, pulſis amne Batavorum navibus (machinas enim ſecum traxerat) Rhenum tranſit, magno circum Germanicarum urbium terrore, quibus Mendoſæ facinora & multa ludibria necdum exciderant. Luſtrandis copiis Pontificis legatus adſtitit, ſolemniter precatus victricia ipſis arma. Irent alacres, liberatores recta ſentientibus, ultores in cæteros: non principum magis quam

Spinolæ ad finem celerius bello imponendum conſilium.

quam

quam Divum cauſam agi, quos aris templiſque exutos ipſorum manu velle reſtitui. Vbi ventum ad oppidum, cui Cæſariswerta nomen (coloniam Trojanam olim inibi fuiſſe ſunt qui putent) caſtellum ponere incipiunt utraque ripa, queis tranſitus muniretur. Pons, quo Rhenum ſterneret, ſtructus Colonia Agrippinenſi, & magna inde alimentorum copia, haud obſcuro ſtudiorum civitatis ejus Senatu, quoties res Hiſpanorum invaluere. Quibus auditis Mauritius, ex ſuis Mendoſæque conſiliis conjectans haud iturum quenquam infeſtas in gentes Berca a tergo relicta, Henricum fratrem, Erneſtumque mittit, & pedites quater mille, bis mille equites, queis Ordines ſuo e conventu legatos addidere. Nec hi dubitarunt primam Bercæ muniendæ curam, validis operibus multum extra oppidum ſpatii amplectentes, queis mora hoſti, ſedes præſidio augeretur. His militem detinebant, quanquam Tranſiſalanæ Friſiæque urbes, & Linga præcipue ſubſidia militum, & quæ bello uſui, certatim orabant, privatum per metum omiſſa publici cura. Lingam miſſæ quinque centuriæ. Eques interim, qui cum Naſſaviis, obvium hoſtem bis fudit. Media nondum æſtate marchio Spinola, relicto ad Flandriam Friderico Herenbergenſi, (is ſex mille pedites, quingentos equites regebat) ipſe Buquoii copias, & quos inde ſibi præmiſerat, ſubitus petit. Rurordamque locum, Rura ubi amnis Rhenum illabitur, munitioni oportunum tacitus notat. Dein convocatis caſtrorum primoribus, cunctis hactenus quid pararet neſciis, mentem aperit: Lingam peti, præcipuum illarum partium munimentum, ſi properaretur capi facilem, ineſſe paucos & belli rudes: ſed cuncta in eo, ut hoſtium ſubſidia præverterent, quæ Lingam conventura, ſi Bercam ipſi & Grollam & ignota oppidorum nomina conſectarentur: nec ignarum ſibi, quam adverſum priſcis ducum inſtitutis, cunctis pone hoſtilibus in ulteriora ſemet immergere: ſed prout res tulerint vertenda conſilia, nec ulla præcepta ſemper valere, & ſæpe audendo plus quam cavendo profici. Lectum ſibi quod optimum temporis, maturis frugibus, necdum deportatis: & ad latus Weſtfaliæ oppida, victum ſponte allatura ſi pretium daretur. Id quoque ſibi proviſum, adfuturum quidem Mauritium, ſed tarde, imparatum terreſtri itineri, quo non claſſis illum, non ſueti amnes ſequerentur; &, ut veniret, datura plana camporum prælio locum, quod ſuis tam acriter peti-

1605.

Buquoius ad Cæſariswertam caſtella ponit.

Henricus Arauſionenſis in Buquoium cum Erneſto miſſus Bercam munit.

Spinola Buquoii copias petit.

1605. petitum, quam hoſti anxie vitaretur. De caſtellis quæ cœpta Buquoio, dubitatum, dirui, in reditu inſtauranda, an defendi placeret: pleriſque monentibus, noxium alienos in fines eunti, diviſis copiis robur famamque infringere. Paucioribus Spinola aſſentit, & Buquoium ripa Rheni Germanica ponere æſtiva juſſit, augendisque & ſervandis operibus attribuit ſex millia, novum maxime militem & gravi itineri haud ſuffecturum. Simul, iſta exercitus ſpecie, inanis pro Berca ſollicitudo Batavis intendebatur, vetabatque ad vera pericula dimitti copias, metu, ne ſimulatum in Friſios iter, & abducto milite illuc potius Spinola incumberet. Ipſe novem peditum, equitum duo circiter millia ducare ſatis credidit, gnarus attritas Mauritii copias, partemque in Flandria manſuram, quæ Herenbergenſi obſiſteret. Ibat terno agmine diviſus pedes, additis cuique machinis, undecim ſimul numero. Latera carri tegebant, victum ſcaphasque & pontes transeundis amnibus ac paludibus ferentes, queis circumjecti cuſtodes: at frontem tergumque eques clauſerat. Spinola ipſe prima in acie, præmiſſis qui vias explorarent æquarentque. Vbi latius patuerant campi, feſtinando itineri, prima mediaque acies pariter inceſſere, duplicata & curruum ſerie. Pro vallo nocturna quies machinis & turmis defendebatur: de die, medii primis, ultimi mediis certa vice ſuccedebant. Magno tunc experimento compertum, adulta quamvis vitia quam brevi correxeris, ſi curæ conſtantia accedat. Corruptam namque jamdiu ſeditionibus & licentia diſciplinam reſtituit illico dux, ut ſtipendiis fidus, largusque præmiis, ita adverſum delicta inexorabilis, nullique gratiæ obnoxius: nec furta tantum & rapinæ, ſed agmine exceſſiſſe, capital. Latrunculator obequitans, & cum laqueo carnifex, paucique, ſpectante exercitu, leves ob culpas ſuffixi cunctos ſanavere. Ad proximas Germaniæ civitates Philippus Croiacus mittitur Solræ comes, qui, demto metu, favorem proliceret: non enim, ut olim, turbidos & inobſequentes impetu ruere, adeſſe paratos regere, ſuetos regi, & qui pacem bello diſcernerent: non ſe oppidis, non agris graves: alimenta tantum venalia & innoxium per agros tranſitum poſci. Verbis facta haud diſcrepabant: unde parabilis annona & a vicinis laudes gratesque, veteres injurias cum præſenti ſecuritate comparantibus. Trans Ruram Luppiamque amnes (quanquam ad exſcindendum Luppiæ

In Lingam ducit.

pon-

pontem miſſi Batavorum equites, ſed tardiùs proceſſerant) quarto die ad Oldenſaliam ventum, Transiſalani juris oppidum, veteris adhuc ſæculi munimenta præferens, nec mutatum, ex quo Mauritius anno ante ſeptimo ceperat. Viſum, quantumvis properantibus, in transcurſu poſſe rapi, quando mox, aucto præſidio, crebri inde excurſus & commeatuum pericula formidabantur. Intus ferme quadringenti: quorum eques primum, inde pedes erupere, non ſine clade eorum qui primi acceſſerant. Sed impares repreſſit inſequens exercitus: contemtisque miſſilibus nocte una tribus partibus foſſam uſque oppidi penetravit: neutiquam ambigente Spinolâ, quin paucorum morte ac vulneribus, quod belli potiſſimum, tempus redimeret, contra quam Mauritio probatum, cui mos ſequi tuta eoque tardiora. Mane, exploſo quod advexerat machinarum, deditur oppidum: cognitoque per captivos Lingæ ſtatu, & plus militis exſpectari, anteire equitem jubet, ipſe altero die figit caſtra. Lingam claudendis finibus utilem, proprio quoque affectu ut ſibi conceſſam, Mauritius percolens ſuo ſumtu ſuaque arte munire cœperat, profunda ſatis ac patente foſſa & ſex propugnaculis oppidum arcemque amplexus. Sed recens & parte ſui imperfectum opus, necdum ſolidatus agger, oppugnantibus proniora: accedebant miles modicus, (ſexcenti erant, nec excurſus, nec pro vallo pugnam auſuri) duces quanto inexperti tanto pavidiores, nec cuiquam ponendarum machinarum peritia. Dum trahuntur tormenta, dum locus diſpicitur, ſine noxa hoſtis, adjutus hortorum anfractibus, credito citius, foſſæ marginem tenuit. Quatuor nationes totidem e locis tranſitum feſtinabant, accedente æmulatu: pars ductis rivis in veterem exigui amnis alveum aquam abducere, pontem alii doliis imponere, aut faſces & virgulta colligare, reperto ad Oſtendam more, adeo ſecuri, ut nudi quidam intra foſſam agentes opus promoverint. Nonus erat obſidii dies, & Walones propugnaculum ſibi adverſum ſubierant. Itali, Hiſpani, Germani partim foſſa media, partim propius verſabantur. Præfectus oppidi Martinus Cobbius, ſenio fractus & greſſu debilis, centuriones in conſilium vocat, & ſuper cætera incommoda globorum penuriam oſtendens, quid uſus facto rogat: nec cuiquam animus periclitantibus munimentis nova prædùcere, corpora opponere, arcem ſaltem defenſari: mirari magis, quod non deditionem hoſtis expoſceret: alii vetus id, nec ad Oſtendam aut Cluſam factitatum.

1605.

Oldenſaliam in poteſtatem accipit:

Lingam obſidet.

1605. ctitatum. Præfectus, velut forti conſilio, monebat in veſperam, ſin id nimium, in meridiem pacta differri: turbare cæteri: non illis in horis momenti quicquam: cito poſtulata cito accipi. Exſequuntur haud minus feſtine quam decreverant. Læto Spinola, cujus vota, quantumvis properantia, hoſtium tamen pavor prævenerat. Interea Mauritius ad famam Transrhenanæ expeditionis quantum poterat accelerans, Flandriæ caſtella Cluſamque tutandam Notio tradit, &, raptis inde viginti quinque centuriis, Daventriam petiit. Decem aliæ a Rheno accitæ, & e præſidiis contractæ totidem: octo inſuper, novus e Britannia delectus: machinas venti morabantur. Altero tertioque poſt deditam Lingam die, ſolvendum in obſidium accingebatur, in eam ſpem nudatis milite urbibus, cum amiſſi oppidi nuntius occurrit, triſtis non minus quam improviſus. Præfectus Cobbius, centurionesque alii longo carcere detenti, inter ſævas populi voces & cognatorum gratiam fluctuante ſententia. Defenſionis capita, quod miſſis ad duces Naſſavios & vicina oppida litteris, haud ſatis miſſum militis, & quæ liberando oppido: quodque plebs oppidana numero validior, excubias abnuens, precibus minisque impulerat, in tempore paciſcendo imminens exitium antevertere. Tandem, cum facti invidiam dies mitigaſſet, placuit, motos ordine, haud ultra puniri. Manente obſidio Thomas Fillerius, eorum unus qui ex Hochſtratana ſeditione penes Batavos hæſerant, animoſus prædæ quæſitor, comitem Solræ incidit, centumque equites præſidio datos; cepit horum triginta, occidit inter alios baronem Ciaccium, Ricardoti generum. Comes retardatus vulnere vix effugit. At fœderati Ordines, ſi forte inedia Spinolam afflictarent, palam edixere, qui victum in caſtra ferrent, ſe pro hoſtibus habituros. Nec tamen commeatus ceſſavere, ſpe lucri, mox & terrore victoriæ: adeoque nihil defuit, ut quidam venalia e caſtris domum retulerint. Stetit in Linga Spinolæ curſus: atque ipſe velut attonitus tam addicta fortuna, mirari operum vim artemque, & tamen tuendis alia extra foſſam objicere, quod Mauritio nuper deſtinatum intelligens, ipſe exſequebatur, velut imminente obſidio. At ſi plura quærere quam quæſitis timere maluiſſet, idem ille impetus & recens fama pleraque perculerat: ad Covordiam & Bortaniana caſtra, queis Friſia premitur, rarus miles: trepida imprimis Groninga: nec Emda procul ignara belli, feſſa diſcordiis; quas augebat Enno comes, ut ad-

qua deditur.

Mauritius ſero in ſolvendum obſidium accingitur.

Cobbius Præfectus feſtinæ deditionis reus in carcerem compingitur.

Spinola novis operibus Lingam munit.

ut adverſis Ordinum rebus ferocior. Ceſſante hoſte vacuum tempus Mauritio datum. Laborantia Friſiæ ac Transrhenanæ firmare præſidiis: ipſe cum Wilhelmo Naſſavio, novem contractis millibus, Covordiam incedit, tegendis interioribus, & quo hoſtium veſtigia propius inſiſteret, additque loco nova propugnacula. Inter manifeſta nec ſubitis & incautis abſtinebatur, repertore talium Terralia, qui Gallia profugus, repudiatam a Batavis operam, quod honorum præmiorumque nimia poſcere videretur, ad Hiſpanos tranſtulerat, fidens animi, & nitrati pulveris artium egregius. Huic Archidux (nam miles ſupererat) rectore Torricurtio Hulſtæ præfecto mille quingentos pedites, trecentos equites aſſignat, ſpe Bergas capiendi ad Zomam. Hi nocte, refluxu maris camporum per ſtagnantia portumque ingreſſi, munimenta occupant duo, majus alterum quo portus, minor quo porta tegebatur, refugis cuſtodibus. Quod ſi portu perrexiſſent irrumpere, periculum erat urbi, milite ac plebe juxta improvidis eoque turbatis. Portam, cui Flumineæ nomen, petunt: admotisque inſtrumentis ſepta duo, quæ intercedebant, disjecta; quod portæ appenſum humore per iter concepto in vanum crepuit; nec alia ad manum: nam cœno attinebantur. Ita irriti, inſtante æſtu, reditum feſtinavere, derelictis quæ invaſerant, cum jam conglobata propugnantium multitudo, non glandes modo, ſed ſaxa deſuper moliebantur, queis proruti triginta, debilitati plures. Nec terruit infelix exitus, quo minus interjecto menſis ſpatio idem majoribus copiis animisque tentarent. Sæviusque certatum, quia adventu per exploratores præcognito cuncta intus parata. Sed ne hoc quidem viſo illi demovebantur. Nocte plus media, pluvio cœlo eoque obſcuriore, ſigno undique dato tribus locis fit impetus. Duobus, aqua intercedente, pontes admoti, & quamquam haud ſufficiebant, pedibus manibusque non pauci in vallum eniſi, ubi ad ſummum pervenerant proturbabantur. Nam præfectus oppidi Paulus Baxius, permiſta militi plebe, cinxerat oppidum; ipſe cunctos obequitans, medioque foro centurias duas ad ſubita retinens. At qua Steenbergam iter eſt, non doli nocturni ſpecies, ſed aperta vis: quippe oppidani ſtramine incenſo, piceisque orbibus lucem fecerant, quo cuncta hoſtium introſpicerent. Portas illic duas, pontemque penſilem vis nitrati diſtulerat; jamque intra oppidi mœnia ſtrepebat hoſtile tympanum: ſimul equites occanebant tubis,

1605. Mauritius laborantia loca præſidiis munit.

Archidux Torricurtio & Terralia vectoribus, irrito eventu bis Bergas ad Zomam tentat.

1605. velut jam jamque irrupturi. Septum adhuc unum morabatur, quod curruum trabumque objectu oppidani obſtruere, illi quando ex Terralianis operis pleroſque priora abſumſerant, ſecuribus gladiiſque diffringere certabant. Oppidani propinquum hoſtem ex mœnibus deſpectantes flammas, & tormentis tuborumque vi certa vulnera, quin & convitia ingerere: inviſum ducibus militem ad lanienam trahi, longeque Hallenſis Divæ & Aſpricollis numina. Nihil in urbe ignavum: magiſtratus, quin & ſacrorum miniſtri, cincti & ipſi armis, hortatores & exemplum cæteris aderant. Romanæ quoque religionis, ſiqui erant, cives, gnari victoriam nocti iræque commiſſam, iſta non diſcernere, intentius agebant, ne cauſam diſſociare viderentur. Sed & fœminarum ſpectatum robur & labos: ferre murices, glandes, picem, & emotis quædam infantibus cunas lapide implere, molliores flexis per vias genubus, oculos manuſque tendentes cœlo, Deum precabantur, adeſſet propugnantibus, cruentaque conſilia in auctores verteret. Die illuceſcente Antverpiam minores redierunt. Intra oppidum uno haud plures deſiderati, & perquam pauci vulnera acceperant, ex edito tutiores. Similiter & Grobbendoncus Graviam per noctem pontibus ſcaliſque aggredi conatus, cognito oppidanis quid pararet, haud perſtiterat. Iam Lingam Spinola permunierat, dubius quid cætero anni ageret, incipiente primum autumno. Germaniæ agris refovere militem infame & ignavum. Bercam miſſi inſpectores retulerant magna opera & lenta vinci: nec major in Murſam ſpes. Tandem relicto ad Lingam Oldenſaliamque præſidio, mutatis caſtris aliquoties, ad Rurordam ſedet, & ponte ibi facto Rheni utraque ripa caſtellum locat, quæ ad Cæſariswartam ſtructa dirui Germanis poſtulantibus; at Rurorda Murſaci juris, ſolum hoſtile, ſituſque melior, & conſulto factum pro beneficio imputabatur. Sub hoc tempus nova cohors Italica in Belgicam advenerat: aliaque Anglorum ſimul & Scotorum, pars & Hiberni Romana ſacra ſectantes, qui Batavis inobſervati mare trajecerant, Hiſpano auxilium, Britanniæ levamentum. Hac cum manu & quos ſuis e copiis Spinola addiderat, Buquoius mittitur Wachtendoncæ in obſidium. At Mauritius aſtus metuens hoſtem ſequebatur, Iſalæ propior, ne illac bellum longius penetraret. Vbi fixum Spinolam videt, ipſe quoque inferius caſtra locat ſub oppidum Veſaliam: nec unquam ratus majorem audendi occaſionem, quam dum partem

Fruſtra quoque Grobbendoncus Graviam aggreditur.

Spinola utraque Rheni ripa caſtellum locat.

Auxiliis auctus Buquoium in VVachtendoncæ obſidium mittit.

tem

tem hoſtium Flandria, partem Wachtendonca retinet, equitatum Spinolæ, & cohortes aliquot vico Mullemo poſitas; tum id ſi eveniſſet, reliqua exercitus invadere ſtatuit; laudabili conſilio & magnam illo die victoriam daturo, ni Deo viſum longa Batavorum proſpera & belli gloriam adverſis retundere: namque haud alii rectius cauſæ tam fatalem pavorem adſcripſerim. Vicus Mullemum Ruræ amni adjacet, qui utcunque late patens pluribus tamen vadis tranſitur: equiti tantum haud paſſim pervius, quippe ſtantibus ripis, niſi ubi eas manus planavere: contraria ripa arcem Brukiam habet, & circum camporum eminentia. Princeps equite omni, & cohortes aliquot curribus vehens, properat: cum parte turmarum prægredi fratrem jubet, cum altera Marcellum Baxium, diviſis viis: hic Ruram ultra, Brukiam verſus arcem, ut effugium circumventis clauderet, ille arcta inter hoſtes ſemita, cujus clauſtra forte patebant hoſti incuſtodita per neglectum militis id curare juſſi: isque poſtea hanc culpam capite expiavit. Erratum in eo, quod non confeſtim Mullemum perrexit Henrici Naſſavii eques, ſed opperiendo pediti ſubſtitit, ſparſos alioqui adverſis locis hoſtes reperturus: qui interim conglobati ad amnem & quæ ultra erant edita ac patentia vertebantur. Idque ſolum Batavos perterruit, quod non, ut ſpes fuerat, imparatum hoſtem offenderant, cæterum haud dubie validiores: hinc, velut captis animis, fœda fuga nullo inſiſtente. Vix Mauritii cohortiumque aſpectus inhibuit, quo minus per ſocios, per ducem attoniti ruerent. Interim Baxius extima arcis Brukiæ irrumpens (interiora vix decem milites tuebantur) occurrit hoſtium turmis, quæ forte commeatui agendo proceſſerant. Nec tamen exterritus, atque ultro urgens impulerat: cedebantque, ni pedes & Mullemo adveniens eques ſuſtentaſſent. Ita preſſum numero, longoque prælio feſſum erexit conſpectus Henrici principis, quem fuga integri pauci ſequebantur, quosdam pudor reddiderat. Ergo utrinque invadunt equites equosque flumini implicitos: ſed Ludovicus Velaſcus audito ſuorum diſcrimine, cum turmis aliquot e Spinolæ caſtris advolans iterum pavorem intulit, priorem adhuc fugam animo vultuque geſtantibus. Turbati dare terga, habenas fundere: nec jam Mauritius, ſtans in aperto ripa altera, cum machinis copiisque retinebat, hortamenta quanquam & opprobria ingerens: modo parta ipſis decora memorabat, ne ad Turnholtum & in Flandria

1605.

Spinolæ caſtra adorti Mauritiani pavore proprio impediuntur, quominus ingenti potiantur victoria.

 primi

1605. primi ſemper victoriæ, tot ſignis ab hoſte raptis, tot pugnis incliti, manſuras laudes tali flagitio macularent: fratrem ſuum, ipſorum ducem mediis in hoſtibus relinqui: modo pavidum gregem appellans, equorum pedibus quam manibus ſuis fidentem, at rapinis impigrum, & inermibus gravem: inde ad preces flectebat, ubi illa ora, ubi voces prælia toties poſcentium? hoc unum dedecus patriæ mihique remittite; abſens rectius vincar: quin potius purgate noxam egregio facinore, ut mox vos alios alius videam. Nequicquam omnia, immotis in pavorem animis. Naſſavius juvenis, paucis etiam domeſticæ turbæ comitantibus, cum ſe ad Baxium retuliſſet, armis, habitu conſpicuus undique premebatur. Præfectusque turmæ hoſtilis juxta equitans, quo minus tubum exploderet, directo contra tubo exterritus, mox humerali faſcia apprehendit, quam inſignes equitum oſtentui ferunt, uſu periculoſam, exemtus tamen inſtanti: cujus id meritum fuerit, etiam recente facto dubitatum. At Mauritius non jam victoriæ, ſed exercitus incolumitati ſollicitus, ne cœpta trepidatio cunctos proſterneret, partem cohortium trans amnem mittit. Primus cum Britannis Horatius Verius pedes equitem repreſſit, haſtis protentis in cuneum coactus. Succeſſit tribunus Gallorum Omarvilla, mortem iſthic adeptus: nec tantum ſuſtinuere equeſtrem impetum cohortes, ſed, equitum nonnullis exemplum ſequentibus, repulere hoſtium haud paucos, quibus, aditu recepto, in arcem Brukiam effugium fuit. Vertebatur fortuna. Sed eluſit Spinola nobili aſtu crebra in proximo tympana quatiens, velut omnis cohortium vis immineret, quæ longo ſatis itinere diſtinebatur. Tum metuens Princeps, ne falſi metus in verum caderent, & quanto equeſtri robori fiſus olim, hoc nunc belli incerta altius reputans, canit receptui: quem tutum habuit, ripa interiore diſpoſitis peditum telis. Hoſtium Trivultius occubuit, dux, miles juxta egregius: & cædes, vulnera, ſigna, hominesque capti utrinque, & æquato damno plus penes aggreſſores infamiæ. Vitatum periculum Spinola in prudentiam vertit, & contractiore ſpatio copias locat. Tum ipſe viſum it quæ Buquoio agebantur, cunctiſque ex ſententia repertis, Rurordam redit. Favebat Buquoio ſiccus imbrium autumnus, humenti alias ſolo. At obſeſſi, quanquam mille ducenti præſidio erant, rectore Rihovio, manibusque nec levibus munimentis fiſi fortia promiſerant, non extra opera ſtruendo, non eruptionibus

Omarvilla occiditur.

Cadit & Trivultius.

morati

morati hoſtem, quin amne Nierſa ponte transmiſſo, foſſam oppidi octavo attingens die, aquas, diſcuſſo quo cohibebautur ſepto, deduceret. Vento ad propugnacula, primum cuniculis, tum facto impetu, territi viceſimo die Wachtendoncam dedidere. Geldra interim tentata Principi, ut cætera improſpere: quatuor leucis caſtris aberat oppidum, quo nocte profectus equitem partemque cohortium trahebat. Præmiſſi qui viam nitrato panderent: ſed ubi ad pontem ductilem venerant inſtrumenti vis evanuit: admotum alterum in foſſam procidit, deditque oppidanis coeundi ſpatium, qui proximos aſtantium telis ſtravere, quos inter Philippus Philippi Mornæi Pleſſiaci filius, diſcendi per cupidinem periculi incurioſus, haud indecora patri ſoboles, quem literis actuque rerum illuſtrem magno gradu eadem per veſtigia ſectabatur. Nec omiſit Spinola felicem annum ultra fatigare, miſſoque Buquoio Cracoviam Murſici juris arcem facile capit: nam quod munimenti præcipuum, ſolum paluſtre cœlo diu ſicco defecerat. At in Flandria Fridericus Herenbergenſis caſtellum ſtruxit Cluſæ imminens, qua flumina Dulcis ac Salſi cognomento portum influunt, modica illis partibus hoſtium vi, & dolo adjutus; quia Brugenſes jus ſtruendi aggeris, velut recuperando ſolo, quod per illuviem ereptum humanis uſibus jacebat, a Cluſanis impetraverant. Sub exitum autumni pluviis madentem Spinola, perfectas ad Rurordam munitiones conſpiciens, prior ſolvit exercitum. Idem Mauritius fecit, equesque ad hyberna rediens obviam in itinere Grobbendonci turmam cecidit, magnamque partem abduxit captivos, intentus occaſionibus, queis Mullemianæ pugnæ memoriam aboleret. Nec terra aliud geſtum: at mari Sarmientanæ cohortis reliquiæ furtim hyberno pelago, dum ventus Batavas naves alio diſpulerat, in Flandriam transmiſſæ: mox Dunkerkanarum navium potiſſimam, centumque & viginti armatam viris centurio navalis Roterodamenſis Lambertus nomine, cominus aggrediens, omni telorum genere velut in ſolido certabat, numero minor, par animis, nec pro vita pugnantibus cedebat, ipſe pro gloria dimicans. Sed ubi Enchuſanorum præfectus Iohannes Gerbrandi ſuam quoque navem hoſtili applicuit, Dunkercani amiſſo inter cæteros duce (Adrianus Theodori vocabatur, prædis nobilitatus) ſimul ſpe veniæ infracti dedunt ſeſe. Navis capta exinde bellorum uſibus deſtinatur, hominum ſexaginta circiter patibulo ſuffixi:

1605.

Buquoio VVachtendonca deditur.

Geldram irrito eventu Princeps tentat.

Cracoviam Buquoius capit.

Herenbergenſis Cluſæ imminens ſtruit caſtellum.

Grobbendonci turma caditur.

Navium Dunkerkanarum præcipua a Fœderatis expugnatur.

 paucis

1605. paucis ætas veniam meruit, quidam ad ſupplicia ducti aufugere, retinente nemine, quia longa pœnarum ſeries animos ad miſericordiam flexerat. Inter eos qui India hoc anno rediere, erant, quos Hemskerkius rimis ægra navi ulterius Bonæ ſpei montibus reliquerat. Illa vento delata in Madagaſcaris littus hæſit octo per menſes, egena rerum omnium; & nautæ morbis, bello in barbaros, poſtremo animi tædio abſumebantur, magno ex numero octodecim ſuperantibus. Forte alias Batavorum naves Cygneam inſulam petentes, ſimile fatum eaſdem in oras appulit. Ibi illi inter ſe gaudio, lachrymis, confuſi, narrare pericula, Dei benignitatem agnoſcere. Laceræque navis fragmentis alias reparare, & merces tranſponere. Ipſi patriam, exercitores quæſtum, diu deſperata recuperant. E Ceilone inſuper duæ naves triſtem ferentes nuntium, cæſi præfecti (Sebaldus Wartius vocabatur) dolo Fimalæ, quem Candiæ regem prono in Batavos affectu alibi memoravimus. Sed irritaverat ſuſpicax ingenium, ut ferme eſt barbaris, Sebaldus, conceſſa Luſitanis, quos bello ceperat, libertate, quod ille barbarorum moribus alienum, ut colludentium inter ſe argumentum interpretabatur: magiſque etiam accendit, dum, inter colloquia de bello Luſitanis inferendo, hortatur ipſum naves ut ſuas introſpiciat, vimque inde æſtimet, urgens acrius quam in reges conceſſum: ille officii per ſpeciem cædem ſuam quæri ratus, creditum ſcelus prævenit. Et ſocii, ne commercio exciderent, ulciſci ducis mortem omiſere. At rex Hiſpaniæ, metuens ne longinqua minuſque firma imperii cunctis noteſcerent, ſevero edicto vetuit, nequis externus ad Indos aut alia Luſitanici juris navigaret, quamvis accepto civitatis jure: &, qui nunc eſſent illo in orbe, certum intra diem remeare juſſi. Quod Batavorum conatibus adeo non obfuit, ut hoc anno duodecim naves Indiam peterent, queis rector datus Matelifius, unus rei Indicæ curatorum. Interim & Cardenus, quem in Braſiliam miſſum narravimus, rediit, haud inops prædæ. Apud vicinos, quanquam manente pacis nomine, ſævi motus in bellum ducere fruſtra crediti. Aquiſgrani enim, Brabantis ſemper ducibus cupita civitate, rectores novi, imperatorii decreti, &, quód tunc ſilentio conditum poſtea patuit, arcani cum Alberto fœderis fiducia, reformatæ religionis ritibus publice privatimque oppreſſis, eos qui magiſtratum ante geſſerant, ut ſeditionis modo, non rite lectos, contumeliis damniſque afflicta-

VVartius dolo regis Candiæ in India trucidatur.

Philippus vetat nequis externus ad Indos naviget.

Matelifius cum duodecim navibus Indiam petit.

Reformatorum in urbe Aquarumgrani perſecutio.

afflictabant, conquiſiti qui accuſarent, & qui patrocinium 1605.
præſtabant pœnis jungebantur. Legati Colonienſis epiſcopi, cui id curæ Imperator mandaverat, per conciliationis ſpeciem publicam culpæ profeſſionem flexis genubus, deinde & pecuniam reis indixerant, ſumtuum in litem factorum nomine, plerisque ſupra virium modum, & cum non ſolveretur, pars acti in carcerem; alii ſolum mutavere: quibus inquies exſilium, & plebis in potentes odium, in miſeros favor, quanto in præſens preſſa, olim altius eruptura. In Gallia, præter cæteras Hiſpani fraudes, patuit Merargium, miſſum a Narbonenſibus, qui provinciæ preces ad Regem perferret, clam de tradenda Maſſilia cum Balthazare Zunica Philippi legato pepigiſſe: captusque ipſe & una Brunellus Belga Balthazaris ſcriba, apud quem indicia proditionis deprehendebantur. Cum legatus miniſtrum ſuum gentium jure repoſceret, Rex contra facti indignitatem oſtenderet, & jus legationis ab ipſo violatum, inſtat ille, ſiquid minus amice factum foret, haud id ipſum exſequi debere, qui, contra pacem Verbinianam, palam rebellibus & quidem religionis veræ hoſtibus ferret ſuppetias, nec Herenbergenſes tantum comites aliosque in Belgica tentaſſet corrumpere, ſed & Mauros in exitium Hiſpaniæ concitaſſet. Quibus Rex commotior, religionem Romanam plus ſemper majoribus ſuis ſibique quam Hiſpanis debituram: at Belgicis armis eam cauſam falſo præſcribi, cum de dominatu certaretur: quod ſi aut ipſe pecuniam Batavis debitam perſolveret, aut Galli, impatiens quietis natio, ut in ultima Pannonia, ut apud Archiducem, ita illis in partibus egregio ſub magiſtro militiam diſcerent, quid hoc ſimile tot in urbes ſtructis inſidiis, tentatæque tot procerum fidei? (tum ſingulos memorabat) & laborato undique, ut propria regni mole ipſum ſe obruerent? Falſa quæ de Mauris dicerentur, & confeſſiones per vim extortas. Quod ſi Herenbergenſes, non Belgas ſed Germanos comites, haud turpes ad operas pellexiſſe illicitum, quid meritos qui Terraliam non ſubditum modo, ſed domus ſuæ partem, licitando ad ſe traduxiſſent? Sed hæc minora, aut ſi quis forte legatus arcana per artes rimaretur, diſſimulari mutuo & ignoſci: cruenta conſilia & jugulum petentia a ſe refelli. Zunica Britanniæ regem laudante, cui religionis diverſo pacem tamen ſanctius ſervari, reſpondit Rex, nova illi Hiſpanorum hoſpitia, & quo tenderent brevi experturum. Iam ad minas prolabentem

Hiſpanus per legatum Henrico in Gallia dolos ſtruit:

Henrici in legatum indignatio.

1605. Regis iram lenivit legatus, nihil opus dictitans; Henrici Quarti tam virtutem quam ſapientiam ignota nemini. Tandem Merargio ad ſupplicium rapto ſcriba legato redditus, probatumque Regi dolos dolis, quam bello ulciſci. Apud Britannos horrenda erupit conjuratio quorumdam ſalutem ſuam & fidem, divinaque & hominum jura poſt ſtudium Romanæ religionis habentium. Nam quia precibus rituum libertatem non impetraverant, defoſſa ſubter curiam nitrati pulveris copia, Regem filiumque & regni proceres publico gentis conventu interimere decreverant. Ieſuitarum in Britannia principes, conſulti ab his, qui id facinoris deſtinabant, an fas eſſet magnæ ſontium turbæ paucorum inſontium exitium miſcere, reſponderunt egregio in Eccleſiam bono etiam non merentes aliquos recte impendi, hoc ipſum urbium obſeſſarum argumento firmantes. Vnus conſciorum amicum monens, ut ne præſtituto die in concilium veniret, advertit animos, excuſſoque loco ſcelus ſcelerisque miniſter apparuit. Hoc audito participes conjurationis apertam rebellionem in remotis Britanniæ moliuntur, animante pavidos Ieſuita Oldecornio, ne ex uno eventu de cauſa judicarent: ſæpe Deum cœptis ſibi probatis ſucceſſum denegare, quo conſtantia probaretur adverſis: ſed in ipſo conatu oppreſſi ad judices trahuntur. Etiam Garnetus multa olim & in Eliſabetham auſus, jus Pontificis in reges ac regna in tantum extollere ſolitus, ut principi diris devoto non modo fidem obſequiumque non deberi, ſed ſi juberetur, opponenda arma vel cum vitæ periculo dictitaret. Vnde intelligant poteſtates, quibus non Romana religio, haud claſſes, haud exercitus æque formidanda, atque iſtos auctoritate ſacrorum violentiſſimos vulgi concitores. Accedit alterum peſtilens placitum, quo magiſtratuum interrogata docent ambiguis vocibus, & alio quam verba innuunt mentis propoſito eludere, editis eam in rem libris, quos contra mendacium mendaci titulo inſcripſere. Et quicquid in peccatorum confeſſione audierint, id arcanum atque aperiri nefas, quamvis in principis populorumque pernitiem tenderet: tum quæcunque voluere colloquia confeſſiones vocant. Non dubitabatur has ſpes Hiſpaniæ opibus niti, ubi jamdudum Ieſuitarum Anglorum ſodalitia turbandæ paci alebantur. Sed conſcii prodidere, haud apertam cuiquam externo conſilii formam, ne diſpaleſceret: at qui Romæ quique in Hiſpania agebant fidem feciſſe, auxilia illinc occaſionibus

Anglicanæ conjurationis relatio.

nibus non defutura. Et Comitiſtabuli Caſtellano, in Britannia 1605.
cum ageret, hactenus dictum, ni Rex novus religionem Romanam permitteret, paratos qui vim auderent; fovitque ſuſpiciones Archidux, Britannos apud ſe agentes, quibuſcum captivi participaſſe conſilia fatebantur, poſcenti Iacobo dedere abnuens, eorumdem præcipuo in Hiſpaniam ablegato. Nec tamen aut Iacobus injuriam prætulit, edicto vulgans compertam ſibi externorum principum innocentiam; aut omiſit Philippus per Iohannem Mendoſam vitatum ipſi exitium vultu verbiſque ſeriis gratulari.

HUGO.

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS

LIBER QVINTVS DECIMVS.

SVMMARIVM.

Militi ſuo agre a Philippo Spinola ſtipendia obtinet. Bellum inter Henricum & Bulionium ſopitur. Turba inter Brunovicenſes eorumque ducem componuntur. Iacobus novum a ſuis ſacramentum exigit. Magna inter Pontificem & Venetos turba; hi Ieſuitas ejiciunt. Batavi claſſem in Hiſpanum mittunt. Captum a Terralia Brefurtum Henricus princeps iterum ad deditionem cogit. Cluſam conatu irrito Terralia tentat. Buquoius in agrum Batavum tranſire cum exercitu jubetur. Mauritius contra Spinolam ſua munit: huic ſe Lochemum dedit. Grollam & Bercam obſidio Spinola expugnat. Venloa Henrico principi fruſtra tentatur. Spinolani militis ſeditio. Erneſtus Naſſavius Lochemum expugnat. Spinola adventu Mauritius Grolla omittit obſidium. Hautenii infelix maritima expeditio. Res Fœderatorum per Indiam Orientalem feliciores. Rerum ibi a Batavis geſtarum relatio. Hohenloius & Iohannes Naſſavius obeunt. Borbonia nubit Philippo Arauſionenſi. Luſitanorum pro Batavorum pace ad Philippum preces. Fœderati eam ſuſpectam habent. Cum legatis Archiducum de ea agere differunt.

1606. EGregium Spinolæ decus addiderant, defenſa princeps urbium Antverpia, capta oppida præcipua munimentis, & illatum hoſtico bellum, ubi minore periculo, & ſpe majore certaret; primusque fortunam ſimul & diſciplinam partium, quindecim per annos labefactata, refoviſſe videbatur. Igitur quaqua iret per Belgas feſtæ voces plauſusque, & ubi in Hiſpaniam venit, ut mos ipſi quotannis, clam procerum invidia, palam Regis favor. Sed conſilia belli morabatur attritum valido prioris anni niſu ærarium, ægreque obtinuit ſtipendium ad geminos exercitus, belli curam aliter abnuens; &, ſi daretur, paratam oſtentans victoriam: ut ante Rheno, ita nunc Vahali atque Iſala trajectis ſtaturum ſe in ipſis Batavorum

Spinola a Philippo agre militibus ſuis ſtipendia obtinet.

vorum penetralibus. Ergo convenit, ut afflictam fidem regiam ipſe ſuis atque amicorum opibus præjuvaret, quanto cum ipſius diſcrimine, anni exitu memorabitur. Contra fœderati Ordines, proviſis longe malis, quæ trahere ſecum ſolent copiæ vires ultra adauctæ, (& magnis præſidiorum impenſis fatigabantur) in annum inſtantem cedere ſtatuunt violentiæ haud ſane duraturæ, contenti fines tueri, donec impetus deſæviſſet. Quin & novi delectus per Galliam Sedanenſi, per Germaniam Brunovicenſi bello impediebantur. Sedanum Moſæ adjacet in ipſo imperii Francici Belgicique confinio, ſi quando res ad bellum vergerent, momentum haud leve. Marcia domus tenuerat antiquitus. Sed Henricus Turrius vicecomes ante Turenæ, ducta in matrimonium Bulioniæ gentis hærede, Bulionium nomen & jus oppidi acceperat, ac mortua quamvis uxore, per ſpeciem teſtamenti, cæterum vi Gallica ſubnixus, retinebat, privatis adhuc Borbonii rebus, & mox ambiguo regno ducum inter primos. At poſtquam Rex ſacra verterat, & tutando regno nova reperta onera materiam querelis dabant, reformatæque religionis haud ſpernenda multitudo Bulionium maxime ſpectabat, clarum bello & fortium ſæpe conſiliorum auctorem, creditus res moviſſe, cum dicendam ad cauſam vocaretur, quo tempore Bironius procubuit, cauſatus validas inimicitas & ſuſpectos judices, in Germaniam abſceſſerat: rogatusque Elector Palatinus, ut affinitatis meminiſſet (nam ſorores principis Mauritii uterque duxerant) miſſis ad Regem legatis qui iram mitigarent, haud multum promovit, inviſo ſemper regibus externas poteſtates ſuis offenſionibus interponi. Inde per viduam Wilhelmi principis Arauſionenſis res cœpta agi, gratiorque fœminæ ſolicitudo: ſed Rex pignus fidei poſcebat Sedani cuſtodiam, Bulionius oppidum arcemque in tutelam regni Gallici dare, in id fœdus ſacramentum præfecti ac militum offerebat, aliaque dum ne poſſeſſione dimoveretur; interim cuncta parans tolerando bello, neceſſitas ſi ingrueret. Id audaciæ, ſimulque potentes inimici, quos dudum in ſe irritaverat vir honorum cupidus & prævalentium impatiens, Regem impulere, ut magno cum exercitu iſto vere progreſſus ipſe caſtra ad Moſam poneret: Rex maximus non Hiſpanum non Burgundum ſaltem, ut olim, ſed amicum veterem, unius oppidi dominum, tanta belli mole impetiturus. Sed reperta pacis ratio Bulionium periculo, Regem inglorio certamini exemit,

1606.

Fœderati contenti fines tueri.

Ortum inter Henricum & Bulionium bellum ſopitur.

1606. exemit. Rex præfectum Sedano quatuor in annos impoſuit, elapſo tempore Bulionio cuſtodiam redditurus: in ante facta ipſius inquiri vetitum, ſi in poſterum fidem mutaret, juravere oppidani alium ſe principem facturos. Pace facta, vetus ipſi gratia apud Regem, ut iraſci facilem, ita fidum veniæ; mirantibus cunctis hoſtem modo, rurſus lateri proximum, curisque & remiſſionibus individuum, arx ipſa intra menſem alterum Bulionio reddita. Vtrisque in Belgica bellantibus gratus is exitus fuit. Nam & Batavis triſte, religionis ſocium, domus Naſſavicæ partem afflictari: & longus Archiduci metus, ne ſimulata in Bulionium arma ipſi incumberent. Quin & Ludovicus Velaſcus, tutando limiti miſſus, Sedanenſibus auxilium obtulerat. At Brunovicenſis motus jam priore anno cœperat, infenſo urbi Duce, quod jura a majoribus ſuis partim emta, partim extorta contumacius defenderet, innixa Anſiatico fœderi. Ille ſpe plenus poſſe ſua virtute reſtitui imperium, quod progenitorum ignavia amiſiſſet, collectis copiis, velut Spinolam Rhenum tranſeuntem metueret, primum per inſidias immiſſo milite, binorum, quæ urbem cingunt, mœnium exteriora invaſerat. Sed repulſis inſeſſoribus ad apertam vim & obſidium transgreſſum, quanquam Daniæ rex, cujus ſoror nupta duci, in auxilium egregia cum manu venerat, hyems diremit. Rogati a Duce Ordines fœderati ut Erneſtum Naſſavium bello ducem copiasque ipſi transmitterent, haud parum dubitavere, quia & grave alienam opprimere libertatem pro ſua certantibus: & tamen potior Brunovicis ac Dani gratia, quam Anſiaticarum urbium, quæ nec ope nec beneficio ullo rem Batavam juviſſent. Igitur ita temperatum, non ut mitteretur, ſed ut copia juveni, ſi vellet, eundi fieret: cui ſe comites aliquot tribunorum Centurionumque e Batavis addidere, impetrato ut ad tempus ſacramento ſolverentur, avidi præmiorum, quæ novis bellis promtius oriuntur. Sed brevi impetu transactum. Nam vere novo, poſitis iterum caſtris, rupta moles, qua Dux coercitum amnem urbi ſuperfundere ſperaverat, ut obſidium omitteret, mox coortæ Anſiaticorum copiæ ut & bello deſiſteret evicere. Partibus utrisque ſumtuum intolerantibus, Imperatoris auctoritas ſubvenit, ut ſponte & legum reverentia, quam coacti arma ponere viderentur, juſſi judicio contendere. Præter has cauſas Batavis hoſtibusque communes, propriæ cauſæ hoſtiles delectus per Britanniam Italiamque

Turbæ inter Brunovicenſes & illorum ducem componuntur.

liamque morabantur. Nam in Britannia Rex maximo ſuo periculo admonitus quam formidoloſi eſſent ſubditi, qui regia potentia majorem aliam agnoſcerent, in verba concepta adigi cunctos juſſerat, fateri ſeſe verum ipſum Britanniæ regem, nec aut Pontificis aut eccleſiæ Romanæ imperio poſſe deſtitui: & ſi id tentaretur, ſibi tamen ſanctam obſequii fidem, &, quæ Regi noxia prodituros: nec aliam jurantibus mentem quam verborum communis uſus exprimeret, nec ſe ejus juramenti gratiam ſperare. Hinc orta gravis ipſorum inter ſe Romanenſium diſcordia, dum pars Georgio Blacuello Angliæ archipresbytero (id nomen ipſi Pontifex indiderat) auctore intrepidi dicunt ſacramentum, profana ſacris diſcreta rati, & religionem Deo, cætera principibus parere Dei ipſius inſtituto: contra alii Ieſuitis accedunt, humana divinis ſubjacere, ac proinde religionis arbitrum, ſi id uſus exigat, poſſe transferre regna, eumque ordinem pulcherrimum cuncta ut uni obediant. Interim qui eum in modum jurare cunctabantur, vetiti externas ad militias abſcedere. At per Italiam eadem Pontificis poteſtas alias turbas conciverat. Nam Veneti, ſacerdotum potentiam opesque veriti, & ſua olim & aliarum gentium ſcita imitantes, edixerant ne templa condere, neu ſacris collegiis dare prædia, niſi ex Senatusconſulto, liceret; utque vectigales eccleſiarum agri nullo tempore ad ipſas reverterentur. Quosdam inſuper ſacerdotes, ob veneficia, parricidia, inceſtus, falſimonias & vim publicam accuſatos, in vincula duci juſſerant. Hæc Pontifex (Paulus erat quintus nomine) ante alios incitantibus Bellarmino & Baronio, in ſe contumelioſa interpretatus, cum non demerentur, ſacris civitatem interdixerat. Baronius, miſſis ad Venetos literis, monebat inter cætera viderent, ne Deus, ut quondam Hebræo populo, ita ipſis iratus erepta libertate dominum imponeret. Diu libellis diſceptatum, quæ legum, quæ judiciorum poteſtas in ſacris mancipatos: & an Pontificum iniqua juſſa animos obſtringerent. Major pars ſacerdotum ſub imperio Veneto ſacris faciendis haud abſtinuere: Ieſuitæ, idem cum facere abnuerent, finibus ejecti. Dum res ad arma ventura ſperabatur, Hiſpanus, cui avitum Italiæ motibus increſcere, retinebat illic militem, propugnatorem ſe oſtentans Pontificiæ majeſtatis. Viciſſim Batavi & Pontificis odio & amore liberæ civitatis, maritima auxilia Venetis, ſi periclitarentur,

1606.

Iacobus novum a ſuis ſacramentum exigit.

Magna inter Pontificem & Venetos turba.

Veneti Ieſuitas ejiciunt.

1606. tur, promiſere, pro quo actæ per literas gratiæ multa verborum comitate. Cæterum prudens Senatus, ut jura imperii fortiter tuebatur, ita quæ paci aut majorum cæremoniis turbandis erant, anxie vitabat. Id interim principium amicitiæ fuit inter duos validiſſimos omnium, qui non regnantur, populorum. Quæ dum apud externos aguntur, initio hujus anni Batavi claſſem in Hiſpaniam mittunt, augendæ, quæ illic eſſe ferebatur, inopiæ, ſimulque vindicandis quæ modica damna acceperant, irruptis a Ludovico Faizardo navibus, quæ ſali quærendo Americæ apud inſulas incuſtoditæ atque inermes palabantur: quarum nautæ merſi, ſuſpenſi, exuſti. Sed prius edixere Ordines, ne quis civium, aut gentis alterius frumentum aliave in Hiſpaniam ferrent, & olim & nuper comperto allectas in ſpem commercii naves bellicis uſibus attineri: ire ſe obſeſſum hoſtiles portus, eo quiſquis tenderet, prædam fore. Miſſæ viginti quatuor naves publicæ, Wilhelmo Hautænio imperante: tum quas privati in ſpem prædæ armaverant, magno numero, ſed regi indociles. Iuſſa acceperant venientem ex America claſſem intercipere, & Luſitanicis navibus in Indiam ituris præcludere exitum, quam in rem ſocietas Indicana pecuniæ haud parum ærario intulerat, quo & armis hoſtium & contra licitantibus liberi, tuta ac lucroſa commercia agitarent. Hautænio tardum iter ventis obluctantibus, ſed prædarum haud egenum, cum & mercatores obvios & littora popularetur. Luſitanicæ naves retentæ, donec deſperato exitu acceptum jam onus in terram reponerent. De Americanis allati nuntii, unam argento regio onuſtam, Batavæ navi implicitam pariter arſiſſe, tres tempeſtatibus abſumtas, quatuor Havanæ portu inanes, id enim addebatur, opperiri navigandi tempora. At Hautænium jam victus defecerat, & miſſas e Batavis recentes navium, quæ alimenta ferrent, venti morabantur. His de cauſis cœpta æſtate domum revenit, exſpectato celerius. At quanquam tarde exercitus prodiere, non ceſſatum a belli curis, inquieto præcipue Terralia, ex quo irritos ad Bergas conatus non ſibi, ſed militi imputabat. Et forte in Batavos equites illapſus, acceptoque vulnere vix fuga incolumis, ut revaluerat, flagrantior in ultionem ferebatur. Hoc incitante quingenti Hiſpanorum equites Rhenum tranſiere, præmiſſo rumore Batavum a ſe equitem peti, qui perducto ad Brunovicum fines Erneſto Naſſavio redibat acta per agrum

Batavi claſſem in Hiſpanum mittunt, imperante Hautænio.

Claſſis domum prædarum haud egens redit.

Captum a Terralia Breſurtum Henricus princeps, iterum ad deditionem cogit.

Patel-

Patelbornenſem præda gravis. Sed Mauritius cognito per exploratores adeſſe ipſis Terraliam, monuerat Transrhenana præſidia, ne quid ſecuritate peccarent. At ille ex Oldenſalia aſſumtis peditum mille ducentis, vitata in itinere Grolla, longo ambitu Brefurtum nocte advenit. Hilaria tum forte agebantur, quæ & paganum & militem in conviviorum licentiam ſolverant. Excubitores decepti primum, clamantibus ultro, qui cum Terralia erant, Mauritianos ſeſe cum hoſtis premeret amica ſub mœnia refugiſſe. Vix dolum ſuſpectaverant, cum appenſis machinis, portæ duæ, tum porta intima diſſiliunt, tam modico inter hæc tempore, ut pauci in vallum procurrere, mox oppidum tutari fruſtra tentaverint, cæteris in arcem refugis, quæ propriis munimentis, & jam reſciſſo ponte oppido ſejungebatur. Quod virorum remanſerat trucidatum; quædam & fœminæ expleta libidine interemtæ. Quatuor in arce tormenta, in oppido totidem, ſed nitratum hic deerat. Nec omiſit præfectus arci Lavicus proxima in oppida nuntios dimittere, rogans ſuccurrerent parato ultima pati, quam loco cedere. Coortæ ſtatim Transiſalanorum turmæ duce Warmeloo, aſſumtos equis pedites paluſtri ſolo arci intulere, perrupto munimento, quo claudere aditus Hiſpani paraverant. Miſerant & qui oppidum tenebant ad Ludovicum Velaſcum auxilia orantes: Rurordam is valido præſidio inſidebat, isque ire juſſit pedites quadringentos nitrato onuſtos: ſed audito circumfuſum oppido Batavum haud auſi penetrare, quanquam locorum ſtagnantia & tenebræ, necdum multus hoſtis, ad fallendum oportuna. In reditu a Filleri equite profligati, pars cæſi, pars in poteſtatem venere. Atque interea profectus Haga Henricus Naſſavius, contracto quantum poterat cohortium, & equite, quem Patelbornenſi ex agro regredi memoravimus, perficit obſidium: quod haud diu pertulere graviter ex arce telis obruti, ita ut octavum intra diem centum ſuorum deſiderarent, reliqui foſſis ſub terram ſcrobibus vitam tutarentur. Pactum fuit, ut exirent incolumes, reddita præda, etiam captivis, quos oppido potiti Oldenſaliam ablegaverant. Properare ſcilicet obſidentibus viſum, conſurgentibus undique Hiſpanorum copiis: quod ſi perſtitum foret, potuit captus Terralia gratum regi Galliæ munus dari, exemplumque ſtatui, quo & crudeliter uſi victoria punirentur, & alios infelicium inſidiarum terror impelleret, juſtis potius armis, quam dolo 1606.

1606. graſſari. Nihil his fractus Terralia majora aggreditur, parumque abfuit, quin dignum totius anni labore opus nocte una conficeret. Acceperat ex perfugis, qua Cluſa orientem aſpicit, nullas extra oppidum excubias, deuſtis neque dum repoſitis ſtationibus. Igitur Cadſantæ madentibus campis mille ducentos Walones & Hibernos ſecum trahens, caſtello hoſtium, quod itineri interjacet, haud obſervatus, quo deſtinaverat, pervenit. Convenerat ut Fridericus Herenbergenſis alias majores copias Damma duceret, capto oppido arcem oppugnaturus. Primis ſupra ſpem proſperis extrema contra evenere. Pontes duo penſiles, portaque una dirupta adhærentibus machinis: interior, quæ ſupererat, hactenus crepuit, ut binos transmitteret: nec quicquam obſtabat, quo minus & in vallum haud ſane editum eniterentur, cunctis intus ſecuris. Audierat Notius hoſti aliquid parari, monueratque vicinos præfectos, caſtellis metuens, nec unquam ſuſpicatus id ipſi audaciæ, ut abſtruſum intimo receſſu oppidum invaderet, tot circum cuſtodiis cingentibus. Itaque in quietem ſe & ipſius exemplo alii dederant. Primum ingreſſos id ipſum terruit, quod tantum in oppido ſilentii, prævisos ſe, dolumque ſubeſſe falſo credidere. Acceſſit quod pars militum, præfinitum ad tempus juſſi alia oppidi regione movere arma, defuerant imperatis, quia æra forte oppidi horam ſignificantia id noctis haud ſonuerant. Dum cunctantur illi, qua patebat, irrumpere, pauci & crepitu portarum, & armorum ſono exciti, ſemermes, ſeminudi, ut ſtratis exſilierant, portam intimam obſtruxere; peccatumque ab oppugnatoribus fuerat, quod non tubos, ſed haſtas in fronte locaverant, quibus haud æque promtum contra tela ingredi. Primis dejectis, auctus in cæteros pavor, captaque fuga, confuſis ordinibus proturbabantur, qui denſi ponte ſteterant. Iamque Notius prolatis tormentis conglobatos in arctum late ſternit. Quingenti ferme confoſſi telis, aut aquis cœnoque obruti: nec reditus ſine ſanguine, cædentibus terga, qui manifeſto jam hoſte caſtellis undique proruperant. Vitato ingenti diſcrimine curatum, quod ante oportuit, ut munimentum portæ prætenderetur. At Archiducum juſſu militum rectores aliquot, quorum ante alios ignavia accuſabatur, ſupplicio affecti, documentum in alios fuere, honeſta pericula mallent, quam detrectatis imperiis certum ac turpe exitium. Iam dilata ſpe belli Veneti ob gravem Italiæ annonam,

Succeſſu haud feliciori Cluſa Terralia tentatur.

nam,

1606.

nam, Hiſpanorum cohortes Belgium intraverant: venit & Spinola febribus quanquam tardatus, vulgataque morte ſecuritas Batavis creverat, haud minus falſo gaudio, quam quo per arma externa quietem ſibi ſperaverant. Soluto Galliæ exercitu, nonnulli ad Fœderatos: e Brunovicenſibus copiis plures ad Spinolam tranſiere, partemque ejus equitis ducens Iohannes comes Ridbergius, Transamaſiani comitis frater, damnum paſſus eſt incurſu hoſtium. Pars quoque pecuniæ ad Marchionem quæ ferebatur intercepta: & per Machlinienſium agros tributum negantes exercita a Batavis populatio. Spinola ubi creſcente primum æſtate progredi ſtatuit, quippe inceſſurus locis ingenio ſuo madentibus, cum Buquoio curas copiasque partitur.

Buquoius cum exercitu in agrum Batavum tranſire jubetur.

Illi decem peditum millia, mille ducentos equites, tormenta duodecim aſſcribit, cum mandato, ut in agrum Batavum tranſiret, quem Rhenus in Vahalim ſuique nominis alveum diviſus amplectitur. Ipſe undecim peditum millia ſibi ſumit, equites bis mille, machinas octo haud amplius, plura ſimul agitans, Friſiæque, ſed magis Velaviæ intentus: ita pars Geldriæ dicitur, quam Rhenus idem & commiſſus Rheno Iſala ambiunt, Trajectum Batavorum mox animo agitans, magnam urbem quam validam, & vulgo mobili promtam ſeditionibus.

Ipſe Spinola Friſiæ Velaviæque intentus.

Quo expeditior pergeret, remoto caſtris mulierum comitatu, victum curribus, tum ſcaphas, pontes, etiam molas attraxerat. Quod ſi deſtinata proveniſſent, & utroque ex latere coiſſent exercitus, Fœderatorum intima minusque firma ad vim patebant, extima eademque munitiora auxiliis & commeatu avellebantur. Sed Tubantum finibus euntem Spinolam tenuit fœdum aſſiduis imbribus cœlum: unde æger miles viisque fluentibus lentum adeo iter, ut quo primi pervenerant, poſtremi vix altero die ſequerentur. Ita in Friſiam aditum quæ intercedunt paluſtria plus ſolito humentia abſtulerant.

Mauritius præcipua urbium contra Spinolam munit.

Simul Iſala, alias quoque haud ſpernendum flumen, aquis pluviis ita intumuerat, ut vado tranſitum non daret. Nactusque inter has moras Mauritius tempora ſubvehendi militem (decies mille pedites, bis mille quingenti equites erant) adſidere amni, Daventriam, Zutſaniam, Duſoburgum, præcipua oppidorum præſidio atque opere firmare, cætera permittere eventui. At Marchio alia atque alia conſilia verſans, dum cuncta explorat, dum cœlum commodius opperitur, infenſus otio, mittit interim qui Lochemum Zutphanienſis

1606. pitionis oppidum, levibus munimentis, ſed illis in locis moranti haud incommodum, obſidio premant. Trecenti tantum ſervabant, imminuto præſidio, dum majoribus urbium conſulitur; præcipue ſimulata peti Daventria Mauritium in ſe traxerat: itaque poſtero die, perductis jam ad foſſam operibus, oppidum dedunt: viſum Hiſpanis & collem in proximo immunire. Sub idem tempus Buquoii juſſu Pompejus Iuſtinianus quatuor mille pedites ducens, quingentos equites, machinas duas, mane primo vicum advenit, cui Spardorpo nomen eſt, ripa Vahalis ſiniſtra, promtiſſimosque militum imponit lintribus, quas triginta advexerat, ipſe mox cæteros traducturus, egregio ordine, ſimul ſolvere juſſi, ſimul exſcendere lecto ad id loco: neque enim ubique appulſus facilis. Sed Warnerus Duboſius, cui latus iſtud imperii tuendum Princeps dederat, repentibus nuntiis Noviomago excitus ripam interiorem oppleverat. Iſque conſpectus terruit nautas, qui ſimulantes impetu ſe fluminis abripi, quo minus deſtinatum ad locum pertingerent, mox retro ceſſere. Parabat Iuſtinianus iterum Vahali militem immittere, ſed agglomerantibus copiis valeſcentes Batavi, devectæque Gravewarta bellicæ naves vetuere. Tum ſollicitus, ſi unquam alias, Mauritius, ne tot ſimul locis, tantisque copiis imminente hoſte improviſum vulnus acciperet, quicquid a primo Rheni divortio Bommelianos usque confluentes Vahali prætexitur, tum quicquid latere altero Arnhemo atque inde Hattemo tenus Rhenum intra atque Iſalam jacet ingens ſpatium ſubitis munimentis obducit; intervallis haud majoribus quam ut ſigna commode oculis auribusque transmitterent. Naves quoque crebras amnibus juſſit diſcurrere, ſpectandis hoſtium conatibus, ferendisque nuntiis. Infra Hattemum Iſala quatuor horarum itinere haud longius Friſicum maris ſinum illabitur. Iuxtaque Vidrus, quem nunc Vectim vocant, Weſtfalorum finibus veniens, acceptis mox aquis, quæ Tarantiorum ſolo bituminoſo colorem ducunt nomenque Atri fluminis, flexus ſuos Iſalæ proximat, donec eodem condatur ingenti ſinu. Agri quod amnes ac mare inter pateſcit, Maſterbrukia dicitur, haud abſurda ex antiquo conjectura, Mattiacorum paludes ea voce indicari: peninſula fuit, nunc inſulæ in modum redegit ducta inter amnes foſſa atque opera alia, qua parte Suolla eſt, Transiſalani juris oppidum. Poſtquam adempta cætera, hæc per loca jungi pelago,

Huic ſe dedit Lochemum.

Iuſtinianus militem Vahali traducere a Duboſio prohibetur.

Mauritius contra imminentem hoſtem ingentia ſpatia munimentis obducit.

lago, aut certe Suollam claudere, ſpes Spinolam invaſerat. Et quo falleret, ipſe legens Zutphaniæ propiora, atque illac miſſis libratoribus Iſalam pertentans, cum parte exercitus Solrium mittit. Sed & hujus conatus celeritatem imbres diſtinuerunt, donec Suollam perlatus adventantium rumor: & qui ibi tum curabat Warmelous, adjuvantibus bellicis navigiis duobus, hoſti Vidrum tranſire paranti reſtitit. Tormenta Solrius attulerat duo, ſed & globis juſto majoribus & tabulatis, queis ſuſtinerentur, per errorem inſpectorum haud reſpondentibus, nulli uſui fuere. Vbi nec hoc ſucceſſit, & tota illa ſpes amnes transeundi in vanum abiit, verſæ ad obſidia curæ: & ipſe Spinola Grollam, Zutphanienſi in comitatu, caſtris circumvenit: Buquoio mandat Noviomagum aggredi, ut, ſi nihil aliud, hoſtem Iſalæ tutela averteret. Buquoius primum Archiducis juſſa ſcitari, poſtquam idem & ipſi placitum, alias Vahalis transeundi vias novosque conatus obtendens diem ducere, veritus ne irrito labore famam corrumperet. Grolla, niſi qua Slinga amnis præfluit, vallo duplici ambitur. Præſidium mille trecenti milites Dortio regebantur, juveni claris majoribus nec ultra noto. Primum erumpere auſi, mox haud ultra tela certavere, quæ ſpreta hoſti, cui gravior temporis quam militis jactura. Exteriora mœnium non exſpectato impetu deſerta, duobus locis Itali Hiſpanique ſeptimum intra diem capiunt, adjuti pontibus, quos impoſito doliis panno exſtruxerant. Germani, queis tertia regio obvenerat, ſegnius irrepſere. Mox primi obruta foſſa Itali propugnaculum ſubeunt, cæteri repulſi, aut longius aberant. Tum oppidani ſuffoſſiones, & propiora prælia metuentes, præfectum adeunt, orantque præveniat ultima, nec irritet ducem ſuorum quoque ſanguinis, nedum hoſtilis prodigum. His ille victus, quanquam acceptis literis, quæ auxilium biduum intra promittebant. Nam Mauritius Vahali quoque & Transiſalanis urbibus præſidia abduxerat, tentaturus ſi qua obſidium perrumperet. Gnarum id Spinolæ, ideoque addiderat minas in pertinaces, & cedentibus benignas pactiones. Haud tacendum reor, adeo nullam plerisque partium curam, ut Grolla aliisque ante oppidis captis, cum per pacta egredi liceret, manſerint oppidani prope omnes contenti qualibuſcumque ſacris, qualicumque republica. Capta Grolla Marchio, cum imbres & per victus inopiam & humentibus campis fatiga-

1606.

Spinola tentato fruſtra Suollæ obſidio ſibi Grollam, Buquoio Noviomagum expugnandam injungit.

Capta Grolla Bercam obſidet.

 rent,

1606. rent, Bercam obſidere ſtatuit, ſitam eminentiori ſolo, & propinquo ad caſtra commeatu: poſtquam majora conſilia haud evenerant, non aliam urbem digniorem ratus, de qua totis viribus certaretur, ſeu commoda loci ſeu famam ſpectaret. Nam Berca, prioris ævi in morem, lapideos quondam muros nulla arte ſinuatos foſſamque habuit: hoc bello, mutata ſæpius poſſeſſione, aggerem leviter ſtructum foſſamque aliam partim Hiſpani, partim Batavi circumjecerant. At anno proxime elapſo Erneſtus, in id ipſum miſſus, novum ambitum lunatis operibus & alibi propugnaculorum in modum excurrentibus continuaverat; & his ſua foſſa, modico prædučta aggere: tum, quo largius præſidio ſpatium foret, cunei in morem loricæ addebantur: ſparſimque per campos, qua oportunum, quadrato opere militum ſtationes. Et quæ oppido præjacet inſula caſtello ſimilesque per loricas ac ſtationes tenebatur. Pons inde impoſitus Rheno Germanicam ducit in ripam, inque ipſa ripa juſta caſtelli moles, minor altera, iterumque loricæ. Prior relicta Geldria Buquoius Agrippinenſium per agros ad oppidum venit, capta in itinere Batavorum nave, quæ Rheno ferebatur, & aliis exuſtis, quarum nautæ profugerant. Sed priusquam aditus clauderet, profectus Mauritii caſtris (ea ad Duſoburgum hactenus fuerant) frater Henricus, multo equitum comitatu, centurias peditum quatuordecim oppido intulit: quibus increvit magnum & ante præſidium, ut eſſent jam equites prope ducenti, pedites ſupra ter mille. Reliquum equitis in caſtra reduxit Henricus, nec laceſſens hoſtem prælio nec laceſſitus. Sed clauſere ſe oppido clari ſanguine atque opibus Gallorum juvenes, quos inter Subiſius ducis Rohanii frater, oſtentandæ virtuti, parandisque artibus, quibus urbes impetere, aut tueri longus bellorum uſus invenerat. Paucis poſt diebus, vergente in autumnum anno, per Clivios & Spinola inceſſit, ſibique ſumſit Transrhenana munimenta infringere, illaque arcere Mauritium, ſi forte ſequi auderet. Obſeſſus eques primum illac prorupit, parumque abfuit, quin ducem ipſum cum paucis progreſſum caperet. Proximus in Buquoii caſtra impetus, ubi Baro Fleſſius e Gallica nobilitate, dum promtius ſe quam cautius hoſti infert, in manus venit. Dum Spinola caſtris jam ponte junctis, quod trans flumen erat caſtellum, aliaque operum telis fatigat, Edmundus Scotorum tribunus, iſti curæ præpoſitus, vulnere occu-

Princeps Henricus auxilia oppido infert.

Subiſius aliique Gallorum nobiles juvenes ſe ſponte ſua oppido claudunt.

occubuit; tantumque valuit mors & fortis viri & periti rectoris, ut qui præſidio erant omiſſa ripa retro in inſulam cederent: tuta hæc adverſus hoſtem, Rheno tuente. At Agrippinenſi ora ipſa oppidi munimenta, tormentis, foſſionibus, poſtremo manu oppugnabantur. At Mauritius primum per literas tentare proceres quid faciendum cenſerent: cum hi cuncta ipſius arbitrio permiſiſſent, etiam ut ſi vellet prælio certaret, palam multa velut ſoluturus obſidium moliri, quo ſuis animum, hoſti moram adderet, clam fixerat animo, Bercæ damno annum extrahere, ut adverſus rumores pervicax, ita fortuitorum timens; nec aberat metus, ne, ſi media, abducto exercitu, pateſcit, Spinola relicto obſidio Iſalam Vabalimque repeteret: tum vero recepto intra viſcera hoſte, damnaturos jactantiam, qui ſpecioſa tutis prætuliſſent. Igitur nec contra tendere: nec alia ipſe oppida aggredi: ſed Veſaliam propter ſedere ſpeculabundus: & modo cauſari quod pontes tardius adventarent, modo propius hoſtem progredi, ſed ardentem in pugnam militem in caſtra reducere. Caſtellum hoſti inchoatum qua Rheno Luppia miſcetur, accepit in deditionem perfecitque, pellendo otio, & ne quid obſtaret quocumque uſus tuliſſet iter vertere. Multiſque audendi imitamentis movit hactenus Spinolam, ut aperta prius caſtra muniret, occupatis, qui in proximo, collibus. Proruptum ab obſeſſis iterum ſæpiuſque, majore ubique numero, nec infeliciter, & clara ubique Gallorum audacia. At ubi propius vis hoſtium urgebat, haud parum noxæ cuniculis dederunt. Sed elanguit animus, poſtquam auxiliorum ſpes nulla, & hoſtes cladium ſecurus, opera, tela, pugnas urgebat. Nitrati copia in longum ſuperfuerat: ſed prodige uſi effecerant, ut hujus quoque penuria deditionis feſtinandæ cauſis accederet. Volebat videri Vtenhovius (is Bercæ præerat) & Galliæ dediſſe, ne florem juventutis & magnarum domuum pignora in exitium projiceret, patriæ haud profuturum. Ereptis in partem propugnaculis, nec ſane validis interioribus, deduntur oppidum, inſula, & quod intus navium. Quingentos e caſtris, intus haud æque multos, ſed hos inter Sanctangelium Gallum claris natalibus, globi aut prælia abſumſerant. Movit Batavos famoſi oppidi jactura, quæ poſthac belli fortuna reputantes, ſi nec exercitu contra iretur, nec munimenta niſi breve in tempus ſubſiſterent: id partum immenſo muniendi labore, ut in paucos ultra menſem

1606.

Mauritius Bercæ damno annum extrahere ſtatuit.

Berca deditur.

ſem

1606. ſem dies exiret obſidium. At veterem rudemque operum Bercam, ſexto ante anno, arma ſua diutius contemſiſſe. Pridie quam Berca traderetur, Henricus Naſſavius accepta parte copiarum, nocte Venloam conabatur irrumpere, diſcuſſa porta vi machinæ, quam appenderat, & quidam militum per propugnaculum, quod amni Moſæ imminet, eniſi. Sed porta alia obſtabat; & priusquam frangeretur, oppidani & qui ſub præſidio erant equites peditesque impetum retudere. Parte alia maritimis Flandriæ oppidis per natatores navesque e Zelandia ſtructas inſidias eventus deſtituit. Nutantem multo fœnore Spinolæ fidem infauſti ex America nuntii graviter afflixerant, quibusdam mercatorum, quorum implicitæ cum ipſo rationes, coactis conturbare. Vnde pecunia deficiebat, & ſolitus ſolari militem parte ſtipendii repræſentata, jam ne id quidem poterat. Ac nuper Wachtendoncæ ortas diſcidii voces unius militis cæde, & pœna inſuper duorum, præfectus oppreſſerat. Mox continua itinera & in caſtris labores retinuerant diſciplinam. Poſtquam Berca ceſſerat, nec aliud hoſtile in proximo niſi Murſa, quam præſidio gravem aggredi Spinola autumno augeſcente verebatur, accenſi otio queſtus: nec tantum paupertas, ſed morbi, laſſitudo alios omnes, equitem præcipue pabuli egeſtas irritabat. Multi ad Mauritium, pars alio fugere: quibus plus animi, ignava habere, quæ ſingulis fierent, ipſi per globos palari campis, mox eligere rectorem, aliaque ordinare quæ ſeditiones indicant validas ac duraturas. Dum paucitas contemnitur, Spinola primum proſcribere nomina, ac velut legibus reos agere: ubi invaluerant, per legatos blandiri: ſed illis ſine viribus minæ, & ſine rebus promiſſa perinde curabantur. Sexcenti ferme, pars major equites, Hochſtratam conceſſere, notam talia cœptantibus ſedem. Sed nulla loco jam munimenta, quia Archiduci Batavisque nuper convenerat, ut ipſe hanc arcem, illi Woudam viciſſim, nudata belloque excepta dominis permitterent. Et conſurgere Alberti juſſu in ultionem copiæ audiebantur. Igitur Bredam propius conſident, mittuntque ad præfectum Iuſtinum Naſſavium, qui dicant aliorum ſe exemplo Mauritii ad opem confugere, quem norint æquum viris fortibus: non adeo leve in ipſum pugnare, ut ſine pretio haberi debeat. Data poſtulantibus alimenta, arma, quinetiam, et ſi periclitarentur, ſpes ſuppetiarum. His motus Spinola, ne longius

Venloa fruſtra Henrico Principi tentata.

Spinolani militis ſeditio.

Dantur illi a Iuſtino Naſſavio alimenta; ſitque ſuppetiarum ſpes.

gius malum ſerperet, fidiſſima cohortium propinqua in oppida dimittit, reliquum exercitus Agrippinenſium per agros ſpargit, ut quondam Mendoſa, quibuſdam & a civitatibus pecuniam accipit, quo finibus ipſarum militem abſtineret; honeſtorum retinens dum neceſſitas abfuit. Turbatæ res hoſtium ſpem fœderatis Ordinibus fecere recuperandi quæ hoc anno trans Rhenum perdita, valido ſatis exercitu poſtquam Berca egreſſi acceſſerant. Erant peditum millia non minus quindecim, equitum tria. Haud nimis properatum, velut affluente tempore, nec cuiquam ſuſpecto futurum, ut hoſtium copiæ ſtipendio obſequioque exhauſtis revaleſcerent. Lochemum Erneſtus Naſſavius cum parte militum miſſus quartum intra diem ſubegit, iiſdem quibus nuper Spinola conditionibus. Nec ante Grollam impetiit Princeps, præcipitante jam autumno. Henricus Herenbergenſis ſexcentis peditibus, turmaque ſua, ac multa machinarum vi, oppidum tuebatur. Ac forte fuſi uberius imbres, haud acceptante humo fodientium opera, moram obſidio, ſimul morbos intulere. Parcebaturque militi in ſpem cœli mitioris, cum nuntii adſunt præſidiis agriſque ſparſas cohortes Spinolæ colligi. Tum vero avido Principe & obſidium impellere, & caſtra munire adverſus vim externam, duplicatus militi labor: tardum id fuit propinquo jam hoſte. Nam Spinola ipſe & per duces, quorum præcipua apud milites auctoritas, promiſſa precibus cumulans permoverat, ne abnuerent brevem operam magno uſui famæque. Septem millia peditum contraxit, equites mille ducentos, Mauritio multo impar; attamen prælio inceſſit, virtuti ſuorum fiſus, an expertus hoſti aciem vitari, quæ conjectura haud feſellit. Ipſi mille ducenti in fronte, lectus toto exercitu miles: tum pariter duo Hiſpanorum Italorumque agmina: poſtremo novus ex Germania miles: decem omnibus machinæ: eques latera circumfundebatur, munitus vehiculis ne obrueretur Mauritii turmis: namque eam partem hoſtilium copiarum maxime formidabant. Cognito per exploratores quæ pars caſtrorum leviter nec niſi palis firmata, illac, longiore quamvis & per paluſtria impedito itinere, oſtentat aciem. Mauritius, quanquam Ordines poteſtatem pugnandi fecerant, militesque in pugnam ardentes, Galli præcipue, clamabant, quærendas perpetuo latebras cedendumque hoſtibus, ſi nunc in paucos, madoribus, frigore, eundo fatigatos certamen defugerent, in tuta ca-

1606.

Lochemum Erneſtus Naſſavius ſubigit.

Adventu Spinolæ Princeps Grollæ obſidium omittit.

1606. ſtrorum retraxit copias; multos ſuorum morbidos cauſatus, & facilem inde in cæteros pavorem. Spinola ſolviſſe obſidium, ſuis auxiſſe animum, hoſti imminuiſſe gloriam pro magna victoria habuit. Mox itum utrinque in hiberna. Ordines Foxii Germanicam cohortem conſcriptam hoc anno dimiſere, majora quam cæteri ſtipendia merentem, eoque exemplo gravem. Et terra quidem bellum hac ſtetit. Mari Hiſpanico, poſtquam publica arma abſceſſerant, privati haud parum damni dedere: magnæque naves Hiſpanorum Batavas inſecutæ ſingulas & minores, ultro oppreſſæ. Æſtatis exitu miſſus iterum Hautænius America Indiaque adventantes claſſes excipere, viginti quatuor cum navigiis; ſed horum ſex diſpulſæ tempeſtatibus. Mox improvidis imparatisque Faſciardus ſupervenit, cujus octo magnæ naves, Galeones vocant, vento ſecundo ferebantur: aderant & longæ naves, ſed hæ vim venti haud ferentes littori ſucceſſere. Vt moles Galeonum, ita terror ad id uſque temporis ingens erat: & quasdam olim procellis diruptas aut impactas ſcopulis, ut meminerant Batavi, ita victarum prælio nondum exemplum exſtabat. Vnam harum, Zelandicæ navi a prætoria ſecundæ, cui Reinerus Nicolai præerat, implicitam, ita exhorruere cæteri, ut primum aſpectarent, inde, ſuborta nocte, retro cederent. Ille a ſociis relictus, vir magni animi, non tamen deſtitit duos totos per dies, plerisque ſuorum amiſſis, malo disjecto, lacera nave morari victoriam. At poſtquam nulla uſquam auxilia, & fluctus ingruebant, ne quis vivus in poteſtatem hoſtium veniret, una omnes conſenſere in facinus acre & patriæ profuturum. Flexis genibus Deum precati, veniam ut daret, quod brevi exitio ludibria hoſtium effugerent, nitrato pulveri flammam injiciunt: ea vis ſexaginta homines abripuit: duo ſemiuſti paulum provixere, ab Hiſpanis excepti, cum miraculo ſpectantibus horridos vultus vocesque, & in ipſa morte contumaciam. Sparſis huc illuc Batavis, ex India naves Vlyſſiponem, ex America Fanum Luciferi ſubeunt. Sed India adventantes, ut ab hoſtibus tutos, ita tempeſtates afflixerant. Naves duæ haud procul Bonæ Spei montibus jactu facto inanes Moſambicæ littoribus mare vitaverant. Duas itidem ſub ipſa Tagi oſtia fluctus hauſerat, ſervatis vectoribus, ſed merces humore corruperant. Americanæ naves numero quinquaginta fauſto navigatu argentum mercium-

Hautænii infelix maritima expeditio.

Reineri Nicolai acre facinus:

ciumque pretioſa, duorum annorum proventum Regi ac mercatoribus tulere: eo ſublevata jam manifeſta Hiſpaniæ paupertas, fideſque ſubito refecta. Batavis impenſa periit. At eorundem per Indiam res fato meliore adminiſtrabantur. Rediit quippe Stephani Verhagii claſſis, quam tertio ante anno egreſſam memoravimus, claras toto orbe victorias & fœdera regum ferens. Primum namque obviam Moſambica haud procul Luſitanorum Caraccam ceperant, incenderantque, ne oneri foret. Aliaque navis eaſdem ſub oras, atque alia Calicuto veniens oppreſſa. Ibi Samorinus Malabarum late rex Luſitano nomini per data acceptaque damna infenſus, ſocietatem belli cum Batavis ultro oravit, firmavitque ſacramento; terreſtribus copiis ipſe validus, navium egens. Literæ, quas ad Mauritium miſit, indicabant, placere ipſi, ut Batavis caſtellum ſuo in ſolo ſtrueretur, tum pertracto idem in fœdus Hidalcano vicinorum regum potentiſſimo (Mahumetiſtæ ſunt ambo) Cochino Goæque, præcipuis Luſitanorum coloniis, imminerent. At legati, quos rex Achiemenſium ad Ordines Principemque miſerat, in patriam reportati, inclitarum regionum & gentis domi quoque bellatricis fama Sumatram vicinoſque populos implevere. Mox obvia navis, Moluccarum præfectum Hiſpanicum ferens, in manus venit. Moluccis haud procul nobilis eſt Ambonæ inſula, quam, ut multa ejus orbis, colonia arceque Luſitani inſederant. At indigena populus odio impotenter dominantium amicitiam Batavorum, ut primum eo venerant, avide acceperat, & ob id gravia paſſus, in hos fidem, iram in illos obduraverat. Arcis præfectus, cum ſub ipſa munimenta ſubire claſſem proſpiceret, miſit ferociter qui interrogarent, qui eſſent, quid illis rei apud præſidium ſibi creditum. Reſpondere illi, Ordinum fœderatorum ac principis Mauritii imperio venire, ſe regis gentiſque Hiſpanorum atque ipſius publicos hoſtes, cæterum qui forent brevi ſenſurum. Simul oppugnandæ arci expediebantur. At ille, ut atrox in imbelles, ita adverſum armatos pavidus, haud exſpectato impetu, dedidit arcem triginta inſtructam machinis. Sexcenti cum ipſo datis navibus proxima in littora devecti. At quadraginta ſex Luſitanis cum ſua cuique familia manere ſuetis locis, inque Ordinum & Mauritii verba adigi volentibus fuit. Cum indigenarum primoribus (namque hi inſulam regunt) fœdus factum quale cum Bandanis ante memo-

1606.

Paupertas Hiſpanica Americanis navibus ſublevatur.

Res Fœderatorum per Indiam Orientalem feliciores.

1606. memoravimus. Additum, ut fidem Batavis juramento ſinguli firmarent. Relicto hic præſidio, diviſa claſſis, & Bandam alii, quinque naves, Cornelio Sebaſtiano ducente, in Moluccas ferebantur. Sed, ut intelligatur quanta tum de re certatum fuerit, inter duos populos mari potentes, res altius repetenda eſt. Inſulas inter, quas tot millia Oceanus Indicus complectitur, ut numerari hactenus nequiverint, eminent quinque, vel hoc uno, quod aroma clavi ſpecie, quod caryophyllum dicimus, ſuaviſſimi odoris,nec minoris uſus condiendos ad cibos, prope ſolæ ferant. Nomina illis nunc nota ſunt Ternata, Tidoris, Motiel, Makiam, Bacian: olim alia fuere, Cupe, Duco, Moutil, Mara, Seke. Magnitudo ſingulis fere, quæ Walachriæ apud nos: cœlum ut percoquendis aptum frugibus, ita corporibus humanis grave, ob vapores, quos ſol adeo imminens haurit; quippe poſitis ſub Æquatore terris, quarum & viſceribus incenſis flammant juga. Sinenſes circa annum, qui Chriſtianis numeratur a milleſimo tertius & decimus, late per Indiam effuſi has quoque inſulas tenuere, non ſine ſumtu & ſanguine; quorum tandem pertæſi introrſum ſe recepere, derelictis quæ ſexaginta per annos poſſederant. Poſt hos profecti Malaccenſi regione inſedere, & his pulſis, Perſis mixti Arabes, qui & Mahumetiſmum intulere, mixtum diu inolitis ſuperſtitionibus & paulatim quoque ab his ſecretum. Nec aliunde ipſum nomen, nam regna Moluccas Arabes vocant: ab iiſdem regum nomen Sultanos, & alia vocabulo uſurpant. Græcis veteribus ac Romanis ignoratæ hæ inſulæ, niſi quod videri poſſunt latuiſſe ſub communi Sinarum nomine, aut inter inſulas Iambulo viſas, quas Diodorus Siculus memorat. Ipſum tamen caryophyllum habuere per Orientis populos: & quia Ægypto transibat auctum hinc Ptolomeis regibus, & qui in eorum potentiam ſucceſſere Romanis vectigal. Labeſcente re Romana, Genuenſes & ſecuti hos Veneti per Theodoſiam petiere, quæ Caffa poſt appellata eſt. Ex quo Conſtantinopolis in Latinos ceſſerat, & Græca invidia alias imperii ſedes, inter has Trapezuntem legerat, tractum huc per Caſpium mare mercimonium; itinere olim quoque Romanis non tam uſitato, quam cognito, ut ex Varrone Plinius docet, & poſtquam ibidem Turcæ invaluerant per camelos ac dromadas Aleppum ivit: ſed Cairum qui tenuere Sultani rubro iterum mari & Alexandriæ reddiderunt. Luſitani poſtquam multi Afri-

Rerum in India a Batavis geſtarum altius repetita deſcriptio.

cæ

cæ Aſiæque cognoverant, coloniiſque inſederant, anno primum exacti modo ſæculi duodecimo in has inſulas venere, armatique regum ibi diſſidiis & ſua claſſe facile caryophylli ſe dominos fecere, corruptis etiam navibus, ſi quæ ab Arabum aut Perſarum oris venirent, & omni in Ægyptum itinere præcluſo: ita Sultanis non minus octuageſies mille ducatis annuum periit. Reges erant ea tempeſtate Ternatæ Bolciſus Borgei filius, vaticinari etiam inter ſuos auſus; Tidoris Almanſor, infeſti inter ſe veteri certamine & dominationis augendæ avidi, quod ſervitutis utriſque initium fuit. Luſitani Ternatenſis, ut qui latius regnaret, ſocietatem prætulere, &, ut nihil illicitum crederent in homines Mahumeticæ religionis, Almanſorem juſſa ſua detrectantem veneno necant, quam ob cauſam filius ac hæres ejus Raxamira fidei ſe permiſit Caſtellanorum, qui octavo poſt anno in eas partes palam, ac velut poſſeſſuri, venere, quas tamen e ſuis Magallano priuſquam Luſitanis viſitatas ajebant, & diviſi orbis pacta locorumque poſitum, multo adhuc dimenſionum incerto, ſic interpretabantur, ut ſuis finibus hæc includerent. Hinc cum barbarorum odiis Hiſpaniæ duo populi implicarentur, pugnatum acriter, nec diu tamen, quia in Caſtella regnans Carolus quintus Imperator pecuniæ egens, necdum ſatis intellecto quanta res ageretur, acceptis a Iohanne tertio Luſitaniæ rege ter centum & quinquaginta ducatorum millibus, jus illi ſuum in Moluccas pignori tradidit. Ex eo Luſitani pro libitu illic agere. Caryophyllum omne Goam mittere, unde Perſæ, Turcæ, Sinenſes, Afri petebant, vix tertia parte remanente; quæ Europæis gentibus venderetur. Itaque haud mirum ex Moluccis inſulis & Ambona, quæ haud longe eandem fert frugem, & Banda, ubi nux odorata optime naſcitur, cujus eſt flos, quem macin vocant, veniſſe quotannis Luſitaniæ regibus ducenta millia ducatorum. Nihil ad hæc piper & zinziber, paſſim naſcendo vilia, nihil aroma caſiæ, maris ægre tolerans. Cum opibus & in barbaros reges injuriæ creſcebant. Verſa palam in dominationem ſocietas, & quæ olim fidei vincula, fallendi nunc artes erant. Bolciſo mortuo, qui in regnum ſucceſſerat filius Bajanus pro captivo habetur, & poſt eum frater idemque & rex Dajalus. His quocunque modo mortuis, regnum accepit Airias, qui & ipſe vinctus primum & poſt trucidatus, nullam ſane ob culpam, integer obſequii, ſed invidia potentiæ. Nam multæ inſulæ circum 1606.

quæ

1606. quæ primoribus ante hac regebantur, admiratione virtutum ejus in regnum ipſius conceſſerant, ita ut ſupra ſeptuaginta imperio teneret, & Celebum, Mindanai, Giloli haud exiguas partes. Filii majores duo tam triſti exemplo territi, regium nomen ac periculum defugere. Tertius, Babus nomine, auſus accipere diadema, & promittere ultionem, mirum quanta pro ſe ſubditorum & vicinorum ſtudia repererit: hoc imperante primi ab Europa Angli Draconis ductu poſſeſſionem Luſitanis turbavere, anno ſæculi ſeptuageſimo nono. Ab his Babus auxilia exſpectare juſſus diu ſpei irritus, barbarorum quoque, ut ſolent, paulatim langueſcentibus animis, audito coiiſſe in Philippum Caſtellæ ac Luſitaniæ opes, miſit ad eum qui paternæ cædis ultionem excuſarent, & fidem in poſterum pollicerentur. Sed ambiguis reſponſis eluſus, & mox mortuus ad fratrem Zaidam cum regno pro ſpe veniæ odium in Hiſpanos transmiſit, data occaſione erupturum. Nec deerat Molæus, qui poſt Raxamiram Gunæ patri, quem Zaida interfecerat, & Gnapabagunæ fratri, incertum cujus per venenum ſublato, in Tidoris regiam ſucceſſerat, Luſitanos officiis ſibi illigare, in æmulum accendere. Tales eos Batavi invenere cum primum, ut ſuo loco memoravimus, in eum orbem delati ſunt. Anno ſæculi ultimo prima, quæ Luſitanorum potentiæ æquari poſſent, arma Batavorum Zaida lætus vidit, deſcenditque in partes tanto animo, ut non Hiſpanos tantum hoſtes, ſed & Anglos commercia orantes contemneret, Batavos vere ſocios ac ſuos marisque liberatores vocans. Contra Tidoris rex etiam arcem in ſuo ſtruere Luſitanis permiſerat. Antequam Cornelius Sebaſtianus pervectus huc eſſet, Angli rurſum navibus aliquot advenerant, late jactantes Britanniæ Hiſpaniæque pacem apud Luſitanos, quibus externa cuncta illic hoſtilia, ſed tunc amicitia in Anglos ſimulabatur, prægravante Batavorum metu. Nec tantum quæſtus his imminutus, mercantium copia, ſed bellum in Tidorim parantibus, hactenus Angli obſtitere, ut nitratum, cujus maxime penuria laborabatur, Luſitanis venderent. Perſtitum tamen in conſilio: interque Zaidam & Batavos ita comparatum eſt, ut ipſe, traducto in inſulam Tidorim ſuorum exercitu, bellum oſtentaret tantum, Batavi arcis oppugnationem ſoli peragerent, quia barbari ira quam conſilio feruntur, & retuſi propere langueſcunt. Nautæ igitur Caraccas primum duas, ſtationem propter

pter habentes, ſcandunt expugnantque: tum vici aliquot 1606.
incenſi, terraque ſimul & navibus directa in arcem tormenta. Ac poſtquam centurio Mollius, re propius inſpecta, ruinis patere aditum retulit, faciunt impetum, telisque & immiſſis ignibus rejecti repetunt. Ibi Torrim Hiſpanum infeſta in ſe haſta ruentem Mollius, vitato leviter ictu, amplexu premit, atque una humo decidit; proximumque e ſociis monet, dum ipſe luctantem tenet, ille Hiſpano caput tubi ictu diverberet, quod factum. Sed eniſi in arcem numero haud plures ſeptem recedere cogebantur. In receſſu fracto crure procumbentem Mollium comites humeris deportant, renitentem diu, clamantemque iterum hoſtibus ac validius conſilirent, vilem ſui curam, & ubi arcem cepiſſent, ſocium recepturos. Forte turris, & in ea vis nitrati, globo percuſſa ignem concipit, quo ſexaginta Luſitani conflagravere. Eo in pavore oppugnatores arcem invadunt, capiuntque. Fœminæ & imbellis ætas in rupes confugerunt, armis impervias, ſed victu aquisque præciſis ad deditionem coactæ, ſimulque virorum, quod arci captæ ſuperfuerat, in Philippinas travectum: pulſumque Moluccis Luſitanorum imperium, niſi quod modicum caſtellum Timoſa inſula reſtabat. Regi Tidoris non vitam modo, ſed & potentiam Batavi ſervavere, dum famæ quam ſecuritati conſulitur. Ille, ſpe nulla alia, amicitiam cum Ternatenſi, cum Batavis fœdus ſimulans, premebat dolos in tempore erupturos; exoravitque, velut quo certior inſulæ libertas foret, ut arx dirueretur, quam cuſtodiri augerique rectius fuerat. Aliæ quoque naves India rediere, miſſæ a mercatoribus antequam unam in ſocietatem coiretur; nec hæ ſine præda: nam Caraccam Machaunte venientem interceperant, Pataniam apud inſulam, cui tum fœmina imperabat. Ea, cum ſuo in regno parta ſpolia ad ſe pertinere contenderet, movit Batavos, ut prædam partirentur, partitamque ab ipſa redimerent. Pars Indicanarum mercium præcipua ſericum e Sinis petitur, valido florentique imperio. Sed advenis aditum præcludere pars prudentiæ habetur: & extrema ora morantes Luſitani gentem ſuſpicacem multis artibus territabant, ne Batavos pugnaces, ac mari potentes finibus admitterent. Sed dum vicinorum regum per gratiam ambitur iter innoxium, interim per Sinenſes mercatores, qui Iavam aliaque loca frequentant, eadem commercia celebrabantur. Viciſſim e Batavis ad Indos mittitur

1606. titur Paulus Cardenus octo navibus : nona priuſquam exiret fortuito igne periit. Ac ne vicini tanto labore quæſita defenſaque ultimæ Aſiæ commercia ſuos in uſus verterent, Fœderati edicto cavere, ne quis indigena aut incola domo aut aliis e terris eas in oras proficiſceretur, extra imperium ſocietatis quæ in Batavis coierat : quod contra obtrectantes neceſſitate & paribus exemplis excuſatum, auctumque ſecutis temporibus per novas cautiones & ſeveriora ſupplicia, prout fraudes admonuerant. Clara & funera hic annus habuit. Virorum principum Philippus Hohenloius in Batavis, in Germania Iohannes Naſſavius obiere. Hohenloius militia acer atque intrepidus, dux haud æque providus, Mauritii olim per juventam ductare copias ſolitus, mox ubi nullum ſui uſum videt, tædio ac mœrore tandem & per crebra convivia ſolutis artubus, exitum habuit lentum viroque forti gravem. Naſſavium ſenecta extinxerat, Wilhelmi Arauſionenſis fratrem, cumque ipſo avitas poſſeſſiones ita ſortitum, ut Gallicas & Belgicas ille, ipſe Germanicas retineret. Res fratris inopes pecunia, turbidas conſilio juverat, ſuſcepto & Geldriæ regimine, Trajectini fœderis, illis temporibus per quam neceſſarii, præcipuus auctor. Poſt in ſua regreſſus filiorum armis partes adjuvit : quorum Wilhelmus, Friſios regens, & Erneſtus, ducta ſub id tempus ducis Brunovicenſis filia, ſupererant ; Philippum & Ludovicum bella abſumſerant : nec minus domi ampla ſexus utriusque ſoboles. Inter clara literis ingenia celeberrimum nomen Iuſtus Lipſius occidit, poſtquam famam & ſapientiæ præceptis & Romana vetuſtate, tum novo atque conciſo ſcribendi genere partam diuque ſervatam editis de Hallenſi & Aſpricolli narrationibus apud multos imminuerat. Vulgatis contra libellis reſpondere diſtulerit, an contemſerit, mors brevi ſecuta dubium reliquit. Nec tamen omiſerant Batavi ac Belgæ certatim inſignem viri memoriam verſibus atque orationibus celebrare. Conjugium quoque illuſtre Naſſaviæ domui contigit : Borbonia virgine Condæi filia nupta Philippo principi, qua affinitate Rex ipſi illigatus poſſeſſionem Arauſionenſis oppidi terræque liberam reſtituit ; quamvis Delphinas Senatus conventus ſui partem regnoque ſubjectam diceret. Priusquam opus prioribus diſpar, res Batavas ex bello tam gravi ac diuturno hunc circa annum ad pacis conſilia verſas aggredior, quid tota Europa quietum, aut in armis, qui apud ipſos vici-

Hohenloius & Iohannes Naſſavius obeunt.

Lipſius moritur.

Borbonia nubit Philippo Arauſionenſi.

Rerum interim per Europam geſtarum relatio.

vicinosque animorum motus privatim aut publice breviter 1606.
aperire haud incongruum putem ; quando magnis ubique mutationibus velut fatale id temporis , externaque noſtris , nec minus noſtra externis , momentum tulere. Totus Septentrio , regnis antiquitus libertate permiſtis , in arma exarſerat , prope iiſdem , queis olim Batavi cauſis. Sigiſmundus, dum Ieſuitarum juſſis obtemperat , amiſſa Suedia , ægre Poloniam retinebat. Nam in Suedia Carolus poſito ducis nòmine , decreto Ordinum ſuorum regem ſe nuncupans , poſt acceptam Rigæ obſidio cladem vires reparans , imminebat Livonum finibus. In Polonia Samoſcius , regni Cancellarius, dum vixit , ſapientibus conſiliis & reverentia ſui Regem proceresque flexerat ut leges & pax ſervarentur. Ejus morte odia primum , mox vis aperta : & erant qui ſupremis propinquo monitos primores dicerent , multis artibus attentari libertatem , & ſe quidem , quam accepiſſet rempublicam , relinquere ſuperſtitibus , viderent nunc ipſi , nequid inſcitia aut ignavia peccaretur. Sane haud multo poſt procerum primi , Palatinos vocant , in arma prorupere , accuſantes Regem , quod amiſſo priore matrimonio , inconſultis Poloniæ Ordinibus , ducta mortuæ ſorore , ſimul regnum inceſtu polluiſſet, & arcano fœdere Auſtriacæ ſe domui obſtrinxiſſet : quodque in honoribus exuta æqualitate , Proteſtantes Romanenſibus poſthaberentur. Poſtulabant & Ieſuitas pelli Cracoviæ præfectura : liteſque etiam ſacerdotibus ortas , non Romæ longinqua per itinera & ſumtus , ſed domeſticis judiciis diſceptari. Indictoque gentis concilio Regem vocabant diluenda ad crimina ; ni veniret , additis minis , ſceptrum ſe ac coronam , imperii inſignia , quæ more patrio ipſi cuſtodiunt, in alium tranſlaturos. At Rex , collecto exercitu , & multis per dona conciliatis , quanquam primis ſucceſſibus proſperum ipſi bellum , pacem prætulit , factumque fœdus Sendomirianum , quo vetera jura novis muniebantur. Sed armis magis quam offenſis ceſſantibus , dum ille ut victos ſpernit , illis impunitas ſuadet iterum audere , quies infida nec duratura. Super , quæ diximus , crimina , & hoc Sigiſmundo objectum , quod injuſſu publico auxiliis Demetrio miſſis Poloniam bello implicuiſſet. Is Demetrius , Baſilidæ crudelitate notiſſimi filium , & , qui poſt illum Moſcoviæ potitus eſt , Theodori ſe fratrem , poſtquam Boris imperium invaſerat , quæſitum ad mortem , & ſuppoſito qui occideretur alio , in

1606. Poloniam avectum, claritatem generis diu diſſimulaſſe memorabat : & pleriſque perſuaſerat, ſimiles corpore notas præferens. Sed adverſus Borim regnandi bellandique veterem, infelicia ipſi arma. Vbi is mortuus filium reliquit Theodorum quem diximus, tenera ætate matri obnoxium, pars magna Ruſſorum, queis æque inſolita puerorum ac mulierum imperia, ad Demetrium deſcivere. Statimque præcipuam urbium Moſcoam plebs ipſi aperuit, trucidatis in gratiam novi domini vidua Boris filioque. Sed brevis regni fortuna : nam ſacerdotes offenderat Ieſuitarum auctoritas, quibus ille ſuaſoribus miſiſſe ad pontificem Romanum, Græcasque cæremonias Latinis mutaturus ferebatur. Nec minus proceres indignabantur, quod externos corporis cuſtodes, inque aula & interioribus conſiliis Polonos haberet. At plebs amorem atque odium, non ſponte, ſed qua duceretur, rapiens, excitatur vulgata fama, non Demetrium, qui putaretur, ſed monachum eſſe fugitivum, magicis inſtructum artibus, immiſſumque a Polonis mancipium, quo res Ruſſicas perverterent. Ipſis in nuptiis, quas Polona cum virgine, Palatini Sendomerii filia, celebrabat, orto tumultu Demetrius, ſeu quiſquis ille fuit, (nam poſt mortem quoque ambigitur) cum ſaltu e ſublimi vitare pernitiem fruſtra certaſſet, caſu debilitatus, ſtatimque confectus eſt. Addita ingens Polonorum ſtrages : & concitor aliorum Scutskius imperium occupavit, initio inſtabile, dum externati feritate animi, tardeque in novum principem conſentitur : mox, ut barbaris ſolitum, metu ſuppliciisque firmatum eſt. Tranſilvaniam quoque & proxima Hungariæ magnis motibus involverat ſeditio imperatorii militis, præfectorum rapinæ, & Proteſtantibus jus religionis ereptum : incumbente & hic in Ieſuitas belli invidia, ut talium auctores. Erumpebant ſimul oppreſſæ diu querelæ, contemni ſe plane, nec, ut majoribus ſervatum, adeſſe conventibus principem, audire populi preces : ſed clauſo intra aulam Rudolfo, armorum conſiliorumque ſummam penes externos, quæ ſervituti quoque ſuetis gravia, ſibi hoc magis intoleranda, queis regum juramento ſacratæ leges, pactumque, ne fraudi neu dedecori foret violantibus obſiſtere. Igitur in prælia & oppugnationes urbium itum, gaudente Turca, a quo miſſum ſibi Hungariæ ſceptrum ac coronam Stephanus Botſcajus, dux lectus diffidentibus, & ſupra publicas privatis accenſus injuriis, perſtitit recuſare, Tranſilvania & principis contentus vocabulo. Sed

breve

breve bellum, cui tertius hic annus erat, pax excipit: Turca Perſarum victoriis & nova per Aſiam rebellione infracto; nec ultra nitente Botſcajo, quam ne libertas amitteretur. Imperator Rudolfus duobus hoſtibus impar, Botſcaio Tranſilvaniam, Hungaris indigenas rectores, præſidem fratrem Mathiam Belgicis olim rebus immixtum, & jura queis Ieſuitarum opes coercerentur, Turcæ poſſeſſa retinere conceſſit. Ita poſitis armis haud multo poſt domeſtico veneno Botſcaius intercipitur, publico providus etiam cum de vita deſperaſſet. Quippe morti imminens Tranſilvanis Hungariſque arctam concordiam, crebra concilia, &, dum leges manerent, pacem cum Cæſare commendabat. Sed illo ſine prole extincto, cum ex pactis principatus ad Imperatorem rediret, turbata iterum Tranſilvania, e longinquo regi impatiens. Germania adhuc religionum ſtudiis diſcors: & apud Brunovicum, Patelbornam, Emdam, ut non jam bellum, ita proxime bellum diſcordiæ erant principes inter ac civitates, dominandi nimios, aut parere indociles. Veneti adhuc intra libellos ſe tuebantur, quorum auctores, dicta die, Romam haud ſane ivere, cauſantes itineris fortuita, & infeſtos judices; interim duces utrinque, exercitus, claſſes expediebantur. Nec diſſimulabat Hiſpanus Pontifici ſe auxilio futurum, quo Gallus comperto ſignificavit Romam, ita meritos majores ſuos, ut eccleſiæ pericula non alias magis quam Francicas manus reſpicere deberent: ſin Pontifex Hiſpanum prolatandæ dominationis avidum ſibi aſſumeret, haud immerito ſuſpectum id ſibi, & vel coactum contrariis in partibus fore His minis exterrita Italia, nunquam impune externis armis adita, quippe ſciſſo minutas in poteſtates corpore facilis præda victori. Sed Gallus, ut bellum haud nimium formidare, ita pacem malle: quare nunc Venetos, nunc Pontificem hortabatur, ponerent iras publicum in exitum erupturas. Ipſe domeſticam quietem legibus, pecunia, fœderibus muniebat. Britannia poſt detectas nefandæ conſpirationis inſidias horrida ſuſpicionibus: quas auxit Pontifex, ſuis edicendo, ne præſcriptum a Rege ſacramentum dicerent, adverſum id religioni prædicans: quia eo fides & obſequium in Regem etiam ſi Pontifex vetaret, manſura jurabantur; quod ipſis Romanenſibus tarde creditum, variis mox animis excipitur, ut apud quemque patriæ charitas, aut præcepta de ſacris opinio prævaluerant. Multæ & Anglorum querelæ, quod jus mercatoribus per Hiſpaniam 1606.

1606. haud æqualiter redderetur. At in Hiſpania ſævitum in Belgas illic morantes, quorum commercia cum Batavis ac præcipue Indicano collegio innexa: ærarium quoque diligentius curatum, captis quorum in pecuniis tractandis fides arguebatur. Sed minora malis remedia, quotidianis ad Regem precibus Luſitanorum, ecquem miſeriæ finem poneret? dum bellaretur in Batavos longe remotos, atteri atque exhauriri propiora: uri capique tot naves, ſolas regni quondam florentis divitias: obſeſſos nuper portus Hiſpaniæ, nunc & Moluccas eripi: quin & Caſtellanorum prægrave jam bellum, quod proxima per tempora haud minus trecentis ſcutatorum millibus menſtruis Hiſpaniæ conſtitiſſet, ſpe nulla exitus, ac præcipue quia navium America venientium pericula ingraveſcebant. Sumtus quoque in annos aucti adeo ſupra reditus, ut vitari ſeditio militaris, etiam tam exacta Spinolæ cura, nequiiſſet, & quæ bello parta neutiquam tanti, & contra experimento cognitum, quam firma hoſti amnium atque operum munimenta, quam clauſum ſibi mare, & per alienos fines incerti militum tranſitus; tum ſi manente Batavico Veneticum ingrueret bellum, non paupertas ultra, ſed egeſtas aderat. Rex ipſe juvenis, armorum inexpertus, & qui regiam fortunam voluptatum, quam finium modo metiretur, ni conſiliis cederet, ſponte in bella non ferebatur. Acceſſere metus, veri falſis adaucti, non ſine arte primorum, quibus res Batava in manu, quo cunctantem Hiſpaniam in vera pacis conſilia impellerent. Sparſus quippe rumor, laborare Gallum, ut Batavos definitis ſub legibus, regno ſuo adſciſceret, perruptaque Flandria proferret limitem. At tolerabilius Hiſpanis, liberos relinquere Batavos, quam ſui imperii damno alienum ac maxime æmulum augere; & in vacantes quidem ſpes manebat, per offenſarum oblivia, per diſcordiam inter ipſos, aut cum regibus, quorum ope florebant; occupati in perpetuum amittebantur. Præterea allubeſcente Indiæ fortuna, nova apud Hollandos Zelandosque ſocietas parabatur, quæ valida claſſe vim ſimul mercesque in Americam ferret, & hoſtem terra marique pelleret, ſpe magna prædæ quanta belli ſumtibus ſufficeret. Mox alia fama, ut quondam Genuenſium miniſterio Turca Hellesponti fauces trajeciſſet, ita nunc Batavorum navibus Mauros Granatam & majoribus poſſeſſa repetituros. Alberto quoque & Iſabellæ, huic ut fœminæ, illi ut religioſa ad ſtudia educato, jam & annis gravi alienum a bello ingenium:

Luſitanorum ad Philippum pro pace cum Batavis facienda preces.

inopia

inopia quoque, & toties renata militum ſeditione, populi gemitus fletusque movebant, ut certum ac placidum principatum, quam ſpem cum metu mallent. Sed ante alios Spinola conſilii ejus auctor, quia paucis annis multum gloriæ partum, ne retro fortuna ferret verebatur: ſimul fracta nuper & ſua & regia fide, ſi manerent onera, & Americanos reditus fors aliqua interverteret, nulla ſpe recuperandi quæ erogaſſet, merſus ære alieno, e clara fortuna dedecus atque inopiam proſpectabat. At Fœderatas apud gentes pauci ſperare otium audebant, metuebant quin idipſum plerique, ita a parentibus eruditi, repudianda infido cum hoſte colloquia, & qualicumque pactione tutius bellum, & magnæ hominum multitudini, haud militum modo, ſed & reliquæ plebis, arma, machinæ, exercitus, claſſes quæſtui erant. Nec paucis formidatum, ne ut olim immota, ita nunc reddita pace, Antverpiæ commodiſſimam ſedem mercatura deligeret: etiam, amoto ab hoſte metu, civitatum diſſidia ac turbamenta Reipublicæ timebantur. Nec tamen deerant, illis præcipue in populis, quibus hoſtis & pericula propiora, qui jampridem, dum rapi velut impetu urbes, nec uſquam contra iri, & per prudentiæ ſpeciem fines imminui vident, eoſdem mox ſibi caſus & ſera remedia fingentes, ad pacem animos nimium quoque deflexerant. Æquiores, ut vitandas inſidias, ita tentandum putabant, poſſentne arma poni æquis legibus, incolumi Republica, ſalvis ſacris: nec omittendum hoc tempus, dum res hoſtium inclinatæ, coalita longo obſequio Ordinum auctoritas, & velut ad latus validi duo principes, alter Hiſpano, alter Pontifici juſtis de cauſis infenſi, eoque Batavis fideliores. Hoc intus atque extra rerum ſtatu Hermannus Wittenhorſtius, juſſus Archiducum, Hagam advenit, anni exitu. Idem & antequam prodirent exercitus, vere ipſo, Geldriam Hollandiamque obierat, ſed privata tantum colloquia ſerere juſſus, quorum multa ipſi occaſio per majores aut connubia devincto Batavis nobilitatibus. At nunc, comite Iohanne Gevardo ſcriba Turnholtano (uterque id ſolum habitans, quod tributa partibus penderet, faciliores habebat aditus) potiſſimis procerum mandata Alberti & Iſabellæ oſtendit in hanc ferme ſententiam: Nihil ipſis optatius, quam quietem populis, finem cruentis laboribus dare: nec ignota Ordinibus Archiducum jura, haud aliena poſcentium: ipſi contra promerent, quæ firmandæ ſecuritati arbitrarentur, pacem ſeu indu-

1605.

Eam quoque Spinola ſuadet.

Multi Fœderatorum pacem ſuſpectam habent.

VVittenhorſtius juſſu Archiducum de pace acturus Hagam advenit.

Illi comes accedit Gevardus.

1606. cias, & colloquia palam an ſecreta mallent, ipſis permitti; iniqua omnia & inſidioſa longe fore. Sed quia literas ad Ordines nullas Archiducum ferebant, res dilata. Quos gradus, quæ augmenta ceperit, quibus ſit ſtudiis agitata, cum cura memorabimus: quia & civium id magis ſcire intereſt, quam aut fodientium artes, aut equitum excurſus: & externæ gentes fama non ante majore Batavos acceperunt.

Fœderati nullis ab Archiducibus acceptis literis rem differunt.

HUGO-

HUGONIS GROTII
HISTORIARUM
DE REBUS BELGICIS
LIBER SEXTUS DECIMUS.

SUMMARIUM.

Arcem Groningæ impoſitam Ordines diruunt. Hiſpanus comitem Brukium inſidiis circumventum occidit. Henricus princeps expugnato Erkeleno Herenbergenſem capit. Angli Batavique naves in Indiam mittunt. Angli de occupanda Virginia conſilia agitant. Societatis Indiæ Occidentalis apud Fœderatos initium & leges: Libellis defenditur & oppugnatur. Colloquiorum de pace initium apud Fœderatos arduum: Princeps Oldenbarneveldii ſuaſu ea admittit. Legatis Archiducum pacem urgentibus a Fœderatis reſpondetur. Franciſcus Naia pacis promotor literas Archiducum Ordinibus offert; horum reſponſa & poſtulata. Ordinum ſuper hac re ad ſingulas fœderatas nationes literæ. Suppliciorum indicunt diem. Albertus omnia in Fœderatos vetat hoſtilia: Fœderatorum nonnulli a pace alieni. Glorioſa Hemskerkii in Hiſpanos maritima expeditio. Naia Hagæ pacem urgens claſſem ex Hiſpania revocari petit: de quo inter Fœderatos dubitatur. Henricus per Ianinum aliosque legatos operam ſuam illis offert. Hi alios quoque principes in conſilium adhibent. Naia Arſenium donis ſibi conciliare conatur: hic rem Ordinibus pandit. Fœderati & Iacobus legatos mittunt ad ſe invicem. Artes Hiſpanicæ deteguntur. Fœderatorum indignatio. Allata ex Hiſpania charta Ordinibus diſplicent. Oldenbarneveldii in Verreickium exprobratio. Aliud ſcriptum Ordinibus offertur. Diverſa inter Fœderatos ſtudia. Nihil cum Hiſpano agere volunt niſi claris verbis ſtabilita libertate. Archiducibus longiorem armorum vacationem offerunt. Extra indigenas unum alterumve legationi adhiberi permittunt. Dani aliorumque principum ad illos legati. Illorum ad Imperatoris literas reſponſum. Alberti equites ſtipendio onuſtos deprehendunt Batavi. Albertus Fœderatique partem externi militis dimittunt. Dieſtani ſeditioſi contra fidem Archiducum fines excedere jubentur. Bameſtra lacus ſiccatur. Naves Fœderatorum ex India reduces. Orta iterum lites inter Emdam ejuſque pri[illegible] componuntur. Sueonum regis legatio. Brevis rerum per Europam ge[illegible]m relatio.

HIems remiſſo frigore, ventis inhorreſcens ut ab 1607.
hoſtium incurſu ſecuros Batavos præſtitit, nihil impedito amnium fluxu, tanquam ad pacis conſilia cœlum quoque accederet, ita damnum alia parte intulit fractis navibus, quæ Texeliam pro-

1607.

pter, infidam hibernis ſtationibus inſulam, diverſas terrarum in oras exitus tempora morabantur. At fœderati Ordines, quo domeſticæ quieti, famæque rectius conſulerent, poſtquam ortos olim Groningæ motus imperia fortia, animos quoque in partem dies ipſa ſanaverat, arcem urbi impoſitam dirui juſſere, ut quondam neceſſariam, ita, ſi maneret, haud decoram æquali omnium libertati. Præcipua ſecuritatis tantæ cauſa, dati illis magiſtratus, quorum cognita in partes & publicam religionem fides, ingens ſine ſumptu, ſine odio præſidium.

Arcem Groningæ impoſitam Ordines diruunt.

Nec militibus iners tempus abiit. Bommelienſis inſulæ munimentum haud ſane magnum irrupit Hiſpanus, inceditque, ſilentio excubitoris quem pretio occupaverat. Qui loco præerat centurio trucidatus: cujus hæc arguebatur culpa, quod vigilias haud mutando ſpem fecerat proditioni.

Hiſpanus Bommelienſis inſulæ munimentum irrumpit.

Comes quoque Brukius, fratrum natu minor, Batavis militans, cum patrios ad lares equitaret modico comitatu, in hoſtiles inſidias incidit. Prægreſſus forte ſcriba, tormentis coactus, ſequentis heri indicium fecerat. Ipſe manus conſerere auſus; ſpe nulla, ſed quia capi pudebat. Illata & mortuo vulnera, ſequente filium patris odio fortunaque. Nam hunc quoque ſævitia ſimili, ſcelere majore, Mendoſæ miles trucidarat.

Comitem Brukium inſidiis circumventum occidit.

At Henricus Naſſavius, multo cum equite cædendas ad Spinolæ cohortes profectus, quæ Limburgico agro neglectius hibernabant, cum illi ſe, audito periculo, in urbes recepiſſent, Erkelenum, itineri adſitum impetu rapit, poſtquam porta in machina penſili diſcuſſerat. Modicum id Geldriæ oppidum infirmitatis quondam conſcientia, tributum utriſque partibus pependerat. Sed tum forte in Batavos hoſtilia induerat, recepto Henrico Herenbergenſi, qui prædis agendis eam legerat ſedem. Quinquaginta intus equites conciſi; reliquum præſidii aberat: captus Herenbergenſis, quæ avehi poterant rapta; cætera permiſſa flammis: acriori militum ira, quam ut ducis imperio retineretur, quod quoſdam illic ſuorum durius habitos meminiſſent.

Henricus Naſſavius Erkeleno impetu rapto Henricum Herenbergenſem capit.

Sed fratris iniquiorem fortunam ut egregio facinore compenſaret, Fridericus Herenbergenſis in Flandria Ardenburgum, munitum a Batavis oppidum, parabat invadere, quibuſdam intus militum conſciis. Verum pars horum ob flagitia vincti in quæſtione fatentur incognitum ſcelus, cujus jam exitus imminebat: quippe cum in proximo Fridericus valida cum manu ſignum a proditoribus exſpectaret. Longinqua navium itinera certatim Batavis & Anglis feſti-

Friderici Herenbergenſis in Ardenburgum irrita ſpes.

ſeſtinabantur. Namque Indiam verſus hoc vere duas Batavi, tres Angli naves miſere. Anglorum major in præſens quæſtus: ſed fama laborabat. Nuper enim reverſus ex eo orbe Eduardus Michelbornus, cæde barbarorum ac rapinis maculaſſe commercia ferebatur. Ipſe culpam Indis delegabat, contra cauſam dicente nemine. Nec deerant qui ſimilem audaciam accenderent, ita majorum legibus cautum ferentes, commiſſa in externos, quibuſcum publica fœdera non eſſent, in Britannia non vindicari. Simul agitatum ne Hiſpano ſoli America permitteretur. Partem ejus Virginiam nomine triceſimo quarto cis Æquinoctialem gradu, jamdudum Angli ſibi vindicant, quod primi eam oram interius penetrarint, indito in honorem reginæ Eliſabethæ, quod nunc quoque apud illos ſervat, vocabulo. Coacti, quibus iners domi pecunia lucrum peregre ſperabat, collegia duo fecerant, a queis ſingulæ coloniæ eas in terras deducerentur. Addiderat rex Iacobus leges & præmia, augendæ Britannorum gloriæ: auri quoque & argenti venas humo condi, audacter affirmatum, facile, ut a cupidis, creditum. Initium magno molimini fecit navis una, ſtructo leviter caſtello reperti amnis in ripa, cujus piſcibus atque agri proximi fruge vitam tolerarent qui præſidio relinquebantur; coactis indigenis introrſum recedere. At alia navis Hiſpanorum venit in manus, nec illi vectoribus pepercere: quippe qui pace ac jure domi relictis immenſam novi orbis poſſeſſionem ſolo terrore cuſtodiunt. Nuper & Guianam Britanni repetiverant: ſed in itinere orta ſeditione pars omiſſa navi in inſula manſerat, atque ibi laceſſitis per injuriam barbaris, petiti bello, victus inopes, cavata arbore Oceano ſe commiſere: ita decem continuos dies jactati tempeſtatibus, expulſique in ſcopulos, vix terram tenuerunt. Nec minus illic periculi. Nam capti ab Hiſpano, qui tamen veniam, velut non ſponte illas in oras delatis, dedit. Altiora longe in Batavis conſilia, &, qui mos magnis conatibus, tarde ſtruebantur. Iampridem ingens mercatorum, ingens nautarum copia, tum pecuniæ, quantæ credi non poſſent, penes privatos vacuæ, ademto Hiſpaniæ commercio, nec ſufficiente India, ſola America ſatiari poſſe videbantur, quæ præter ſal & ſaccarum, ac pretioſa ligna & medicamenta metallis inſuper ſcateret. Sed ſpem mercandi præcidebat inſidens præcipua littorum Hiſpanus. Quare ad privatas opes accedere debebat ex publico vis & auctoritas.

1607.

Angli Bataviqueque naves in Indiam mittunt.

Angli de occupanda Virginia conſilia agitant.

1607. Iamque ditiſſimi mercatorum, ſimul alii, quibus e libris ac nautarum relatu cuncta ejus orbis juvandæ patriæ ſtudio indagata, novæ ſocietatis regimen ac jura deſcripſerant, triginta ſex in annos duraturæ. Hanc extra nemini civium liceret adire oras, quæ a Terranova, Gallorum piſcatibus cognita, ingenti tractu freto tenus Magellanico ad utrumque Oceanum porriguntur, & quicquid contra Africæ littorum Æſtivum inter circulum ac Bonæ Spei montes jacet. Quinque menſes inferendis pecuniis præſtituti. Adderent fœderati Ordines bis centena florenorum millia annua, ſex annis primis, mox tanto amplius quantum publicæ rei ſtatus permitteret. Belli ac mercaturæ ſeorſim rationes haberentur: bellum adminiſtrarent naves privatorum ſedecim bellicæ, celoces quatuor, totidemque bellicæ ac celoces publicæ, ſed quas ſocietas ſuo milite inſtrueret, uno cunctæ ſub imperio. Curatores ſocietatis Amſtelodami quidem triginta dimidium ſortis totius tractarent, octodecim in Zelandia quadrantem obtinerent, per Weſtfriſiam & ad Moſæ oſtia quindecim reſiduo imponerentur: nec perpetua poteſtate, ſed ut ſexto quoque anno parti curatorum tertiæ ſuccederetur: non aliis ei officio deligendis, quam qui plurimum pecuniæ intuliſſent. Penes hos mercium, armorumque arbitrium: & præmium laboris evectorum invectorumque centeſima; lucrum divideretur quoties ſortis decimam æquaſſet. De præda maritimi judices cognoſcerent. Ea omnis ſexennio primo maneret indiviſa, ut belli ex fructibus belli onera ſuſtentarentur. Deinceps fœderatorum Ordinum fiſcus decimam, Princeps Mauritius triceſimam, reliquum mercatores haberent. Quatuor e curatorum collegiis lecti ſeptendecim pariter de re ſumma conſulerent. Præfecti ducesque ab his miſſi, jurati in Ordinûm verba, jus redderent, caſtella ſtruerent, fœdera facerent, prout uſus ferret. Domum reverſæ Ordinibus fœderatis exhiberent rerum a ſe geſtarum commentarios. Merces immunes vectigalium forent, veterum perpetuo, aliorum, quæ bella repererant, in annos viginti. Egregii ſane operis auctores impulſoresque, ut ſua cuique blandiuntur commenta, & ſemel laxatæ ſpes in immenſum procurrunt, verbis libelliſque diſſerebant, quod hactenus hoſtilis potentiæ validiſſimum, idem infirmiſſimum fore, ſi armis peteretur. Ita verti in mare bellum, quo genere certaminis, ne multo quidem majoribus hoſtium copiis victos unquam Batavos, quantoque longius id iter foret, tanto illis diffici-

Societatis Indiæ Occidentalis apud Fœderatos initium, & leges.

Libellis pro instituta ſocietate apud Fœderatos diſſeritur.

difficilius, queis molles artus calore diffluerent, præ quos ſuus 1607. Septentrio, & infuſa Oceano patria in omnis incommodi patientiam duraſſent. Americæ extima, qua in utrumque mundi cardinem procurrit, adeo non uſurpata vix dum noſci. Trinitatis ab inſula Æquinoctialem usque nudum & ſine domino littus. Cæteris terris ſparſa Hiſpanorum præſidia, ſed tantis intervallis, ut nec mutuo ſibi auxilio eſſe poſſint, nec interjecta defendere. Iam ſi arma darentur, magiſtri & uſus accederent, quot eſſent illius plagæ populi, totidem in Hiſpanum exercitus fore, fideliores, quam ſi ſtipendiis emerentur, per priſtinæ crudelitatis memoriam tædiumque duriſſimæ ſervitutis. Iam illam magnitudinem, quæ terribilem Hiſpanum faceret, ſibi ſpondere audebant, gloriam certe illius militiæ perpetuam fore, quod, ab ſe remoto periculo, hoſtem in ſui imperii diſcrimen, raro exemplo, auſi eſſent adducere: nec illud in humanum genus leve meritum, Chriſtianam religionem apud gentes ignaras, aut uno ex errore in alium traductas, purius atque ſincerius propagaſſe. Contra alii, multos caſus bellum, multos mare recipere, nec quicquam Marte maritimo incertius. Si Athenienſium pigeret meminiſſe, quorum florentiſſima civitas hac una temeritate concidiſſet, miſſæ haud ita dudum ſub Petro Douſa claſſis improſpera cogitarent. Superatos ſane aliquot præliis navalibus Hiſpanos: ſed nec Batavos circa belli initia terreſtris militiæ fuiſſe egregios: qui ſi tempore & cura diſciplinam accepiſſent, cur minus idem ab hoſtibus metui? Sæpe victos eo proficere cladibus, ut tandem & vincere incipiant. Et ut maxime maritimi Hiſpaniæ populi claſſium uſibus haud ſufficerent, tamen & Anglos & Brittonas, Armoricos & Saxonas conduci faciles. Nec juſtam in Batavorum corporibus fiduciam, quæ ut tolerantia frigorum, ita perpetua Æquinoctialium calorum intemperie liqueſcere experimentis indubitatum. Quadragintane navium id opus, obſidere immenſum illud Oceani ſpatium, ubi inſulæ, portus, ſtationes, ſibi clauſa, aperta hoſtibus omnia, nulla ex propinquo commeatuum, ne quidem aquæ copia? Sane non omnem Americam continuis ſeptam arcibus: ſed ubi divitiæ laterent, ubi commodi appulſus, nuſquam omiſſas munitiones. Vt facilis ſit exſcenſus tot inter adverſa, ubi jam pedeſtrem exercitum, qui Hiſpanicas cohortes illa totum prope per ſæculum coalita poſſeſſione depelleret? Quod ſi & hunc mitti placeret, ſimulque (nam id profecto neceſſa-

Alii illam oppugnant.

1607. ceſſarium) alia claſſe Hiſpaniam claudi, ne qua in Americam auxilia penetrarent, munus id mercatorum viribus, ne Reipublicæ quidem tolerabile, quæ cum eo quod nunc eſt domi copiarum fines ſuos defenſare non poſſit, aut alieno ſe æri penitus ſit immerſura, aut ipſa nudata præſidiis, prius exiguam hanc amiſſura ſoli patrii ſedem, quam juſtam alterius orbis partem armis quæſiiſſe. Nam omnem ſperare inſanum; quem captum quoque contineri vix poſſe, tam grave cœlum plærisque in locis, tantam morborum vim, acrius in Batavos quam Hiſpanos ſævituram, quod hi cibum potumque magis cum modo habere didiciſſent. Barbarorum ſocietati adeo nihil tuto credi, ut adverſum hos quoque non minus quam in Hiſpanos paranda ſint munimenta. Ignotam illis fidem, & quæ alia virtutum nomina: externa omnia inviſa; nunc Hiſpanum odiſſe, mox quicumque Hiſpano in potentiam ſuccederet ejuſdem odii hæredem fore: indigna libertate ingenia, & quæ tamen ſervitium aſperum indignarentur, molle contemnerent. Nunquid enim ignotum, fuiſſe illis in populis, atque eſſe etiamnum, qui humanis veſcantur carnibus, eum optimum arbitrantes cibum, ignotosque paſſim trucident, non aliis odii cauſis, niſi quod homines ſint? Indis certe & Aſiæ populis multo cultius ingenium, & tamen ibi quoque multis perfidiæ exemplis coactos Batavos amicitiam in ſpeciem dominationis convertere. Nedum illo in orbe pax aut fœdera ſperarentur, quem a meliore ſui parte non ſitu magis quam moribus avulſum, & Oceano ſuo ſecluſum undique ultimæ feritati natura damnaſſet. Hi tum de America ſermones erant. Certe bellum finire cupientium intererat ne ſpes iſtæ nimium in animos penetrarent. Nec difficile cœpto moram injicere urbium æmulatu, certatim navium inſtructionem ad ſe trahentium, quibuſdam & intercedentibus ne ſalis ex America petendi libertas ulla lege includeretur. Semota igitur hac deliberatione, non eo minus tamen pacem volentibus difficultates aliæ obverſabantur. Nam ut certa eſſet maxime hoſtium voluntas, rectores tamen civitatum fœderatarum haud pauci, accepta ab Arauſionenſis temporibus ſententia, ipſum pacis nomen exhorreſcebant. Multum huic perſuaſioni deceſſurum apparebat, ſi palam profiteretur hoſtis, contentum ſe ea pace, qua non recuperaret amiſſum bello imperium. Nam quod olim ſpem conciliationis abrumpere pars habita eſſet prudentiæ, cauſam fuiſſe non aliam, quam quod pax ſola ſperaretur, quæ

Societati mora injicitur.

ſecum

ſecum dominum traheret. Contra & ad ſecuritatem,& ad gloriam Reipublicæ pertinere, ſi libertatis ſuæ confeſſionem hoſti exprimeret. Sed bello ſtrepente, & novis quotidie irarum cauſis, ſeu victoria feroces, ſeu clades aliqua ultionis cupidos redderet, rationes quæ pro pace facerent expendere non poſſe occupatos affectibus animos. Sin aliqua armis remiſſio daretur, non defuturos paci fautores, quæ alias etiam per ſe grata Batavorum præcipue ingeniis ad mercaturam factis conveniret: tum qui proxime hoſtem eſſent populi haud facile paſſuros, guſtatis ſemel otii bonis, retro ſe in arma ferri. Initium tantæ rei invenire arduum, ea in Republica, in qua magni nihil niſi conſultis nationibus, atque etiam ad urbes ſingulas facta relatione geri conſueſſet: quem circuitum res iſta magnis haud dubie diſſenſionibus implicanda non ferebat. Qui in conſeſſu erant Ordinum fœderatorum ſuſcepturi in ſe non erant tam ſubitæ mutationis invidiam, ni Mauritius & belli dux, & genere & meritis inclitus, temporariæ pactioni magnus auctor accederet. Ille vero, quantum vix ante quiſquam nomen adeptus bello, nec ſpernens ampliſſimam gloriæ materiam, ſecum quoque ſentiens, omnem cum Hiſpano pacem fraudibus miſceri, ab Oldenbarneveldio tamen, cujus præcipue providentia, & triginta annorum fidè ſuffulta auctoritas pacis conſilia ſuſtinebat, perſuadetur, ne cum hoſte colloquia incipi nollet. Quippe ſedere Britannum tanti belli otioſum ſpectatorem: Gallum vero affectare ſocietate majora; nec obſcura ejus rei indicia. Si Ordines fœderati ad pacem viam ſibi quoque patere oſtenderent, illos qui referre ſua exiſtimarent, ut bello Batavico vires Hiſpaniæ eliderentur, adduci poſſe ut auxilia certa, nec in nomen euntia, promitterent. Wittenhorſtius igitur & Gevardus acceptis jam ab Alberto & Iſabella litteris, quæ verbis fidem facerent, in conventum fœderatorum Ordinum admiſſi, quæ privatim ante dixerant, publice commemorant, laudantes pacis commoda præ belli incertis. Sed quia legati juris Archiducum mentionem fecerant, viſum eſt Ordinibus reſpondere, in aperto eſſe omnibus, queis notæ res Belgarum, ne ſpecie quidem juris ulla Archiduces adverſum Fœderatos populos juvari, niſi ſi quod jus ex victoria ſperaretur. Enimvero, cum jam olim plurimæ nationes, poſt firmatam decreto inviolabili libertatem, unum in corpus coiiſſent, optimo jure ſeſe abducta ab eo corpore membra armis repetere, cujus cauſæ æquitatem reges & principes maximos ictis ſecum fœde-

1607.

Initium colloquiorum de pace apud Fœderatos invenire arduum.

Princeps perſuaſu Oldenbarneveldii illa admittit.

Legatis Archiducum in conventu Fœderatorum pacem urgentibus reſpondetur.

1607. fœderibus comprobaſſe. Quare perſtare ſe omnes in ea, quam Imperatori nuper indicaſſent ſententia, tutam, piam, honeſtamque pacem cum illis eſſe non poſſe, qui ſanctiſſimi decreti auctoritatem vano abjudicati juris obtentu infringerent. Belli mala utramcumque in partem caderent, imputanda his, qui aliena improbe impeterent, non qui ſua fortiter tutarentur. Digreſſus hoc cum reſponſo Wittenhorſtius, ſcripſit deinde Ordinibus, compertum ſibi Archiduces hoc eſſe animo ut paciſcendo quicquam proficere non cuperent, manſura cuncta quo tum eſſent loco. Sed aptior promovendo negotio viſus inter Franciſcani inſtituti monachos ſuæ gentis princeps Franciſcus Naia natus Antverpiæ, ſed ortu Zelandus, patre genitus qui Arauſionenſem Principem ſectatus quondam fuerat, ipſe lingua promtus, & quanquam haud ignarus aulæ, nam & Hiſpaniam viderat, & Bruxellæ magnis negotiis immixtus vixerat, apertum quale Belgis ingenium præferens, ut dolum haud facile ſuſpicaveris, vitæ etiam profeſſione adverſus pudorem munitus, nec repulſæ nec contumeliæ admodum metuens. Hic Bruxella miſſus, Riſwici primum (proximus Hagæ vicus eſt) delituit, per conſcios explorans, quæ maximæ difficultates cœpto obſtarent: inde perductus ad Principem convenientia Wittenhorſtii literis exponit: edoctusque ſpem eſſe nullam inchoandi colloquii, niſi prius ſimpliciter Archiduces Fœderatorum libertatem agnoſcerent, Bruxellam reverſus mox literas affert Alberto Iſabellæque ſignatas tertio Eidus Martias in hanc ſententiam: Pertæſos ſe cruenti Martis, paratosque cum Ordinibus fœderatis, ut cum populis liberis, quos ipſi tales haberent, & in quos nihil juris arrogarent ſibi, pacem facere ſempiternam, aut, ſi ita mallent, in annos duodecim, quindecim, viginti inducias paciſci, aut arma ſuſpendere, æquis legibus, quibus & fidens ſecuritas & populorum commercia munirentur; hac quoque inter cæteras, uti tum poſſidebatur, ita deinceps poſſideretur, niſi permutare oppida aut regiones aliquas communis utilitas ſuaſiſſet. Miſſuros ſe eſſe ad colloquium legatos, gente Belgas: totidem alii ab Ordinibus mitterentur: tempus ſe locumque conventus ipſorum arbitrio permittere. Hæc quo rectius procederent, placere ſibi, ſi ipſis idem videretur, octo in menſes terra marique tam apud Belgas, quam apud Hiſpanos, cunctis hoſtilibus abſtineri. De colloquio ſententiam ſuam Ordines ante Calendas Septembres explicarent. Non poterat Batavis diſplicere ductus iſte literarum, quem

Franciſcus Naia Wittenhorſtio ad promovendam pacem ſufficitur.

Edoctus a Principe paci obſtantes difficultates, literas ab Archiducibus Ordinibus affert.

Literarum ſententia.

paulo

paulo minus ipſi præſcripſerant, mutatis, quæ prior formula 1607.
ab eodem Naia oblata ingratiora continebat: qualia erant, ut
induciis quidem retineret quisque poſſeſſa, pace autem ea demum
quæ retineri conveniſſet. Item ut Indiæ navigatu abſtineret
Batavus. Sed quando mari omnino, terra autem equeſtribus
copiis valentiores ſe judicabant, non ultra ipſis placuit
armorum uſum octo in menſes inhibere, quam ne obſidere aut
capere urbes, aut regiones invadere, neu novas ſtruere munitiones
interim liceret. Additum, ut rex Hiſpaniæ tertium intra
menſem rata faceret Archiducum pacta, repetita eadem
libertatis Batavicæ agnitione. Promiſit Naia, ante diem octavum
Calendas Maji, effecturum ſe ut iſta conventa Alberto atque
Iſabellæ ſignarentur, dum idem Ordines facerent. Rem
ſane improviſam, quo favorabilius ipſum etiam vulgus acciperet,
e re viſum Ordinum conventui ad nationes ſingulas ſcribere:
quod bene verteret, de Principis Senatusque ſententia,
acceptam ſibi conditionem, quam Albertus atque Iſabella, de
ceſſatione armorum tuliſſent, ut vacuum haberent cum Galliæ
Britanniæque regibus ac principibus aliis, deinde apud ſeſe
diſpiciendi quid de cætero opus facto foret. Supereſſe ut Deo
immortali cuncti gratias agerent, quod & bellum ſecundaſſet
hactenus, & nunc hoſtium animos flexiſſet ad veri confeſſionem.
Sed dicta ſuppliciorum die, cum jam vulgato rumore
creſcere ſtudia inciperent, divinarum rerum interpretes, ut cuique
animus, in laudem pacis, aut in odium adverſarium partium
orationem vertebant. Circiter octavum Calendas Maji
Ordines, eorum, quæ nuper convenerant, ſignatas a ſe tabulas
Antverpiam miſere, ferente Diderico Verduſio. Naia primo
ſcriptum, uti Hagæ exaratum fuerat, protulit; addita duntaxat
Archiducum ratum hoc eſſe jubentium manu. Sed Verduſio
inſtrumentum poſcenti auguſtius, & par ſuo, paruit Naia,
ſtatimque tale Bruxella attulit, & Verduſio aureum torquem,
ſimul orans, quia in pactione illa dubiæ interpretationis nonnulla
continerentur, ſe cum ipſo una redire ad conſulendos
Ordines pateretur. Albertus ſane adeo a ſe hoſtile nihil incipi
volebat, ut plane extra conventa præfectis ediceret, præſidiis
militem continerent, nautasque & piſcatores cunctos Dunkerkæ
captivos libertate donaret. Verduſius cum de Naiæ poſtulatione
ad Proceres ſcripſiſſet, nec certi quicquam reſponderetur,
non vetitum pro permiſſo accipiens, illo comite Hagam
redit. Iam illos, qui primis de pace ſermonibus non interceſſe-

Fœderatorum reſponſa & poſtulata:

Illis plene ſatisfactum iri promittit Naia.

Ordinum ſuper hac re ad ſingulas nationes literæ.

Suppliciorum indicunt diem.

Verduſius ſignatas ab illis tabulas Antverpiam ferens aureo donatur torque.

Albertus omnia in Fœderatos hoſtilia vetat, captos libertate donat.

Verduſius cum Naia Hagam redit.

1607. ceſſerant, metuentes ne res fingi credita in verum abiret, pœnitere ſilentii ſui cœperat: itaque alii rogare, quo decreto monachus hoſtili ſolo pedem inferret: alii Verduſium accuſare, quod privato conſilio rem tantam ſuſcepiſſet: plane ut appareret non facile impetraturum fuiſſe Naiam, quod audendo ſibi conceſſerat. Quæ dum his in partibus aguntur, clara interim Batavis parta mari victoria, cupidiorem pacis hoſtem, ipſos in bellum flagrantiores reddidit. Cum anno proxime præterito ſequius ad Hiſpaniam bellatum foret, non ſine aliqua labe veteris gloriæ navalis, claſſem aliam eodem mitti placuerat, tum recuperandæ famæ, tum Indicanæ ſocietatis acri rogatu, metuentis ne ſuas in naves vis tota Hiſpaniæ irrueret. Eligitur dux, maris peritus, Iacobus Hemskerkius, Wilhelmo quondam Barentio ejus itineris comes, quo in Septentrionis ſecreta penitus inquiri aſperrima fortuna vetuit; bis præterea ad Indos profectus, unde opulentiſſimam nuper navem bello captam adduxerat. Viginti & ſex naves ei attributæ, bello paratæ, quatuor aliæ ferendis commeatibus; cum mandato, faceret quod uſu facto videretur. Nec dubitabat ipſe promittere, futurum, ut mortuo ſeu ſuperſtiti gratias ſibi patria ageret: quantaque fiducia plenus iverit, hinc quoque intelligi poteſt, quod ſtipendium aliud noluit, quam partem octavam ejus demum prædæ, quæ quingenta florenorum millia excederet. Erat omnino non tam pecuniæ, quæ ipſi ſupererat, quam gloriæ avidus; hoc quoque ſtudium nulla ſui jactantia prodens, quippe civilem in vultum habitumque compoſitus alte abſconderat animum militarem. Vere inchoato, paulo antequam prima inter Archiduces atque Ordines pactio fieret, in mare profectus, ubi ad Hiſpaniæ oras pervenit, Tagi oſtia invehi conſtituit, ut nobiliſſimam urbium Vliſſiponem teſtem haberet ſuarum virtutum. Sed per exploratores, quos mercatorum ſpecie miſerat, perque obvias Gallorum ac Britannorum naves edoctus, quæ illic fuerant naves pleraſque ad Indos abiiſſe, &, quæ ſecuturæ eſſent, imparatas adhuc, cæterum egregiam Hiſpanorum claſſem Calpetano ſinu ſe tenere, quæ naves Batavorum interno ex mari in Oceanum transeuntes ipſo in freto exciperet, illuc vela dirigit, ut venti juſſerant, modo Mauritaniam, modo Hiſpaniam propius adnavigans. Nam primas Atlantici Oceani in terras ſe inſinuantis anguſtias montes duo prædalti cohibent, Mauritaniæ Abila, Hiſpaniæ Calpe. Fabuloſa antiquitas unum olim fuiſſe montem (& eſt ſane, ſi fretum

Fœderatorum nonnulli a pace ſunt alieni.

Glorioſa Hemskerkii in Hiſpanos maritimæ expeditionis relatio.

tum excipias, velut perpetua jugi facies) ſed diremtum Herculis labore tradidit, ut, quod mole ſua ſubmovebat, pelagus admitteret: unde Herculis columnas dici abruptorum collium ultima. Calpe vetus vocabulum manſit, donec victor Arabs ſua rebus nomina impoſuit. Quo enim tempore Saraceni novitati Mahumeticæ ſuperſtitionis arma adjunxere, primus regulorum Africam tenentium Moſes, Nuziris filius e gente Maravadinarum, in Hiſpaniam trajecit, comite Tarica Abdallæ filio, qui crematis navibus, ne ſe miles deſereret, cum ſe Calpen intra commiſiſſet, Gibaltaricam locum appellavit, quo Mons Taricæ Arabum lingua ſignificatur: quod nunc corruptius Hiſpani Gibraltaram pronuntiant. Ita montem, ita urbem vocant Carteiam, olim montis radicibus adſitam, qua ille, ſe theatri in ſpeciem cavans, ſinum navibus facit; cujus cornu alterum, quod Atlanticum in mare prominet, arce inſidetur. Hoc inter editiſſimæ rupis brachia tuto maris receſſu, propinquo urbis arcisque præſidio, claſſis Hiſpana anchoras defixerat. Galeones erant novem, quarum quæ maxima præfectum Iohannem Alvarem Avilam ferebat: bellicæ aliæ naves quatuor; tum Lubecenſis una ingens, & quatuor Gallicæ privatorum, ſed in uſus publicos ad tempus aſſumtæ: Batavicæ præterea mercatorum tres captæ bello. Machinarum nautarumque vis magna, multum & claſſiarii militis, auctumque voluntaria nobilium manu, qui, ſimul Gadibus ac Luciferi fano conſpectas hoſtium naves nunciabatur, fidei in Regem virtutique oſtentandæ crebri confluxerant. Septingenti in prætoria erant milites; ab hac altera paulo minus quingentos habebat. Ingreſſus jam fretum nec procul Calpetano ſinu Hemskerkius, vocatis in conſilium navium ducibus. Qua de cauſa huc ventum ſit ſcitis, inquit, commilitones. Clara patribus noſtris parta mari decora, ſed domi. Populati ſunt inſulas, clauſere portus, fortuito concurrerunt alii. Primi omnium regiam claſſem & in ipſo Hiſpaniæ limine oppugnatum ultro venimus, oſtenſuri gentibus, quam falſo hoſtis in illa ſuperbiſſima titulorum ſerie Oceanum ſibi aſcribat. Non potuit ad gloriam optari locus illuſtrior. Spectanda Deus Batavorum robora ſtatuit in ipſo Europæ Africæque confinio. Hinc hoſtes ipſos habebimus certiſſimos virtutis noſtræ ſuis cladibus teſtes: altero in littore Turcæ Maurique ſunt, quibus vix auditi hactenus innoteſcere, niſi permagno facinore non debemus. Sumite modo eos animos, quos Berga olim, quos Middelburgum, quos 1607.

1607. Friſici maris ſinus videre. Eadem vos toto orbe fortuna ſequitur. Difficile eſt nobis mari non vincere. Nec quenquam hoſtilium navium magnitudo terreat. Quin illa ipſa moles, verti agique inhabilis & ad vulnera patens exitio erit. Illud vero vel præcipuum, quod apud nos nautæ pugnant, apud illos milites, quos ego mihi videre videor, ut ſunt delicati, ſentinæ odore ac jactatione fluctuum prope exanimes in vertiginem dari. Nihil a quoquam poſco, niſi cujus ipſe daturus ſum exemplum. Tu mecum, Lamberte, in prætoriam invehere. Quæ ab hac ſecunda eſt veſtras, Braſſi atque Alteraſi, manus ſentiant. Cæteros cæteri aggredimini; bini ſingulas. Leviores navium circumvectabuntur, quo fugam hoſtium impediant. Sed ubi cœperit prælium, mementote vos navibus depugnare, captos omnes cæſoſque ni vincitis. Expediamus procerum ſuper re ſumma ancipites curas. Aut hic dies ingens auſpicium dabit in bella redeuntibus, aut faciet ut pacem Hiſpanus ſerio velit. Tum ponere, an retinere arma rectius deliberet victor Batavus. Felices nos interim famæ, ſeu maritimi triumphi hinc numerari incipient, ſive inter pacis cauſas nos quoque cenſebimur, & quadraginta prope annorum bellum nobili ad poſteros fine claudemus. Hæc ille dicens non verbis magis quam oculis vultuque toto centuriones commoverat, qui large operam pollicentes, ipſi inſuper ſeſe priſcis ac recentibus Hiſpanicæ crudelitatis exemplis in ultionem ſtimulabant. Ita circumlato poculo ac renovata ſacramenti fide diſceditur. Præfectus Avilas ut recto in ſe curſu ferri vidit tanto ſuis minora navigia, captivum quem ſecum habebat Batavum ſolvi jubet, & quid illis animi eſſe crederet interrogat. Ille vero, aut noſtros non novi, inquit, aut iſti jam tibi in prælium aderunt. Ridebat Hiſpanus, indignum putans, ſi vel tota hoſtium claſſis una cum prætoria ſua compararetur. At cum jam illa propius accederet, coactus, quod verum erat, credere, prætoriam ſuam, quæ forte jacebat exterior, præciſis anchoris, propius urbem rêduxit, ut prælii fortuna in aliis navibus prætentaretur. Nec eo tamen minus propoſiti tenax Hemskerkius prætervectus cæteras unam illam petit, ac primum voce edicit prædam omnem capientium fore, præmiumque inſuper ei qui hoſtium apluſtre detraheret. Tela niſi e contiguo mitti vetuerat, quo major eſt ſubitis terror. Itaque prævertit Hiſpanus; ſed levi noxa. Modico intercedente ſpatio, incipit e prora jaculari Hemskerkius, ſtatimque impactus hoſti juxta anchoram figit.

figit. Stabat media nave conſpicuus, cum machinarum jactum repetente Hiſpano globus forte interempto alio, crus ipſi lævum abrumpit,ſternitque armis gravem. Sentiebat adeſſe mortem, itaque Deum precatus exeuntem ut animum propitius exciperet, hortatur adſtantes, ne ſegnius rem gerant; quærendum in hoſtis clade amiſſi ducis ſolatium. Celata a centurione Verhoevio mors præfecti, nonniſi commiſſo prælio in claſſem manavit. Idem operam dedit, ut dextri lateris machinæ diſploderentur. Hiſpanus jam conſumto tormentorum uſu tuborum miſſilibus ingruebat, ſed Batavorum contra nitentium certiores ictus, quanto denſior hoſtis conſtiterat. Lambertus, ut juſſum erat, inſequens, principio puppim Avilæ ferit, inde lateri ſe & ipſe applicat. Acris oritur pugna, fumique nebulæ cuncta involventes die plus medio imaginem exhibebant nocturni certaminis. Reliqua prælii caſu, non ex præſcripto regebantur. Nam cum Zelandus Alteraſius ſecundam a prætoria ſibi deſtinatam aggredi cunctaretur, tres eam alii invaſere, mox & quartus acceſſit. Quæ ubi aſſiduo globorum jactu flammam conceperat, jamque ad oppugnantes periculum penetrabat, retrahunt ſe Batavi ac vela eodem ardore correpta reſtinguunt. At Hiſpani pavore attoniti, projecta navis cura, poſtquam cancta carina tenus adederat incendium, in mare præcipites hoſtium quoque telis impetiti, mortem morte mutabant. Aliam Galeonem centurio Batavus Henricus Longus calidius oppugnans globo interimitur, ſed & illa gliſcentibus telis funditus exarſit. Rurſum alia ejuſdem magnitudinis rupta compage aquas hauriens onere preſſa ſubſedit. Cæteræ Hiſpanorum, nonnullæ & Batavorum naves, non auſæ inter ſe manu periculum facere, eminus cernebant, promiſcuo ferme in hoſtes ac ſocios malo. Carteiani quoque ex oppido arceque jaculabantur. Sed repentina vis Hiſpanos perculit egregia navi ſuomet pulvere disjecta, hoſtes ſive ipſi ignem indiderant. Poſtquam horrendus fragor ſinu omni intonuerat, laceræ navis reliquiæ ardentes proximas navium, illæ viciſſim alias in idem exitium traxere. Quæ ſupererant, priuſquam ad ipſas quoque peſtis penetraret, abſciſſis funibus, littori incurrunt. Sola pugnæ exitum prætoria morabatur, duas in naves fortiter dimicans, donec tertia ſupervenit. Tum vero abrupto apluſtri una animi conciderunt, penituſque ingreſſis victoribus cædes magis orta quam prælium. Catervæ totæ Hiſpanorum ut 1607.

1607. pariter in fluctus deſilierant, ſpe enatandi, glandibus haſtisque fodiebantur: nec ullam in ſinus partem defigi viſus poterat, ubi non triſtis mortuorum aut morientium facies occurreret. Non multum Hemskerkio ſupervixerat Avilas, maritimi imperii vetus, quippe Iohanni quondam Auſtriaco in Naupactеum prælium comes. Inter chartas ejus Philippi mandata reperiebantur atrocia, non in Batavos modo, ſed in omnes, qui Batavis commodi re aliqua fuiſſent. Galli, quorum arreptas naves Hiſpanus fuga deſeruerat, receptum ad victores tutum habuere. Servati & captivi, qui rara felicitate, miſſum a centurione Hiſpano militem, qui ipſos trucidaret, globo interceptum, mox alterum eadem mandata exſecuturum ſimili letho periiſſe, poſtremo vincula ſua incidente telo dirupta memorabant. Quieta poſt prælium nocte, mane ſequenti apparuit prætoriam Hiſpanorum, quam Batavi cepiſſe ſatis habentes cuſtodire neglexerant, integram fluitare, paucis vectoribus, qui graſſante victoris ira in latebras abditi, inde prorepſerant, ſed his in oppidum elapſis, Calpetani ultro navem, ne præda hoſtium fieret, incendunt. Biduum ipſum Batava claſſis prælii in loco manſit, oſtentui quam uſui habens victoriam. Cernebantur armati per littus diſcurrere: contra collectis ſarcinis fugam ſtruere oppidani. Pavorem cuncta præferebant, ſimiles nuntii Gadibus afferebantur; magna Hemskerkio, ſi vixiſſet, audendi materia. Nunc ſua cum ipſo conſilia conciderant. Tituanum, urbs Mauritaniæ haud vetus ad montis Atlantis radices mari fretum extra incumbens, Turcæ paret: huc ſe Batavi recipiunt navium reparandarum, ægrorumque cauſa, quos habebant ſexaginta, centum fere aliis in prælio deſideratis. Præfectus urbis Hiſpano infenſæ excepit multa cum gratulatione victores, donisque percoluit. Etiam pedeſtre auxilium offerebat, ſi Septam, ejuſdem oræ oppidum, ſed interius paulo ſitum poſſeſſumque Hiſpano, adoriri placeret. Verum illi prædæ quam belli cupidiores, ita comparant inter ſe, ut pars maxima Luſitaniæ littus legeret, Azores alii, rurſum alii Fortunatas peterent inſulas, quidam & Antabrum circa promontorium vagarentur. Naves duæ, ex his quæ commeatus tulerant, miſſæ in Hollandiam, quæ ſaucios ipſumque Hemskerkii corpus unguentis medicatum perferrent. Prælii ad Calpen, quod VII Calendas Maji commiſſum eſt, nondum fama ad Batavos venerat, dubium an citis nuntiis ex Hiſpania in Brabantiam perlata, cum

Naia Hagæ tum agens v. Eidus Maji conventum petit, Ordinibusque exponit, nuper ſe, ipſis poſtulantibus, cum ejus rei mandata haberet nulla, pollicitum, curaturos Archiduces ut ſua pacta rex Hiſpaniæ rata haberet. Archiduces cum defugere auctoritatem poſſent, pacis ſtudio, idem pollicendo, fidem ipſius liberaſſe. Æquum nunc ut ſicut illi Principes optima fide nihil omitterent, quod ad ſarciendam concordiam faceret, ita viciſſim Ordines cuncta huic inſtituto adverſantia amoverent, revocarentque claſſem, quam infeſtandæ Hiſpaniæ miſerant. Orabat præterea explicari clarioribus verbis, quæ de non ponendis caſtris, invadendisque regionibus obſcurius nuper conveniſſent. Ac quando intra Calendas Septembres evenire multa poſſent, quæ Archiducum nomine nuntianda Ordinibus forent, fidei publicæ codicillos poſcebat, queis tutus ultro citroque commearet. Iam negotii quod in manibus erat magnitudo cunctorum animos adverterat. Ac miſſi, qui concilio adeſſent, cujusque nationis præcipui adventabant, eoque difficilius ac tardius conſultabatur. Imprimis de revocanda claſſe dubitatum, nonnullis jam rei ad Calpen bene geſtæ rumoribus. Erant qui inſiſtendum dicerent fortunæ faventi, nec, niſi inter pugnandum, audiendos de pace ſermones. Alii non verbis modo, ſed reipſa oſtendendum, non alienos ſibi animos a vera pace, quæ, ſi non coaleſceret, patitura tunc quoque maria, concordesque omnes reſumturos arma, non veterum modo injuriarum, ſed & illuſæ pacis ultricia. Fermeque evenit, ut & qui otium cuperent, Hiſpanum præſtando ſecuriorem, & qui id ipſum nollent, dum metum hoſti, & quærendæ pacis cauſas intendunt, ſua ipſi conſilia fruſtrarentur. Inter hæc e Gallia legati adveniunt: princeps erat Petrus Ianinus, pars quondam magna Lotharingici fœderis, ſed cum duce Meduanio in obſequium Regis transgreſſus, ex eo claris fidei, nec minoribus prudentiæ, experimentis rerum maximarum miniſter, & conſilii auctoritate inter primos habebatur; ſuper rerum tractandarum peritiam legumque cognitionem incoctum cunctis bonis artibus ingenium. Vultus autem ſermonisque adeo potens, ut cum maxime abderet ſenſus apertiſſimus videretur. Huic aderant Buzanvalius, apud Ordines regius antehac orator, &, qui juſſus erat hanc in dignitatem Buzanvalio ſuccedere, Elias Placius Ruſſiacus. Indignius Rex ferebat, ita paucis conſciis, ſe inconſulto, jacta ejus rei fundamenta, quam, niſi ſe arbitro, incipi

1607.

Naia interim Hagæ pacem urgens claſſem ex Hiſpania revocari petit:

De quo inter Fœderatos dubitatum.

Henrici ad illos Legati:

Ianinus legatorum princeps.

1607. cipi non debuiſſe pro ſua magnitudine, ſuiſque in Batavos beneficiis judicabat. Legati igitur dato ipſis conſilio multa de Regis in hanc rempublicam meritis præfati, ſtatim ad querelas transeunt, primum graviter in illos invecti, qui Regem cupiti in ipſos imperii ſuſpicione perſtrinxerant. Deinde quod cum hoſte colloquiis hucusque ſe immerſiſſent clam Regem, factum id quoque minus grate. Illum tamen quam non moroſe amicitias exerceat nunc quoque oſtendere, miſſa in hoc legatione, ut aut arma retinentibus auxilio ſe futurum demonſtret, aut ſi pax placeat, auctoritate ſua æquam in præſens, in poſterum ſtabilem reddat. Lecti e Fœderatorum conventu qui legatis coram ærarii vires pacisque rationes expenderent.

Prolatis Regis sui nomine querelis, ejus tamen operam Fœderatis offerunt.

Ac ne Galli auctoritas alios Batavis neceſſarios offenderet, placuit & reges Britanniæ ac Daniæ, tum Palatinum ac Brandeburgicum principes interpellari, ut res ambiguas ſuis quoque conſiliis adjuvarent. Super Naiæ poſtulatis diu altercato, vicit ſententia ut revocaretur ab Hiſpania claſſis, ſimul Philippus Archiducum pacta firmaſſet; interim nec novæ illuc naves, nec commeatus mitterentur. Vicino autem pelago quod freto Morinorum clauditur jam tunc arma quieſcerent, hac tamen lege ut Flandriæ portubus exire nonniſi piſcatores permitterentur. Acceptis autem Philippi tabulis, vacaret inſuper bello quicquid Oceani Galliam Hiſpaniamque præfluit Gadium tenus, & a Gadibus omne internum mare. Sed & terreſtri otio propius conſultum. Et Fœderati ſecuritatem ſuam claris terminis Amaſio, Vidro, Iſala, Rheno, Vabali & infra Graviam Moſa magnisque oſtiis ſepſere. Archiducum ex parte amnes obſcuriores Demmera & Geta Brabantiæ, Leia ac Manda Flandriæ limites facti. Vltra jacentia permiſſa bello, exceptis duntaxat urbibus caſtellisque: ſic tamen ut milites ipſos inter ſe tam mari quam terra nulli fines tuerentur. Priusquam diſcederet Naia, quam non fruſtra in Batavis moras necteret apparuit. Hagæ illi manere nondum conceſſum, occupatis haud inani ſuſpicione Ordinum animis. Aſſignato Delphis hoſpitio, ingreſſus exitusque obſervabantur. Cujus ille conſilii rationem facto ſuo comprobavit. Quippe Cornelium Arſenium Ordinum ſcribam arcanum ad colloquium invitat. Ille, quod res erat futurum præſagiens, principem Mauritium adit, jubeturque, ſi quid magni muneris offeratur, accipere, detegendis hoſtium inſidiis. Vbi convenere, monachus facunde gratias agere, quod ipſo adjutore

Qui alios quoque reges ac principes in conſilium adhibent.

Naia Arſenium donis ſibi conciliare conatur.

pax

pax initia habuiſſet. Nam cum primum in Batavos Naia venerat, ſequeſtre Craulio qui Arſenium ſanguine attingebat, primos apud illum invenerat aditus. Addit inde, haud ſibi ignarum, quantum hoc facto Arſenius periculum adiiſſet, ſi res non ex voto utriusque eveniſſet, invido ſemper ac ſuſpicace plurium imperio. Cupidum hunc Belgicæ concordiæ animum diligere ac grate æſtimare Archiduces, daturosque olim majora, nunc domum ipſi reddere, quam Bruxellæ habuiſſet. Marchionem Spinolam eorumdem votorum participem, ſi aut pax, aut novem annis induciæ conveniſſent, quinquaginta ipſi ſcutatorum millia polliceri. Horum millia quindecim ubi vellet repræſentaturum, aderatque manu ipſius Spinolæ ſignata cautio. Suo deinde Naia nomine uxori Arſenii donabat lapidem adamantem non vulgaris pretii. Arſenius de domo gratias agens, quam etiam ſibi ex urbis Bruxellæ, quo tempore dedita erat, pactione deberi exiſtimaret, cætera aliquamdiu recuſans, ut fidei ſuæ gravia, tandem & gemmam & ſyngrapham accipit, remque Principi & Principe auctore procerum paucis renuntiat. Princeps ad tempus rem clam habendam ratus, munerum cuſtodiam abnuebat. Mox de recipiendis quindecim millibus ſollicitatus novis Naiæ literis Arſenius, verensque ne anceps arcanum in pejus erumperet, omnem rei ordinem concilio pandit. Viſum Patribus chartam ſimul atque adamantem apud communis ærarii præfectum, Georgium Debiæum, notæ fidei virum ſervari. Nec tamen plebis odium vitavit Arſenius, quæ ſiniſterius acceptum rumorem interpretando accendebat, ita ut neceſſarium crediderit ſævienti famæ libello occurrere. Sub hoc tempus pervenit Amſtelodamum Hemskerkii corpus, multa gratulatione nec minore luctu exceptum: quia idem ut victoriæ auctor, ita magnum amiſſus patriæ damnum credebatur. Funus ac monumentum primo omnium publicitus data, cum inſcriptione, quæ res ipſi patratas magno verborum honore teſtaretur. Ad regem Britanniarum, cupientem rei Batavæ ſtatum propius noſcere, miſſi Iohannes Berkius magiſtratuum Dordrechtanorum adſeſſor, & Iacobus Maleræus Zelandiæ in conventu principem obtinens locum, præſentes ipſi reipublicæ vires oneraque exponunt, & quantum ærario deeſſe Princeps ac Senatus judicaſſent ut bellum bona cum ſpe gereretur. Excepti comiter, promiſitque Iacobus rem ſociorum ſibi curæ fore. Satis hic intelligebat Batavorum armis ſuam quietem ac maxime Hiberniam defendi.

1607.

Hic rem Ordinibus pandit.

Berkius & Maleræus Ordinum ad Iacobum Legati.

1607. Sed haud minus videbat quam non idoneus eſſet belli ſuaſor, qui pecuniam, cujus id bellum maxime egebat, nec contulerat antehac, nec habebat unde conferret. Miſſi ab eo haud multo poſt Hagam venere Ricardus Spenſerus, memorata Anglicis Annalibus domo, & Rudolfus Winwodus tum Britannia rediens, alioquin perpetuus apud Ordines regis ſui legatus. Spinola interim datis ad Ordines literis, firmata regi Hiſpano Archiducum pacta memorat: commeatum Ludovico Verreikio poſcit, Alberti ſcribæ, qui inſtrumentum ferret, aliaque ad rem facientia exponeret. Sed is ubi venit, apparuere Hiſpanicæ artes. Non enim juſti fœderis in morem intexta pactorum verba auctoritate regia muniebantur, ſed chartæ vulgares Gallico ſermone, quo & Belgarum principes uſi ſoliti, octavo Maji ipſiſque Iunii Calendis conventa præferebant, quæ ſubſcriptione ſua Rex & quidem ejuſmodi, qua ad ſubditos uti ſolebat, hactenus firmabat, ut ratam fore armorum intermiſſionem promitteret; Albertum atque Iſabellam principes dominosque Belgicæ appellans, nullo interim verbo, quo, uti poſtulatum, libertatem Ordinum & ipſe agnoſceret. Quin in ipſa priore Alberti pactione omiſſæ erant voces, quibus libertas affirmabatur. Scriptoris incuriam vocabat Verreikius, ridiculo colore. Objectum id ſibi cum Bruxellam ſignificaſſet, nihil Archiduces, tantum Iohannes Ricardotus interioris conſilii princeps reſpondit, non recte captari verba, cum nullam pactorum partem rejiciens Philippus cuncta probaſſe cenſeri deberet. Ac quanquam teſtari poſſent Archiduces cuncta ſibi, quæ promiſiſſent, impleta, quo magis tamen ipſorum benignitas ſpectaretur, in Hiſpaniam miſſuros, emendandis quæ arguebantur: dum ne differrent Ordines claſſem ab Hiſpania tollere, ne qui pacem cordi eſſe profiterentur, dicta factis refellerent. Hic vero nova Fœderatorum certamina, multis indignantibus, palam ſe illudi ab Hiſpano, qui libertatem velandis inſidiis oſtentaſſet tantum, at nunc fraudum manifeſtus arma ipſis excutere id unum moliretur. Et audiebatur hoſtis tum in Hiſpania tum in Flandria claſſem parare, incertum quo erupturam. Aderant his Galliæ legati, paci etiam tunc infeſtiores, qui compertum ſibi prædicabant Hiſpani ingenium, officioſi nunquam, niſi dum malo cogeretur. Sed vix integrum ſibi fecerant hac ſuper re conſultare, qui jam ante receperant nec commeatus ſe nec ſubſidia miſſuros claſſi, cui hoc ipſo, quovis imperio fortior, redeundi neceſſitas imponebatur. Igitur huc ventum eſt, ut Ordinum

Ejus nomine Spenſerus & VVinwodus ad Ordines veniunt.

Adveniente Verreikio artes Hiſpanicæ apparent.

Multi Fœderatorum ſe ab Hiſpano illudi indignantur.

num nomine Oldenbarneveldius reſponderet, non congruere 1607.
promiſſis allatas ex Hiſpania paginas. Itaque Ordines aliter verba concepiſſe Latino Gallicoque ſermone, quæ imitanda Regi eſſent intra ſeſquimeſtre tempus, ſi ultra colloquium ſperaret; ſimul exemplum tradebat. Et quoniam mora inde acciſſet, prorogandum Ordinibus deliberandi ſpatium poſt novæ confirmationis tabulas, quantum ab præſenti tempore ad Calendas Septembres intereſſet. Datum tamen honori Archiducum, quibus invitis peccatum iſta in parte viderent, ut claſſis revocaretur, & ne poſt ſeſquimenſem ex eo die capta in prædam cederent. Regis tamen literas ſervaturos ſeſe, dum meliores afferrentur, in hoc duntaxat, ut de armorum vacatione conſtaret.

Allata ex Hiſpania charta Ordinibus diſplicent.

Neque interim, inquit, mirari ſatis poſſumus, ſi ex fide res agitur, quo largitiones iſtæ pertineant. En adamas, en torques, en Spinolæ manus, (& ſingula proferebantur.) hæc adeo in donantibus non ſuſpecta eſſe non poſſunt, ut etiam qui juſſu publico accepere, immerita apud populum invidia laborent. Ne quid erretis, non hic ut in regnis duo tresve cuncta pro nutu verſant, cætera ſervientium turba eſt. Vicibus regimus regimurque. Et hoc tantum concilium, hic ſenatus, ſi non ſatis munita adverſum donationes veſtras videntur, numerum augebimus. Refer ad dominum dona, quæ nec pro pace dare opus eſt, & ſummum ſit nefas accipere contra libertatem. Deprehenſus inopinato Verreikius quod diceret non habuit, niſi ſi quid tale factum, Archiducum injuſſu contigiſſe: nec mirum adeo, ſi monachi, avarum imprimis hominum genus, alios ex ſe æſtimarent. Iam præfinitum ſeſquimenſis tempus exierat, & avocata erat ab Hiſpania claſſis, cum impetrato commeatu pariter adſunt Naia ac Verreikius, atque aliud ex Hiſpanica ſcriptum proferunt. Verba ferme ut concepta Ordinibus fuerant. Hoc intererat, quod quo loco paratum ſe profitebatur ut cum liberis populis agere, in quod nihil ſibi vindicaret, addebat Philippus, id ſe aſſerere tum implendæ Archiducum fidei, tum muniendo pacis aut longarum induciarum fœderi, de quo ubi conveniſſet, cætera, quæ ad ejus ſanctionem deſiderari poſſent, abunde præſtiturum. Agendum autem eo in fœdere, tum de aliis partium poſtulatis, tum de religionis negotio. Quod ni coiiſſet, tum nihilo per ſcriptum iſtud deterius jus ſuum fore, ſed cuncta partibus integra manſura. Curioſiores notabant rem tantam non ſaltem ad diuturnitatem membrana dignatam, ſed papyro commiſſam, ſatis indiligenter. Nec ſubſcriptum ut

Oldenbarneveldii in Verreikium exprobratio.

Naia & Verreikius aliud ſcriptum proferunt.

1607. ad æquales, Philippi nomen, ſed regis, qui mos ipſi ad ſubditos. Prior Naia odium, quod præſentiebat, verbis mollire aggreditur, narrans ſemet, ut cui optime cognita & Archiducum & Ordinum in pacem voluntas, iviſſe in Hiſpaniam, & quo res partium in loco, quam neceſſaria Belgis quies, docuiſſe Regem. Ibi rem in conſilium miſſam, quo firmiora & diuturniora eſſent quæ agerentur: nec Rex tantum, qui mortalis, ſed regnum ipſum, quod immortale, pactis illigaretur. Teſtari ſe optima fide, cupidum pacis Regem, ire ad eam recta ac ſimplici via: ideo mentem ſuam clare ſcripto explicaſſe, abditurum ſenſus ſi fallere voluiſſet. Poſt hunc Verreikius, multum laudata Archiducum fide, quod non Latine aut Gallice, ſed Hiſpanice concepta eſſent a Philippo verba excuſabat: hoc illum ſermone principes Chriſtianos, hoc populos liberos affari; nec æquum ſibi hanc eripi libertatem, qui Ordinibus, qua vellent lingua loquentibus, credidiſſet.

Quod ut Ordines accipiant, omni ope nituntur.

Incipiebant magis magiſque inter Fœderatos exardeſcere diverſa ſententium ſtudia, ſuſpectante colloquia Principe, Zelandis quoque & nonnullis Hollandiæ urbibus uberiorem bello quæſtum, quam pace ſperantibus. Igitur etiam ſedatis animis & idem volentibus diſplicitura tanto infeſtius excipiebantur. Quippe libertatis confeſſionem, quo ſolo pretio occupati audire cœpiſſent periculoſos de pace ſermones, deduci in irritum, parumque id viſum, ni Romanenſium quoque factio, ſpe hoſtilis beneficii, a Republica avelleretur. Naia tamen & Verreikius monſtrato quid in Hiſpanico ſcripto Ordines deſiderarent, aperte profeſſi ſunt, fruſtra futuros, ſi aliud exſpectarent: in ipſo pacis aut induciarum fœdere, ſi quid obſcuri ſubeſſet, clarius explicandum. Tantum illis fiduciæ acceſſerat, perſpecto magnam Fœderatorum partem belli pertæſam: nec dubium Hiſpano quin paciſci cum ſingulis quam cum univerſis mallet. Ordines, capto Principis, Galliæque & Britanniæ legatorum conſilio, tandem in hanc ſententiam conveniunt, ut Archiducum legatis edicerent, non reſpondere pollicitis allatas ex Hiſpania literas. Poſtrema quin adeo verba eam videri interpretationem accipere, ut prius conceſſa per obliquum elideret. Liberos quippe ſe populos, & in quos nullum imperium Philippus, nullum Archiduces vindicarent, internæ quieti ſponte ſua conſulturos, nec in rebus ſuis aliena paſſuros arbitria. Ne ultra in colloquia penetrarent præbitam forte occaſionem. Se tamen id daturos ſperatæ concor-

Diverſa inter Fœderatos ſtudia exardeſcunt.

Allatum ſcriptum illorum exſpectationi nondum reſpondet.

cor-

1607.

cordiæ, ut nationis cujusque concilio de literis ac re tota judicium deferrent, teſtati prius, nihil ſe libertati ſuæ inimicum admittere. Quid viſum ipſis eſſet, poſt ſeſquimeſtre tempus ſcituros Archiduces, ut, ſi pacis rationes audiri placeret, decimum tum intra diem legati ipſorum, quales ipſi ſe miſſuros promiſerant, Hagam adventarent, ubi & ſuos legatos adfore, hac ſane fiducia, neque Regem, neque Archiduces ullam laturos conditionem, quæ ad ordinandas intus Fœderatorum res pertineret. Hagam autem Ordines conventui deſtinabant, ne regum legatis migrare indecorum foret; ſimul quia in multos ſparſa poteſtate rectius cuncta domi conſultabantur. Cum dubitarent Naia & Verreikius an hoc accepto reſponſo Regis literas penes Ordines relinquerent, an ſecum reportarent, Ordinibus præ ſe ferentibus haud multum ſe curare utrum fieret, profectus Bruxellam Naia renuntiavit, manſurum ſcriptum penes ipſos dum faterentur data ſyngrapha id ſibi acceptum, eoque dato Archiducum fidem liberatam; reddituros denique ni fœdus coiiſſet. Quæ cum Fœderatis repudiarentur, conſultis iterum Archiducibus, Naia ſine ullo ſtipulatu mox literas tradidit. Ad ſingulos populorum conventus deliberatione perlata, dubitarunt haud pauci inſidioſum hoſtem intra ipſum imperii ſinum excipere, quid aliud quam explorandis viribus animiſque, & ſi quid usquam pretio aut armis pervium? Metuebant quoque ne qui inter ipſos pacem cuperent, velut in præceps delati, ad iniquiora conditionum ſenſim prolaberentur. Igitur ubi in concilium commune legati rediere, primum omnium mutuo ſe fœdere cuncti obſtringunt, velle ſeſe, ſi ad pacta veniretur, primo capite ſtabiliri libertatem verbis id ipſum aperte teſtantibus, quæque adhibitis in conſilium regum legatis ſufficere crederentur. Neque ullas ſe conditiones de ſacris profaniſque rebus admiſſuros, quæ libertati fraudem facerent. Contra ſi hoſtis pertenderet, monſtraturos ſe humano generi, penes illum ſtare quominus pax coaleſceret, collatiſque viribus, & invocata faventium principum ope, reſumturos arma, quibus eventum proſperum cauſæ juſtitia ſponderet. Mauritius ac Zelandi ultra volebant ipſa verba libertatem ſancientia jam tum concipi, mittique ad Albertum, ut, ni placerent, colloquio abſiſteret. Durior aliis viſa hæc ſententia, quibus audiri hoſtem placuit. Iam novus inſtabat annus, eoque ineunte, exiturum erat tempus, quo armis ſuperſederi convenerat; nec prorogari

Se rem totam ad nationum concilium delaturos Legatis ſignificant.

Fœderatorum nonnullis periculoſum videtur hoſtis legatos Hagæ ad colloquium admittere.

Nihil cum hoſte fieri volunt, niſi claris verbis ſtabilita libertate.

Mauritius Zelandique omni colloquio abſiſtendum ſuadent, niſi libertatem ſancientia verba prius obtinerentur.

1607. gari diem Archiduces poſcebant, exſpectantes ut ipſi rogarentur. Quare ſcribunt Ordines ſe fretos Archiducum pollicitis, hoc animo, quem nuper Naiæ ac Verreikio promiſiſſent, colloquium exſpectare. Septem ſe aut octo ſuorum huic rei præpoſituros, ſi totidem ipſis aut pauciores mittere placeret, & tales quidem quales ſe miſſuros jampridem receperant, cum mandato, tum ſuo Archiducum, tum Philippi regis nomine, conficiendi celeriter negotii. Diſpicerent etiam num e re judicarent armorum vacationi menſem unum, aut ſeſqui ſuperaddere. Sibi quidem id placere, dum ipſis idem videretur.

Fœderati longiorem armorum vacationem Archiducibus offerunt;

Quod legatos Ordines tales eſſe volebant, quales futuros Archiduces receperant, id hunc habebat ſenſum, ut Belgæ mitterentur. Namque id primæ Archiducum literæ, quibus invitati ad pacem Ordines, clare continebant. Nec parum Batavorum intererat pacis rationes ſecum expendi a conſanguineæ gentis primoribus, quibus & minus fallaciæ, & communia ſecum vota, ſi non pro libertate, at contra externam dominationem.

Soloſque Belgas legatos volunt.

Tanto acrius Archiduces alio tendebant; atque ipſo ab initio rem omnem clam habuerant Belgarum proceres, donec in ipſos pariter vulgumque erumperet.

A quo Archiduces plane ſunt averſi.

Ac Naia nuper & Verreikius Hagæ cum eſſent, jacto ſermone percunctati fuerant, num paſſuri eſſent Ordines alienigenas legatos, quando non minus Hiſpani quam Archiducum res ageretur. Verum tunc nihil impetraverant. Hoc vero tempore Batavorum rectores, qui paci ſtudebant, cum aut conjectarent, aut ſecreto reſciviſſent futurum, ut ipſe belli dux Spinola & ſenator Hiſpanus mitterentur, quorum Spinolam privatis quoque de cauſis in pacem propendere cognoverant, neque uſui judicaſſent factis ad concilium verbis turbare ſuſpicaces animos, dant operam ut ad Naiam & Verreikium ſcriberentur Ordinum literæ, quibus ipſos rogarent, ut ſe de numero ac nominibus legatorum certos facerent, quo commeatui idonea curarentur. His literis injecta ſchedula, non ſane quaſi alicujus momenti res ageretur, ſignificans, quod ipſi poſtulaſſent, unum ne & alterum extra indigenas adhibere legationi liceret, ea in re placuiſſe Archiducibus morem geri: nec intercedere Ordines quominus Hiſpanus aliquis, non tamen e præcipuis militiæ præfectis, ad colloquium veniret.

Aliquem extra indigenas legationi adhiberi Batavi permittunt.

In ambiguum verba implicabantur, ut Batavis videretur unus duntaxat peregrinus admitti, Archiduces ita interpretari poſſent, ne duos quidem prohiberi, ac ne ipſum quidem belli ducem, qui Hiſpanus non eſſet. Indigenarum quoque appellatio

tio produci ad Burgundos poterat, Belgis adſitos & principatu indivulſos, ne Ricardotus excluderetur, quem conſiliis & longo uſu aulæ illius primum hoc tanto negotio haud abſore ſatis apparebat. Rediere e Dania Iacobus Bouleſius Amſtelodamenſis, Nicolaus Iacobus Simonides Hornanus, Iacobus Magnus Middelburgenſis, miſſi illuc qui Regem ſalutarent, conſiliaque ejus expoſcerent. Nec multo poſt adſunt Daniæ legati Iacobus Vlfeldius, clari generis ac prudentiæ ſenator, & Ionas Chariſius. Venit & a Brandeburgico principe Hieronymus Diſcua, & mox a Palatino Hippolytus a Collibus, clarum libris editis, obitiſque legationibus nomen. At Rudolfus imperator literas miſit inſcriptas ad Hollandiæ Zelandiæque & ſociarum nationum Ordines, queis labores ſibi patrique ſuſceptos audiendis ipſorum querelis & quieti procurandæ commemorabat. Iam vero differri rumoribus, paci ipſos cum Philippo rege atque Alberto imminere, ſed velle imprimis Rempublicam ſuam liberam pronuntiari: mirari nihil ſe tanta de re monitum, cum Belgica omnis imperii Romani feudum eſſet & portio. Viderent ergo ne quid ſuo injuſſu inchoarent, quod feudi legibus prohiberetur. Viſum eſt Ordinibus reſpondere, nunquam id ſibi cogitatum, aut Albertum fratri, aut cognato Philippum ſua conſilia celaſſe. Se alioqui non commiſſuros fuiſſe, ut ignarum incepti Cæſarem paterentur. Haud immemores ſe queſtuum, quos iniquiſſimo dominatu oppreſſi ad Imperatorem & conventus Germaniæ pertuliſſent, priuſquam Mathias cauſam, regimenque ſuſciperet, & poſtquam idem ille Belgica exceſſerat. Sed nullas inde veniſſe ſuppetias, ne id quidem oblitos. Sane mox Coloniæ in urbe coram imperii legatis de pace diſceptatum. Sed cum hanc ipſam occaſionem belli acrius gerendi hoſtis arriperet, coactos ſe morbo aliter inſanabili ſupremum quærere remedium, ut decreto publico plurimarum nationum principatum Philippo, quem juratis ſub legibus acceperat, eaſdem ob leges multis modis violatas abdicerent. Ex eo de libertate ſua jure parta, armis defenſa, ne regibus quidem dubitatum. Sanguis & belli mala quam ſibi diſplicerent ſæpius ſe & Imperatori, & his quæ avulſæ a fœdere nationes Alberto regerentur, teſtatos; addito tamen ſemper, nullum ſe exitum ſperare, niſi præſentem ſtatum retinente Republica. Atque huc tandem Albertum, huc & Philippum deveniſſe, ut intactam relinquerent libertatem; quod utriusque literis doceri, quarum exempla transmittebantur. Nunc confidere

1607.

Dani aliorumque principum ad Fœderatos legati.

Imperatoris ad illos litera.

Ordinum reſponſio.

1607. dere ſeſe, futurum, ut Cæſar Germaniaque omnis pro vetere in ipſos benevolentia faveant tam piis exuendi belli conatibus. De feudo ſilebatur, quia & refellere odioſum, & fateri inglorium. Nec minus Philippus & Albertus, ad quos paria de ſuo jure Imperator ſcripſerat, reſponſo nihil ſe moliri quo jus cujuſquam deterius fieret, juris diſputationem ſilentio transmiſerant. Certe Geldriam utcunque Egmundani invitis Imperatoribus diu tenuere, veteres principes in fide ac clientela imperii habuere, qui tutores primum, dein comites, mox duces appellabantur. Trajectinos quoque pontifices, qui & Transiſalanam rexerant, quibusque in profanæ ditionis jura Carolus Quintus ſucceſſit, ſacramentum Cæſaribus dixiſſe in comperto erat. At Friſii cum Translavicanis levibus tantum tributis & armorum ope Francos primum, inde Germanos imperatores venerati, de cætero libertatem tenuere, quam & conceſſam ſibi a Carolo Magno prædicant, firmatam ab aliis ſæpius ac poſtremum a Sigiſmundo conſtat; ſeptingentosque per annos manſiſſe mixtum ex primoribus & populo regimen, lecto interdum uno, qui poteſtatis vocabulo vim principis perpetuam, aut præſcriptum ad tempus, exerceret. Conatum inde Maximilianum Cæſarem præfectos imponere Saxonum e gente, ſed hos ipſos, lacerata quanquam factionibus Republica, integram poſſeſſionem adipiſci nequiiſſe, donec feſſi certamine jus ſuum in Carolum Quintum Belgico-germaniæ principem tranſcriberent. Hollandiæ, cui Zelandia adhæſit, Carolus Calvus Francorum rex dediſſe principem creditur, ſive illi ſtirps Aquitana, ſive indigenæ nobilitatis præcipuus fuit. Sed hujus famæ auctores tabulæ Diderico imperium ac jus concedunt hæreditarium, nulla feudalis nexus mentione: idque in ea tantum, quæ Eccleſiæ Egmondenſis fuerant, pravo ejus ſæculi more de rebus ſacratis principes ditandi. Sciſſo mox in Galliam Germaniamque imperio, circa Rhenum Germani prævaluere. Sed diploma exſtat Othonis tertii, quod comiti Hollandiæ, quæ beneficiario uſu tenuerat, jure mancipii habere concedit. Bella mox Imperatores inter & comites, poſtulantes negantesque obſequium. Fuere tamen principes qui affectandis Germaniæ ſtudiis vaſallos ſe imperii dixere, ſed liberos, & præter reverentiam nihil debentes; quos inter Wilhelmus fuit factus ipſe Cæſar. Nec mutavere Boioari, nati quippe Imperatoribus, ſed Burgundi, & poſt hos Auſtriaci ſacramentum abnuere, repetentes ex antiquo libertatem, ſeu

Solam Geldriam ac Trajectum imperii eſſe feudum probatur.

Fride-

Fridericus imperator Philippo Burgundo jus omne imperii remiſerat. Maximilianus Auſtriacus Friderici filius, non Princeps, ſed pater tutorque principis, & adverſum cives vi externa nitens, Hollandiam aliosque Burgundicæ ditionis populos in corpus imperii aſſcripſit: ſed Ordines acriter reſtitere, ortorumque tunc motuum hoc etiam inter cauſas fuit. Carolo autem quinto imperium affectanti, cum Gallum vellet ut externum repellere, objectum Germanis ab ipſis, nihil magis Belgas ad Teutiſcum imperium quam Gallos pertinere: non conferri tributa, non pareri legibus, non judicia agnoſci. Sed ille, ut acriter cupitum honorem conſequeretur, promiſit facturum ſe ut certo fœdere Belgæ Germanis coaleſcerent, præſtititque mox hactenus, ut auditis, quæ pro jure Germaniæ aut libertate Belgarum afferri poterant, Geldriam duntaxat & Trajectum feuda eſſe fateretur: velletque nihilominus in poſterum cætera quoque Batavorum Belgarumque unam pariter efficere imperii Germanici partem, non ut judicia legesque acciperet, ſed ut conferret ad publicas neceſſitates quantum duo principes Electores, ac viciſſim in tutela eſſet Germaniæ, jusque haberet ſuffragii in conventibus, integra de cætero libertate. Hoc ex fœdere Batavi Philippi principatu adverſum Hiſpanorum injurias opem Germaniæ invocarunt; & Bredano colloquio ab Arauſionenſi dictum Hollandiam & Zelandiam ad imperium Germanicum pertinere captandæ ejus gentis gratiæ, pernegantibus id Philippi legatis. Sed coacti, nullis inde auxiliis, ſibimet præſidio eſſe, eo ex tempore aliena & ipſi onera detrectant. Neque novum fœdera hunc in modum dirimi, cum Europa fere omnis Byzantinis ſe imperatoribus, adverſum barbaros indefenſa, ſubduxerit: & civitatum Italiæ libertas contra Imperatores eodem jure nitatur. Sed noſtrum non eſt longius iſta proſequi, quos inſtitutæ ſcriptionis ordo dudum revocat. Igitur poſtquam pacta armis modum poſuerant, non omiſere toto anno milites, qua licebat, ultimum bellandi tempus invadere. Paucos Albertus equites Lingam ire juſſerat, onuſtos ſtipendio. Forte hos in itinere, agro Benthemenſi deprehendit validior Batavus: & cum ſe Steinfurtum intra oppidum recepiſſent, quidam inſequentium una penetraverant, alios oppidani clauſis portis arcebant. Conſerebantur intra portas manus inter captandæ & retinendæ pecuniæ avidos. Ii qui extra erant, ni portæ tam ipſis quam hoſtibus paterent, impetum minabantur. Tum ad proximas ſociorum

1607.

Alberti equites ſtipendio onuſtos deprehendunt Batavi.

rum

1607. rum urbes mittunt quiſque auxilia rogatum. Levique initio ingens prælium inſtabat. Sed oppidi cives veriti ne ipſi fierent acceſſio victoriæ, perſuaſere utriſque, potius quam incerto eventu in ſolam auri ſpem concurreretur, acciperent tria Albertinorum millia Batavi, prædamque dimitterent. Captus ab Hiſpano Sidniſquius Graviæ præfectus dum juſto ſecurius Moſam devehitur: occiſuſque Warnerus Duboiſius, juridicus militaris, Tilano in agro, dum curru fertur, & circumfuſo hoſti dedere ſe pertinacius negat. Bellantium utrique pactorum fiducia partem externi militis dimiſere: prudenter Ordines, Archiduces etiam neceſſario. Nam ſeditiones imminebant undique erupturæ, ni novos ſumtus temporaria quiete redemiſſent. Ne ſic quidem vitaverant malum, multis militum per agros gravi colonorum damno graſſantibus: & quibus Dieſtæ ſedes data, ſi ſtipendia differrentur, admiſſis aliis ſuum ſe numerum aucturos minabantur. Mox ex Hiſpania nonnihil pecuniæ venit: aliquid & Belgarum populi contulere. Hinc Dieſtanis ſtipendium, ſimulque venia data eſt, diditique centuriatim varias in urbes. Sic fracta conſentientium vi, Archiduces quod ab hoſte vacabat tempus impendunt muniendæ per exemplum ſeverius diſciplinæ, auctore talium Didaco Ivarra ex Hiſpania miſſo, qui ærario militiæque proſpiceret. Narrant igitur edicto Dieſtanæ ſeditionis flagitia, in publicum noxas, quorum datam quidem veniam, ſed non ideo invitis retinendum militem. Omnes igitur ejus culpæ participes intra diem noctemque unam jubent excedere, nec unquam in poſterum pedem inferre aut Archiducum, aut Hiſpani in terras. Manentibus redeuntibuſve propoſita capitis pœna, & ingens præmium exſequenti. Prudentiores judicabant non ejuſdem eſſe temporis fidem ſuam prædicare ſuſpicaci Batavo, & tam callida interpretatione promiſſa militi, utcunque merito, eludere. Fraudari poſteritatem non decet raro Hollandicæ opulentiæ & adverſum naturam obluctantis ingenii exemplo. Nam privati aliquot Bameſtram lacum Purmerendæ adſitum ſeptem horarum ambitu demerſo in ſex pedes fundo, exhaurire machinis, quas venti verſarent, & contra externam aquarum vim munire aggeribus annixi ſunt, & præſtitere. Sane & olim Batavorum inſulæ pleraque humili ſitu niſi improbo labore atque induſtria emergere non potuerunt. Nec ceſſavit ſe vindicare Oceanus oppidis agriſque per illuviem quondam obrutis, & verſo fluminum curſu non alibi tantæ aquarum & terræ vices.

Albertus Fœderatique partem externi militis dimittunt.

Ivarra conſilio Dieſtani ſeditioſi contra fidem fines Archiducum excedere jubentur.

Bameſtram lacum privati aliquot Batavi ſiccant.

Ex

1607.

VVarvix duabus navibus ex India redux.

Ex India Sibrandus Warvix rediit navibus duabus, quas Cygnea in inſula (Mauritianam Batavi vocant) refecerat, nudo deſertoque in ſolo poſitis cudenda ad ferramenta incudibus.

Verhoeven tredecim alias reducit.

Tredecim aliæ illuc remiſſæ duce Petro Verhoevio, qui comes nuper Hemskerkio & pars magna ad Calpen victoriæ.

Ortas inter Emdam ejuſque principem turbas Ordines componunt.

Trans Amaſium princeps Enno poſt captam Spinolæ Lingam minus vereri Fœderatorum vim credebatur. Nec ita dudum ferocius legatis reſponderat. Rapuere tempus Emdani, multa pariter accuſantes, quod urbano præſidio ſtipendium aliaque ſuſtentandis oneribus ad ærarii curatores deferri obliquis artibus prohiberet, quod nullo concilii decreto tributa ſolus indiceret, quod Hiſpanum militem impune graſſari per agros populabundum pateretur. Sed atrociſſimum crimen, quod profectis in Hiſpaniam nautis non uniuſmodi literas dediſſet, ſed ut quemque ſuarum partium, aut pro patria ſtare cognoverat: unde qui capti eſſent ac crudeliter habiti (erantque non pauci) eos tacito principis fœdere proditos arguebant. Fœderati proceres, cum & Chriſtophorum & Iohannem Ennonis fratres in Transamaſiano ſolo morari cognoviſſent, tuendis Emdæ ſuburbiis militem miſere; & ad Ennonem non legatos ultra, ſed tubicinem cum literis, quibus octavum intra diem, quæ contra pacta fecerat demere jubebatur, dareque operam liberandis in Hiſpania captivis: ni faceret, invitos ſe ad arma & ipſi dolitura cogi teſtabantur. Ille in Britanniam miſit, ambitum Regis gratiam, cui ſperabat probari facile poſſe qualemcumque principis adverſus ſubditos cauſam. Sed & Ordinibus per legatos ſe purgabat: præſertim de nautarum malis, quæ nulla ſua perfidia accidiſſe, ſed poſtquam Batavicum præſidium Emdā acceperat, cunctos inde venientes in Hiſpania pro hoſtibus haberi. Ordines utroſque ad pacem monitos ita in præſens dimiſere.

Sueonum regis ad illos legatio.

Audita & Caroli Sueonum jam regis legatio, conceſſumque illi ut militem Batavorum per urbes conſcriberet. Nam acrius bello inſtabat Livonas infeſtans, dum Sigiſmundus nova domi rebellione atteritur. Hos præter & reſurgentes Pannoniæ motus, quieta aut ſine armis Europæ cætera.

Brevis rerum alibi per Europam interim geſtarum relatio.

Venetos Pontifici Gallus conciliaverat, his legibus, ut nova in ſacerdotes jura quieſcerent: qui ob crimen capti fuerant Pontifici traderentur. Ita Pontifex ſacrorum interdictionem ſuſtulit, quique hæc ob diſſidia exierant, in urbem rediere. Solos Ieſuitas recipere Veneti pernegabant. Fidelem patriæ operam navaverat conſilio ſcriptiſque Paulus Servita, in hunc rebus

1607. bus jam compoſitis immiſſi percuſſores, inflictis vulneribus, parum ab cæde abſuerant, ipſisque, & qui eos emercati fuerant, Pontificius ager perfugium fuit. Senatus in tutela eſſe publica Paulum pronunciavit, & ſi quis facinoris reos tradidiſſet necaſſetve, vim pecuniæ promiſit, ac quo magis alliceret, jus quos vellent duos alia ob crimina extorres domum revocandi. Fontano Mediolanenſium præſidi cum Rhætis de finibus erat controverſia, quam ille non coram arbitris, ne bello quidem indicto perſequi ſtatuerat, ſed vi inopina, conſcriptas Venetico motu copias in id retinens. Advertit Rhætos detecta, conſciorumque ſupplicio expiata proditio. Sed aperta in arma ſpectantes Gallus & Veneti compoſuere. In Germania urbem Danubiwerdam, Iſtro adſitam, ob tumultum in ſacerdotes & ſacra Romanenſia proſcriptam ab Imperatore, dux Boioarus, proavorum ſimul jura repetens, armis ſuam ſub ditionem traxerat. Proteſtantes Germani quod antevertere neglexerant, ſero poſt exitum accuſabant, multi inter ſe conventibus & querelis, ad Imperatorem audendo tardiores. Rex Hiſpaniæ, dum nulla mari hoſtium arma, tuto receptis America atque India claſſibus, indicto præterea Hiſpaniæ tributo, in hoc erat totus, ut ingenti ſe ære alieno paulatim ex ſolveret, privatæ fidei ut olim vim publicam miſcens, creditoribus minuebat uſuras, ſibi prorogabat diem. Galliam nata maſcula proles jam altera in ſpem longæ pacis evexerat. Apud Britannos adverſus nobilium avaritiam agreſtium orta coitio in tempore repreſſa eſt: veniaque in præſens, in futurum legibus quies munita. Ex Hibernia comites duo Tironus & Tironellus, ille rebellione quondam notiſſimus, in Galliam primum, mox in Brabantiam profugi, Romanæ religionis ſtudium exſilio ſuo præſcribebant, quod in ſe injurium rex Iacobus exiſtimans libello vulgavit, nimium recepto ſæculi more ſceleribus cauſam religionis obtendi. Nam quæ ſacrorum cura vere barbaris, quibus conjugia ignota, cædes laudatæ, decus ſummum rapto vivere? Sed illos, qui dignitatem non ſanguine aut meritis, ſed ipſius aut Eliſabethæ beneficio obtinerent, ſuam ingratam mentem, ſuæ perfidiæ conſcientiam perhorreſcere, quod ſemel condonata iterum auſi, ſollicitata ad diſſidium provincia, in Anglorum omnium occidionem conjuraſſent; nec defuiſſe ſolitæ operæ ſacerdotes ac Ieſuitas, præcipuos nunc talium concitores: ſed externæ potentiæ imploratis fruſtra auxiliis, impios conatus nihil ipſis integrum præter fugam reliquiſſe.

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS

LIBER SEPTIMVS DECIMVS.

SVMMARIVM.

Fœderati novum cum Gallo fœdus faciunt. Germanorum ab Ordinibus poſtulata. Advenientibus hoſtium legatis Mauritius obviam procedit. Delecti qui ſeorſim cum illis agant. Hiſpani moras nectunt: ipſi inducias, Batavi pacem volunt. In Fœderatorum libertatem conſentit Philippus. Contra Hiſpanorum poſtulata libellis diſſeritur. Fœderati India decedere nolunt: colloquii exitum feſtinant. Obſcure ſumma rerum capita Hiſpani, Ordines aperte proponunt. Ricardoti obteſtatio. Naia ad Regem conſulendum in Hiſpaniam proficiſcitur. Fœderatorum cum Anglis novum fœdus. Iniqua Hiſpanicorum poſtulata. Ius dicendæ ſententiæ Brabanti Fœderati fruſtra repetunt. Super bonorum reſtitutione diſſidia. Batavorum petitione Hiſpanici offenduntur. Ianinus in inducias proclivis. Artes pacem volentium fruſtra vitare ſtudet Princeps. Philippi ad Gallum & Britannum legatio Fœderatis ſuſpecta. Hiſpanicis India abſtineri, & Romanenſibus ſacra publica reſtitui poſtulantibus, Fœderati colloquium finire volunt. Galliæ Britanniæque legati eos ad inducias hortantur. Libelli contra inducias in vulgus ſparguntur. Cauſæ ob quas Fœderati ad inducias proclives. Magna inter illos contentiones. Mauritius literis ad Hollandiæ urbes inducias diſſuadet. Diſſentiens literarum interpretatio. Lipſii de induciis litera. Hiſpanicorum in Ordines exprobrationi Oldenbarneveldius reſpondet. Relicta a Ricardoto arcana in vulgus emittunt. Ianini pro induciis in Fœderatorum concilio oratio. Magnis animis res inter Fœderatos agitur. Oldenbarneveldius omnes Fœderatos, exceptis Zelandis, in inducias conſentire facit. Ianini in Zelandos invectio. Inico Archiducum nomine in Hiſpania inducias urgenti pondus addit Lerma dux. Philippus Arauſionenſis in Bataviam veniens Emanueli Luſitano domum Naſſaviam reconciliat. Adolphus Naſſavius caditur. Super religionis aliquot capitibus inter Gomarum & Arminium diſſidia: Ordinum juſſu in colloquio audiuntur. Palatinatus Catechiſmus & recepta apud Fœderatos fidei confeſſio controverſiis materiam addunt. Mateliſius re bene geſta ex India in patriam redux. Batavorum ſocietas Indicana hoſtilibus quoque pecuniis juvatur. Rerum alibi geſtarum brevis hiſtoria.

ADventum differentibus hoſtium legatis frigus hujus anni aſperrimum, & rara inter exempla memorandum, in cauſa; ſeu pars Hiſpanici faſtus erat exſpectari: interim Ordines cum amicis egere, ut quid ab ipſis pace bellove ſperandum eſſet explo-

1608.

Legatorum ab hoſtibus adventum aſperum frigus retardat.

1608. explorarent. Gallorum inſigne in hanc rempublicam ſtudium tunc ſane emicuit, haud facile invento, qui factum ipſorum imitaretur. Nam fœdus fecere, daturum Regem operam ut juſta pax coiret: ubi cöiiſſet, adverſum ejus violatores, qui aut publicas Batavis intuliſſent injurias, aut privatas interpellati diſſimulando feciſſent ſuas, auxilio miſſurum decem peditum millia. Si Rex regnumve Galliæ hoſtilia paterentur, Ordines aut quinque peditum millia, aut æqualis impendii naves ſuppeditarent. Si quid ultra alter alteri præſtaret, id creditum fieret, finitoque bello rependeretur: neuter niſi volente ſocio cum hoſte paciſceretur. In commerciis Batavi apud Gallos, Galli apud Batavos civibus æquarentur. At Britanni quominus ſimile fœdus & ipſi facerent, primum veterem movebant controverſiam de pannaria negotiatione, quam una apud Anglos ſocietas obtineret: deinde ut ante omnia de veteri Ordinum ære alieno propius ſecum tranſigeretur poſtulabant. Germani, cunctabunda natio, quibus & ab Heſſo legatus acceſſit, præ ſe ferebant nihil malle principes ſuos quam ſuper mutuis auxiliis fœdus firmare, ſed nullam ſe accepiſſe ejus rei certam poteſtatem. Interim quæ ipſi Ordinibus commendabant, ſi pax fieret, hæc ferme erant: domus Naſſaviæ indemnitati ut conſuleretur: reſarciret Hiſpanus quæ Mendoſa Germaniæ nocuiſſet: ne cui Ordinum ſub ditione libertas fieret Romanos ſacrorum ritus uſurpandi: dimittendo militi ea adhiberetur cautio ne quid inde ad vicinos mali diffluerет: commeatus onera in poſterum ceſſarent. Ineunte demum Februario menſe legati hoſtium Spinola, Mancicidor Hiſpanus, rei militaris regius ſcriba, dein Ricardotus, Verreikius, Naia, concretas per aquas traha vecti intrant nudam tum ſane, nec quæ ſolet amnium munimenta præferentem Hollandiam. Quaqua tranſirent ab urbium rectoribus comiter excepti. Paulum Haga aberant, cum obviam illis Mauritius procedit, ſimul immenſa hominum corona, quos ſpectaculi illius magnitudo exciverat, viſuros rem anno ante nemini creditam, ut belli maximi imperatores duo, qui nuper infeſtas duxiſſent acies, inermes amplecterentur ſe mutuo, proque vi armorum & belli artibus unum haberent humanitatis certamen. Transgreſſo Mauritii in currum Spinola, collatiſque ſermonibus, magnum uterque virtutis ſuæ fructum percepere, verum experti hoſtis de hoſte judicium. At poſtquam diſtributa ex dignitate hoſpitia, & pretioſam ſupellectilem cunctaque parata oſtentui explicare dux Italus cœpit, mirum dictu,

Fœderati cum favente ſibi Gallo novum fœdus faciunt.

Quominus ſimile cum Angliâ fiat, pannaria obſtat negotiatio.

Germanorum ab Ordinibus poſtulata.

Legatorum hoſtium adventus.

Mauritius illis obviam procedit.

ctu, quantus quotidie hominum ultima ex Hollandia concurſus, qui miniſteria, qui menſam, qui ipſum ſpectarent. 1608.
Multos ſane exciverat ſola paſcendi viſus libido, ſed fuere & qui Romanæ religionis affectum proderent, jactarentque. Nec ille difficilis ſe dare adeuntibus, quin & pleroſque per interpretem prior affari; pulchrum id ratus, ſive & auſus adverſum proceres plebis ſtudia ſperare. Legatis hoſtium poſtulantibus conventus datur ſolito celebrior, ubi Principe ſenatuque coram, ſalute peracta, quorſum ſint miſſi aperiunt. *In ſenatu quorſum ſint miſſi aperiunt.*
Delecti qui ſeorſim cum ipſis agerent, totius Fœderatorum concilii nomine, Wilhelmus Naſſavius & Walravus Brederodius: nationes ſingulæ ſingulos, Geldria Cornelium Gentium, Hollandia Iohannem Oldenbarneveldium, Zelandia Iacobum Maleræum, Trajectina Nicolaum Berkium, Friſia Gellium Hillamam, Transiſalana Iohannem Sloetium, Groningana Abelem Cundertem addidere. *Delecti qui ſeorſim cum illis agant.* Primi dies tranſiere dum mandata alii aliorum inſpiciunt ac refellunt. Rex Philippus codicillis ſuis Archiduces ſummos Belgicæ principes appellabat: & de libertate agens Fœderatorum repetebat legem, quam & nuper dixerat, ut ita demum valeret, ſi pax conveniſſet, qua & de religione & de rebus controverſis aliis ſtatueretur. Archiduces ſuis in literis narrabant verba, queis Philippus rata ipſorum pacta nuper habuerat, poſtulatis Ordinum congruere, contra ſæpe teſtatis queſtiſque Ordinibus. Præterea, cum Philippus Archiducibus poteſtatem faceret pacem faciendi per ſe, aut per eos, quos iſti negotio delegaſſet, Archiducum mandata jus illud a Philippo acceptum in legatos a ſe transferri haud exſerte ſatis loquebantur. Quibus objectis Hiſpanici, cætera comiter excuſantes, ne quid in delegationis jure deſideraretur propediem ſe curaturos ſpondebant. Sed arguebant viciſſim, quod novo plane exemplo Ordinum mandata actores a ſe paci impoſitos arcanis imperiis alligarent. Reſponſum eſt nihil id negotio obſtiturum, quando adeſſent Ordines ipſi, qui ut quodque pacis caput conveniſſet, auctoritatem ſuam confeſtim adjicerent. Vtrique enim convenerant, ne ſemel in univerſum omnia, ſed per partes ea quæ definienda eſſent proponerentur: Batavi quidem, ut, a difficillimis facto initio, tentaretur hoſtium animus, colloquium duntaxat, an pacem cupiiſſent: Hiſpanici vero nectendæ moræ, & ut conceſſa quoties liberet evertterent. *Batavis a difficillimis incipere volentibus Hiſpanici moras nectunt.* Pacem vel inducias obtulerat Hiſpanus, preſſo diu arcano quod ſero erupit, pacem ſe

1608. æquis conditionibus ferre non poſſe, inducias poſſe. Contra Ordines ab initio profeſſi finem ſe bello, non intermiſſionem quærere; manifeſto ſcilicet, exhauſtas Hiſpaniæ vires tempore revalituras,& poſſe interim vicina regna in pejus mutari, quæque alia contra inducias diſputata mox memorabimus. De pace igitur cœptum agi: fuitque de libertatis Batavicæ confeſſione primum caput; qua ſuper re inchoatis ſermonibus, per nos, inquit Ricardotus,vel regnum eſſe ſi libet non intercedimus: rogabat tamen illis ut vocibus pactio fieret, quæ regiam dignitatem quam minimum læderent. Fœderati volebant Regem & Archiduces ſuo poſterumque nomine, ſeptem nationum & Lingæ ac Tarantiorum imperio,quæque ipſis poſſidebantur,in perpetuum abſiſtere, ita ut nec titulos nec inſignia uſurparent. Sed hanc, ut ipſi vocabant, contumeliam graviter incuſavere Hiſpanici apud Gallos Britannosque. Indignum id ſane, acerbiores ſibi iſtis a populis imponi leges, quam reges regibus præſcriberent. Teneri Hiſpano Navarræ regnum: nec tamen veteribus poſſeſſoribus extortum nominis honorem. Britannum Galliæ ſe regem ſcribere: neque aut hoc Gallum,aut illud Hiſpanum injuriam interpretari, cum & Hiſpanus ipſe Hieroſolymorum regni præter vocabulum nihil habeat. Ad quæ cum Batavici reſponderent,regna ſua majeſtate defendi; at populis liberis nunquam ſatis ſollicite caveri: nec gravem tantis Auſtriacæ domus titulis paucarum vocum jacturam. Accepere tandem Hiſpanici conditionem, ſi modo & cætera convenirent: ſuſpecta prudentibus iſta Hiſpani facilitas; nec immerito jam tum conjectabatur aſſenſiſſe in ſpeciem populari gratoque omnibus poſtulato, quia reſtarent alia, quæ conceſſæ intra verba libertatis vim opeſque deſtruerent, aut non æque Fœderatis communia diſſidiis eos implicarent. Procedente colloquio, ſolennia illa fœderibus, de ponenda hoſtilium memoria, de pignerationibus prohibendis, nullum aut leve certamen habuere. Sed ſimul ad commercia ventum eſt, edixere Hiſpanici, abſtinendum Batavis Indiæ, aliiſque longinquis navigatibus ut ante bellum inſolitis, eamque præcipuam Philippo cupitæ pacis cauſam; nec indignam libertatem pro qua id pretium daretur: nullo inſuper damno, cum illius in locum Hiſpanica negotiatio tutior propiorque ſuccederet, qua manente olim nunquam ipſi Indiam cogitaſſent. Addebant nec Gallis Verbiniano, nec Anglis Londinenſi fœdere conceſſum adire eas oras, quas Caſtellani Luſitanique

Induciás hi, illi pacem volunt.

In Fœderatarum Provinciarum libertatem conſentiunt Hiſpanici. Hiſpanicorum facilitas ſuſpecta.

Poſtulant ut Indiæ aliiſque navigationibus abſtineant Batavi.

ſitanique ſibi primis repertas longiſſimo tempore ſoli uſur- 1608.
paſſent. Sed refellebant hoc Galliæ Britanniæque legati, dictantes quod jure naturæ liceret, prohibitumque fœdere non eſſet, permiſſum merito cenſeri, eoque ſe jure uti. Hic vero *Libellis contra diſſeritur.* adhæreſcente colloquio, quibus privatus ex India quæſtus, aut patria cordi, libellis diſſerunt, quam iniqua Hiſpanorum imperia, quanta Batavis contra certandi neceſſitas, ut queis ſterile ſolum aut paludibus obſitum, in mari opes & gloria, & in validiſſimum hoſtem unicæ vires. Nec alendæ turbæ ſufficere proxima Oceani: viginti egregiis navibus Guineam adiri, Salarias inſulas octoginta, cæteram Americæ oram ferme viginti, Indiam ſolam quadraginta; nec minus octo nautarum millia iſtis itineribus occupari, quibus victum eripi, aut indici fugam tali fœdere; rem in quovis cive indignam, adverſus illos vero fœde ingratam, quorum maxima eſſent in rempublicam merita. Privata ſeu publica utilitas ſpectaretur, notum quo brevi excreviſſent Indicani commercii quæſtus, & quid in poſterum ſperari debeat, ex quindecim annorum profectu colligi. Reſtare Cambaiam & Malabaras, & Ceilonem & Narſingam, & Coromandelem & Quedam, ignota hactenus, aut leviter tentata. Iam quid ſi & Sinæ, & obverſum alteri Oceano Americæ latus adeantur, & Auſtrino ſub vertice latens adhuc orbis inventorem exſpectet Batavum? Contenderentur ſane inter ſe Indicana & Hiſpanienſis negotiatio, quanquam hæc ne amiſſa quidem hactenus cum per Gallos Britannosque retineretur: nimirum id recuperari quod eripi ſemper poſſet, eripi quod recuperari non poſſet; diſſolutam enim ſemel ſocietatem nunquam revicturam. Indicanas naves bello habiles, quarum ſemper aliquæ domi in ſubitos uſus ſine ſumtu publico publicam eſſe claſſem: Hiſpanicas quid, niſi, cum libuiſſet, hoſtium prædam? Lucrum hic cum hoſte dividi, illic & quæſtum uberiorem, ſimulque atteri Hiſpaniæ divitias, orbis paci nimias. Vt ſciatur quid negari Philippo debeat, videndum quid ille acerrime petat, quam petitæ pacis cauſam fateatur. Pauperis quondam regni dominos Indiæ Americæque debere illud fortunæ faſtigium, ex quo nunc reges deſpiciant. Namque & vicinorum principum cauſa agi, quibus inutiles efficeret Batavos mare amiſſum. Si æquum ſpectaretur, huc niti hoſtem ut injuriam facere, cum velit, poſſit: Batavos id unum, ne pati cogantur. Si vis aut fas quæreretur, pro ſe divinas humanasque leges, quæ navigandi mercan-

 dique

1608. dique jus, ita ut cœlum ſolumque, omnibus ex æquo adjicerent. Si ante bellum navigatum non eſſet ad Indos, at jus fuiſſe navigandi, nec ullam valere, quamvis longiſſimam, poſſeſſionem adverſus juris gentium auctoritatem. Qui mare clauderent, qui ſolis ſibi mercatum vindicarent, quid aliud facere quam piratas, quam annonæ flagellatores? Antiquitati viſum juſta in eos arma eſſe, qui ſuis portubus quenquam excluderent, quanto magis qui alienis arcerent? Pacem ſine commercio, non pacem eſſe, ſed perpetuam ſublato ſe tuendi jure hoſtilitatem. Iam vero Batavorum intemeratam hactenus fidem non poſſe inſigniori exemplo fœdari, quam ſi prodant & Hiſpanorum inclementiæ objiciant, Indorum populos regesque fœderatos. Si pactis ſtare velit Hiſpanus, jam tum rem eſſe transactam, cum liberos Batavos pronuntiavit, & cum convenit, ut poſſeſſa quisque retineret. Nam nec liberis præſcribi quicquam debere, & inter poſſeſſa eſſe commercium. At magni æſtimare Philippum quod imperio cederet, non eo ſane quod haberet; nec id donum, ſed veri eſſe confeſſionem, ſine qua ſpes nulla concordiæ. Pacem illum dare, pacem accipere, nec tam ſecundis ſuis rebus ut vendere eam debeat; ni crederet, denuo experiretur. Periiſſe quadraginta annorum ſanguinem, fruſtraque ſumta arma pro libertate & contra Albani illam commerciorum fugatricem decimam, ſi nunc tanta ſervitus ſponte ſubeatur, & majoris mundi partis exſilium imponi ſibi ab hoſte patiantur, quod a principe nunquam toleraſſent. Hæc illi: pauci contra privatum eſſe negotium, quod publicæ paci obſtare non deberet. Saltem non niſi maritimarum nationum cauſam agi, cum belli mala ad omnes pertineant. Poſtremo ubi Hiſpanica negotiatio, brevis ac tuta, nautas pellexiſſet, caſura ſua ſponte itinerum longinqua & morbis obnoxia. Re expenſa, Ordinibus fœderatis juſtæ cauſæ eſſe videbantur, cur India haud decederent; attamen, ne quid exuendo bello intentatum relinquerent, altercato diu, optionem Hiſpanicis deferunt, ut aut ſolidam ineant pacem cum navigandi libertate, aut ad Galliæ Britanniæque exemplum, quicquid æſtivum ultra circulum jacet armorum permittatur arbitrio, aut pax hic, illic induciæ fiant. Illi nec eam negotiationem permittere volebant, & pacem bello miſceri prodigio ajebant ſimile: de induciis per Indiam ita demum ſpem eſſe, ſi elapſo tempore navigatu abſtineretur. Verum Ordines, qui ab ea lege abhorrebant, ſi forte metu hoſtem ad æquiora verterent, Americanæ ſocie-

Fœderati India decedere nolunt.

Delata Hiſpanicis optio rejicitur.

ſocietatis ſopita nuper conſilia reſuſcitant: minas eſſe tantum 1608.
intellexit hoſtis, nec ultra res proceſſit; dum qui inter Batavos paci ſtudent ferociam addere verentur diſſentientibus. Non dubie noxius erat Fœderatis populis iſte rerum ſtatus, armis duntaxat inhibitis pace juxta belloque incertis: unde plebs multa, cui ex bello victus, nec promtum ſe ad alia vertere, otio atque inopia afflictabatur: quo magis feſtinandum ſibi Ordines exiſtimabant, colloquii exitum. Monent igitur Hiſpanicos, ut præcipua, de queis acturi eſſent, capita pariter proponerent: idem ſe facturos. Illi cauſari rem eſſe inſolitam, ut prioribus nondum transactis nova congererentur. Parent tandem, ſed ut ſumma duntaxat rerum genera obſcuris vocibus, non ut diſtincte atque explicate res ipſas exponerent. Agendum enim ajebant de finibus, de bonorum reſtitutione, de externis commerciis, de monetæ, earumque immunitatum, quæ Anglis aliisve per Belgicam conceſſæ, paritate, de religione, de vicinis principibus. Interrogati quod de religione mentionem facerent, quando in Philippi literis idipſum contineretur, hunc ne haberet ſenſum, ne qui ultra citroque commearent ſacrorum obtentu infeſtarentur, an ut ipſi Batavis jura præſcriberent, queis res divinæ apud ipſos ordinarentur? Rem dignam dixere, de qua principes ſuos conſulerent, compoſitisque cæteris eo ubi ventum eſſet clarius promturos ſententiam. Contra Ordines non pauca & in ambiguum implicata, ſed capita octo & viginti tradiderant, verbis apertis complexi quæ firmandæ paci aut demendis belli injuriis adhiberi ſolent: nec privata commoda omiſerant, aut Naſſaviæ domus, ut Emanuelis, cui pater Antonius breve tenuerat Luſitaniæ regnum. Inſtituta de controverſis capitibus collatione, ſtatim Indicano certamini alterum acceſſit de Europæis commerciis, non minimas hoc quoque difficultates ferens, nam adaperto Antverpiam itinere labem negotiationibus ſuis Hollandi magisque etiam Zelandi metuebant: acceſſitque delectos Ordinum Ricardotus, cum lachrymis obteſtans, ne pertinacius tuendo quæ ipſis placita, tam paratam pacem e manibus amitterent. Nec obſcure præ ſe ferebat nihil de commerciis ſtatui poſſe, niſi explorata propius regis Hiſpani voluntate: meminiſſent igitur Ordines eam inire paciſcendi rationem quæ probari poſſet, nec victo, nec captivo, ſed pacis cupido principi. Affecto jam Martio menſe haud longe erat finis præſtitutus armorum ceſſationi, convenit igitur, ut Aprilis Majusque adderentur. De India Ordines hanc conditio-

Ordines colloquii exitum feſtinant.

Hiſpanici obſcure ſumma rerum capita proponunt:

Ordines ſua aperte.

De Europæ commmerciis difficultas.

Ricardoti obteſtatio.

Ordinum de India oblatas conditiones

 ditio-

1608.

Ordinum de India oblatas conditiones.

ditionem tulere, ut liberum eſſet ſuis civibus novem per annos a pace facta cuncta illius loca adire; niſi quæ Hiſpanus dominatu teneret. Hæc vero ne accederent, ni ſinerent rectores, aut neceſſitas cogeret. Hoſtilia inter ipſos ipſorumque ſocios tantiſper abforent. Si quis contra faceret, ne alibi jus eſſet ulciſci, quam ubi patrata injuria, injuriæve auctores degerent: tum vero ut ante novem annorum exitum certior pactio tentaretur.

Repudiant Hiſpanici.

Super interno commeatu diſſidia.

Repudiabant hæc Hiſpanici, planeque volebant circumſcribi in præſens Indicanam negotiationem, omitti in poſterum. Interni vero commeatus libertatem, ſuſpectam Batavis, munire parabant his legibus: primum ut onera demerentur bello reperta, modicis olim vectigalibus: deinde ne ſuum ad forum merces trahendi privilegium, quod urbes quædam uſurpant, ut in vino Germanico Dordrechtum, in Gallico Middelburgum, adverſus alterius nationis, aut imperii cives, valeret. Contra Batavi, intellecto, hæc quo tenderent, placere ſibi oſtendunt, ne commerciorum duriora externis onera quam civibus imponantur: jura autem urbium eo ſint loco, quo ante motus Belgicos fuerint. Sed & æquum arbitrabantur caveri, ſibi tutas fore, quæ a ſe Hiſpaniam peterent naves.

De hiſce cum Rege acturus in Hiſpaniam proficiſcitur Naia.

Ordines interim cum Anglis fœdus faciunt.

Fœderati ab hoſtium legatis ſua expediri petunt.

Iniqua Hiſpanicorum poſtulata.

Ius dicendi in conſilio ſententia

His ſuper controverſiis acturus cum Rege in Hiſpaniam mittitur Naia, quadraginta intra dies promiſſo reditu: ſed pollicitationem aut falſam, aut temerariam eventus revicit. Non tamen vacuum omnino tempus tranſiit: nam primum Ordines de pecuniis creditis cum Anglo tranſigunt, fœdusque mox faciunt, valiturum ſi pax fieret, iiſdem pene legibus, queis cum Gallo convenerat: niſi quod auxilia dimidio minora promittebantur; tum regreſſis ſuas ad nationes, qui ſupra numerum convenerant, præfecti pacis negotio hoſtium legatos interpellant, ſua ut poſtulata cæteris de capitibus expediant. De finibus orto ſermone veriti non ſunt contendere Hiſpanici, ut Brabantia Flandriaque & omni Geldria trans Vahalim Ordines decederent, acciperentque viciſſim Lingam, Oldenſaliam, Grollam, iniquiſſima comparatione. Cum eo deſcendiſſent, ut oppidorum cuſtodiam breve ad tempus Fœderatis permitterent, ſic tamen ut ſumma poteſtas juriſque dictio penes Archiduces eſſet, nimium ſe liberaliter partiri Belgicam dicebant, relicta apud vicinos ea parte quam firmiorem belli fortuna judicaſſet. Emanante hujus rei rumore, Brabanti Ordinum ditionis, non contenti obtinere ne hoſti dederentur, occaſionem datam judicabant,

cabant, qua jus dicendæ in conſilio publico ſententiæ recuperarent. 1608.

Brabanti fœderatii fruſtra repetunt.

Nam poſtquam principes urbes, ultimaque earum Antverpia Parmenſi ceſſerant, reliqua, ut minora, quam quæ per ſe regerentur, ſeptem nationum imperio leges, tributa, magiſtratus, acceperant, quanquam Bergæ ad Zomam fidæ ſemper partibus, Breda vero aliaque bello capta ac recepta poſtliminio libertatem ex Trajectino fœdere repetebant. Sed non ea erant tempora, quibus augeri deberet cenſentium turba & conciliandi labos. Parum adhuc actum cum hoſtibus erat, jamque & Majo menſi finis imminebat, cum pacis inter Batavos ſtudioſi ægre a cæteris impetrant, ut anni labentis reſiduum armorum otio adderetur: hac tamen lege ne Quintilem ultra colloquia prorogarent.

Super bonorum reſtitutione nova diſſidia.

Bonorum tum reſtitutio tractabatur, prioribus nondum confectis nova diſſidendi materia: quam ob rem profectus Bruxellam Verreikius, brevi rediens, quæ ſit mens Archiducum refert: æquum ut onera bello nata pace moriantur. De oppidis Brabantiæ Flandriæque gratiam facere, dum agro integro potirentur. Vt privatis ſua cuique, ita & principibus reddenda bona, quæ majores tenuiſſent, diverſam quippe poſſeſſionum utilitatem ab imperii majeſtate: nec quia hanc abdicaſſent Archiduces, iccirco conveniſſe ut & illa mulctarentur. Contradixere Ordines, nec imperium fiſco, nec urbes agro exui poſſe, ſine imperii urbiumque exitio: & ni ad æquiora ſe verterent, rectius colloquium abrupturos. Inſtabant illi, ſi de fiſco abnuerent, certe cur ea, quæ privati principum patrimonii fuiſſent reddere negarent, colorem nullum reperturos. Repudiatum hoc quoque tam callidum diſcrimen, quando his in locis nunquam æris fiſcalis, principumque patrimonii ſeparatæ rationes fuerant. Et quanquam cunctabantur illi aperire quid rei privatæ nomine comprehenderent, apparebat oppida regionesque totas emtas principibus, aut peculiari titulo quæſitas iſto ſub involucro tegi. Cum vero Batavi ſecuritatis magnam partem futuram dicerent, ſi Hiſpanica præſidia Belgicis finibus deducerentur, indignum dixere Hiſpanici hoc ab iis poſci qui res ſuas Gallo ac Britanno milite tutarentur. Haud magis obtemperavere, rogati ut quæ juris Teutiſci loca ipſis inſiderentur, Germaniæ redderent.

De aliis quoque minoribus capitibus non conveniunt.

Iterum Bruxellam Verreikius, atque ubi redierat, collati ſermones de privilegiorum uſu, de bellicarum navium ad littora acceſſu, de muniendi jure, de legendis earum urbium magiſtratibus, qui privatos dominos pace ſortirentur, de cautionibus

1608. tionibus pacis, nec niſi denuntiato reſumendis ob injurias armis. Nec de his ſatis conveniebat, & ut conveniſſet, exigua erant præ prioribus adhuc controverſis. Præcipue vero offenderat Hiſpanicos quod Batavi petierant ut fœdus non Archiducum modo, ſed procerum quoque ac civitatum ipſis parentium ſponſionibus firmaretur. Tentati de religione iterum opperiendum dicebant Naiam, quem ſperato longius per Hiſpaniam detineri haud feſtinæ circa magna gentis ingenio. Hoc obtentu exoravere ut præfinitum colloquio tempus citra Calendas Sextiles, ad Eidus usque Septembres produceretur.

Batavorum petitio Hiſpanicos offendit.

Interea in Galliam Ianinus ierat, ut Regi quis apud Batavos Reipublicæ ſtatus, qui motus animorum, quæ ad bellum vires, quæ ſpes pacis, exponeret: ipſe jam tum inducias animo ſtruens, quia publicis arcaniſque colloquiis Fœderatorum plurimos a bello averſos, & Hiſpanum pacis æque impatientem cognoverat. Non parum momenti huc addiderat, quod Ordines, ſi bellum maneret, ingens auxilium reges ſocios popoſcerant, teſtati nullum ſibi reſtare tributi genus, & tamen longe impar ærarium iſtis copiis, quas bello gerendo neceſſarias Mauritius quondam judicaſſet. Erant hæ pacem volentium artes, quas ſero Princeps belli jam rationes in minus contrahens vitare ſperaverat. Agebat tum in Gallia Petrus Toletanus, quem Philippus miſerat orando Henrico, ita Batavicam pactionem moderaretur, ut regiæ dignitati quam minimum decederet. Etiam filio ipſius deſpondenda in conjugium Philippi filia offerebatur: haud avido ejus affinitatis Henrico, qui pridem ſibi ipſe in Medicæa potius, quam plena fœminarum Auſtriaca domo matrimonium quæſiiſſet. Suſpecta tamen & Batavorum quibuſdam, & Anglis præcipue iſta legatio fuit; & dos dicta nuptiis,, jus in Batavos ferebatur. Sed Britannum mitigavit Hiſpanus pari honore legationis ad eum directæ, quam obiit Ferdinandus Gironus Hiſpanos inter belli ductores dignatione eminens. At Daniæ legati, qui Hagæ agebant, domum abiere, pertæſi moræ, ſed nec diſſimulantes nolle ſe ejus fabulæ ſpectatores ſedere, cujus ſcena omnis in Gallia ſtrueretur. Onerabat Ordinum curas, quod ex Anglia, Gallia, Germaniaque nuntii congruebant, prædicare Hiſpani miniſtros, nunquam id animi Philippo ut imperii ſui jura projiceret, ſed obtinendo colloquio datam Batavis uſuram brevem temporariæ libertatis. Nunc ita ipſi cognita iſtarum nationum intima; ut pace ſeu bello proſperos exitus ſperaret. Nec pacem

Ianinus in inducias proclivis.

Artes pacem volentium fruſtra vitare ſtudet Princeps.

Philippi ad Gallum & Britannum legati.

Legatio Batavis ſuſpecta.

Sparſi rumores Ordinum curas onerant.

cem daturum, niſi India abſtineretur, & Romanenſibus ſacra ſuo more peragendi poteſtas fieret. Ianinus Hagam regreſſus, fidum in ſocios Regis animum, & repudiata Toletani turbamenta, nec ultra aperit. Deinde legati hoſtium, abſente adhuc Naia, ſed acceptis ex Hiſpania literis, Regem ajunt bona fide

Hiſpanici India abſtineri, ac Romanenſibus a Fœderatis publica ſacra reſtitui poſtulant.

libertatem ipſis permittere, æquum ut ei viciſſim de India aliisque nuper poſtulatis mos geratur. Cupere præterea Regem ſua pro pietate ut impune ſit Romanenſibus ex animi ſui ſententia Deum colere: darent hoc conſanguineis: darent ſuis quisque majoribus, ne probatam ipſis religionem ſævius odiſſent, quam nova & nata diſſolvendis imperiis Anabaptiſtarum placita: darent denique patriæ ne fugarent inde cives, erepto quod mortalibus dulciſſimum eſt. Sentiebant Ordines intendi machinam quæ Reipublicæ ſtabilimenta ſubrueret. Idem Germanis Anglisque videbatur. Ianinus non conſilium improbabat, ſed conſilii auctores, nec enim debere rem tantam hoſtile beneficium fieri. Tandem Ordines, & damnoſæ rebus ſuis

Fœderati colloquium finiendum eſſe decernunt.

moræ & iniquarum conditionum haud ultra tolerantes, finire colloquium ſtatuunt. Perſcriptoque decreto, quam magnis experimentis formidatum ſibi cum Hiſpano de pace agere, ut ipſi priores aditi mentem ſtatim ſuam promſiſſent, hoſtes contra quibus graſſati eſſent inſidiis, quomodo ſingula eorum poſtulata conceſſæ toties libertatis jura vimque deſtruerent, totam denique rei geſtæ ſeriem ordine commemorant. Decreto hoc ſibi tradito Hiſpanici deliberandi ſpatium petiere. Interea regum Galliæ & Britanniæ legati, præſentibus magis quam

Galliæ & Britanniæ legati illos ad inducias hortantur.

probantibus Germanis, in conventum Fœderatorum prodeunt, preſſaque hactenus efferunt regum mandata, ut pacem quatenus fieri poſſet, curarent: ea deſperata, ſaltem inducias ſuaderent utrisque partibus, ſed tutas honeſtasque, & per quas maneret Batavis indubitata libertas, jus integrum navigandi, nihil imminuta poſſeſſio. Tales inducias ſapienter rempublicam adminiſtrantibus in pacem verti. Scire ſe, quam juſtas haberent iraſcendi adverſariis cauſas: ſed omnes animi perturbationes infidas eſſe conſiliis. Cogitarent, quam per ſe ipſi bello impares, nec regibus arma ſumi, niſi ex occaſione, aut neceſſitate. Hic ex bello nihil poſſe majus quam mutua damna ſperari: & abeſſe neceſſitatem, quamdiu haberi poſſent induciæ. Si conveniſſent, eadem tuendo fœderi, quæ pace facta auxilia promitti: ſin Hiſpani, quod omnino verendum, ut pacem ita inducias defugerent, futuram tunc quoque amicorum

ſalu-

1608. ſalutem regibus cordi. Hæc ubi fama percrebuit, tum vero effrænis libido ſine auctore ſcripta in vulgus ſpargendi totum per annum vagata ardentius erupit. Alii tali ex fœdere ſolitudinem, ſeditiones, poſtremo ſervitium vaticinari: alii odioſe exagitare quæ unquam per Americam Hiſpani, aut adverſum Granatenſes & Arragones, ipſa denique in Belgica crudeliter aut perfide patraſſent. Producere libros qui docerent pacta Romanæ religioni nocentia, aut ſubditos inter principesque inita ſervari non oportere. Nec omiſerant inculare, quod non urbium rectores, non indigena nobilitas huc miſſa, ſed Itali, Hiſpani, monachi, fallaciſſima hominum genera, qui ſi quid uſquam infirmum aut maleſidum rimarentur, quin & legatos regum & procerum potiſſimos, ut donis a recto averſos, oblique notabant. Non minimum ego iſtius Reipublicæ malum arbitror, tantam in plebe libellis concitanda proterviam, vetitam ſæpe, & tunc novo edicto, nec repreſſam tamen, dum acris indago & graves pœnæ repudiantur ut libertati contraria. Ordinibus quanquam in conventu pleriſque res inopina obvenerat, & præſumta ſpe pacis ægre ſe ad inducias detrudi patiebantur, ne tamen monita regum ſpernerent, præcipuæ hæ cauſæ erant: quod belli impendia, ita ut poſtremo geſtum fuerat, trecenta florenorum millia in menſes ſingulos tributorum reditus ſuperarent: quod hæc ipſa nondum ſufficere judicarentur, ni tuendis omnibus ſexies mille pedites ad veteres copias accederent: quod commune Fœderatorum æris alieni haberet novies millena millia: nationes ipſæ privatim bis tantum: ac proinde bellum nolentibus regibus geri nulla bona cum ſpe poſſet. Nam partes imperii abſcindere atque intima tueri, etſi erant qui ſuaderent, crudele, ac, ſi emanaret, periculoſum. Quod vero nonnulli dicerent, ita conſtitutam Rempublicam, ut armis quieſcentibus ipſa quieſcere non poſſet, ea vero aliis impia atque infamis confeſſio videbatur. Iuſtius metui, ne plebs, cognito juſtas leges repudiari, infenſa rectoribus, belli onera detrectaret. Reſpondent igitur paratos audire ſe de induciis, dummodo libertas non ſub conditione, aut in diem, ſed ſimpliciter atque in perpetuum firmetur. At Hiſpanici, ubi eos legati regum acceſſerant, nullam talis conventionis ſpem fecere: ſed aliam conditionem ferunt, ut quæ in præſens armis ſuſpenſis rerum ſit facies, maneant per annos ſeptem, ſic tamen ut Hiſpanus eligat duos intra menſes, Indiæ commercium permittere velit, an de eo

Libelli ſine autore contra inducias in vulgus ſparguntur.

Cauſæ quibus Fœderati ad inducias propendebant.

Illibatam libertatem petentibus Hiſpanici aliam conditionem ferunt.

armis

armis contendere. Non eſſe autem cur repetatur ſemel antehac facta de libertate profeſſio, tardumque id impetratu, quando durior hic Hiſpanus, nec Archiducum facilitatem imitetur. Hæc ſi Ordinibus non placerent, ſaltem exſpectandis propioribus Philippi mandatis tempus ſibi indulgeri Calendarum Octobrium tenus poſtulabant. Hoc ubi per regnum principumque legatos concilio renuntiatum eſt, perſtitere in priore decreto proceres: cæterum de tempore dixerunt legatis ſe idem rogantibus obtemperaturos. Interim & ipſis ad ſuas cuique nationes abeundi ſpatium fuit, ut in rem novam nova juſſa acciperent. Magnis contentionibus res agitata eſt. nec tantum nudiores ad hoſtilem injuriam populi a Zelandis, mari ſuo tutis, diſcrepabant, ſed in ipſa Hollandia aliud aliæ urbes, nec intra urbes idem omnes volebant, ut quemque ſpes propriæ, aut valida utrinque argumenta impulerant. In hac animorum fluctuatione conſilium Mauritio datum eſt, ut palam nec diſſimulanter auctorem ageret fortioris ſententiæ: fecitque non verbis modo aſperioribus, ſed & miſſis Hollandiæ ad civitates literis. Tandem, inquit, artes majoribus formidatæ eruperunt. Specioſæ illæ voces, quibus emtum colloquium, nihil niſi voces fuere, nec pax hoſti cupita, ſed ut ſuo magis quam noſtro tempore bellum gerat, aut bello gravius per diſcordias ac dona affligat Rempublicam. Brevi reviviſcent illi opes, nuper exhauſtæ adeo, ut ære ſolo in auri argentique pretium pecuniam ſignaverit. Nobis manebunt onera, perfidiæ metu, diffluet mercatura & quicquid bello alitur: ipſumque militiæ robur, præſertim equeſtre, alibi gloriam & prædam quæret. Non corporibus modo, ſed & animis ventura deſidia eſt, tot olim injuriarum exoleſcente memoria: cujus jam nunc quam exiguum reſtat, ſeniorum in locum ſuccedentibus aliis, qui vetera audiunt tantum, audita ſegniter credunt. Fac, quod ſperari non debet, ut in Republica nemo aliud quam Rempublicam ſpectet, tamen regum ſubiti ſunt impetus; populi ſæpe dum deliberant pereunt. Quare vos memores parentum virtutis, qui toties Imperatoris ac regum de pace legationes, non ut amicorum conſilia, ſed ut hoſtis inſidias vitavere; memores decretorum, quæ olim facta & nuper ſæpius repetita de ſtatuenda extra controverſiam libertate, nullam admittite pactionem, niſi quæ hoſti & jus omne imperii, & titulum, & inſignia abjudicet. Si fraus nulla ſubeſt, quid cunctatur claris verbis exprimere, quod ſerio agitur? At

1608.

Ordines in decreto perſiſtunt.

Magnæ inter illos contentiones.

Mauritii de non faciendis induciis ad urbes Hollandiæ literæ.

1608. At veſtra profecto intereſt, ne aut principes externi veſtro de ſtatu dubitent, aut cives ipſi dominum ſibi cogitatione deſtinent. Erunt qui ambigua vobis verba & ad Hiſpani guſtum temperata laudabunt, neceſſitatemque obtendent: ſed honeſta ac ſalubria neceſſitatis patrocinio non egent; præceps eſt iſta mollities & ad deditionem trahit. Fœdera meis conſiliis haberi, ſi ego non merui, meruerit pater. Neque hic mea, meorumve res agitur, ac ſi publica privatis poſthabere ſiviſſet animus, patuit dudum patetque lucroſus e bello exitus. Vos principes fœderis, exemplum date minoribus & veſtra ex auctoritate pendentibus populis. Quæ Senatus nuper Reipublicæ neceſſaria propoſuit, decernite. Quos ad conventum mittetis, mandatis adſtringite, nequid in libertatis pactione commutent. Imperate iiſdem ut nobiſcum de Republica conſilia ſocient, ſicut veteres erga præſides & meum poſtremo parentem factitatum eſt. Hanc ego veſtram pro publica ſalute curam omni beneficio gratius accipiam. Non eadem fuit ubique literarum interpretatio: & quidam primores urbium ad conventus ire ſoliti, ita accepere quaſi traducta eſſet apud collegas ſua in mandatis obeundis fides. Prodiere ſub hoc tempus & Iuſti Lipſii literæ, alibi nobis memoratæ, queis vir civilium rerum non imperitus, manente adhuc Galliæ ac Britanniæ bello, auctor Hiſpano fuerat, ut cum Batavo inducias paciſceretur. Principes mora valeſcere, & ubi odium deſiiſſet, redire obſequium: non alia quondam arte Sextum Pompejum cecidiſſe validæ claſſis atque inſulæ dominum. Abibat September præfinitus nuper Hiſpanicis manendi terminus, itaque legatos adeunt regum, narrantes accepta ſibi Archiducum mandata, quibus ſeptem in annos per Europam inducias faciendi poteſtas fieret, hac formula, paciſci ſe cum Ordinibus ut liberis, & in quos nihil ſibi arrogarent. Philippo ut idem placeret daturos operam. Negarunt legati ſe de re, quam ingratam fore præſentirent, ad Ordines verba facturos. Apparebat Hiſpanicos ſeveritate poſtremi decreti, quo exire finibus jubebantur, offenſos, ut moram precarentur contra ſuam magnitudinem judicare: manſuros tamen libentius, ſi Ordines id ſponte ſua, aut legatis ſuaſoribus, conceſſiſſent. Sed legatis conſultius viſum hoſtium abitu ſatiare Ordinum iras, quam inviſa adeo poſtulatione odium in ſe quoque accendere. Veniunt igitur in concilium Hiſpani vale Ordinibus dicturi. Ibi Ricardotus multum laudatis principibus ſuis, qui

Diſſentiens literarum interpretatio.

Lipſii de induciis prodeunt literæ.

Hiſpanicorum Ordinibus valedicentium in Ordines exprobratio.

res maximas paci condonaſſent, Ordinum præfractam duritiem accuſabat, a quibus nunc quoque haud ſatis decore ſe finibus pelli. Fatidicus, inquit, non ſum, ſed aut vehementer ego animi fallor, aut jam diem prævideo, cum tam contumaciter repudiata reddi vobis fruſtra optabitis. Vos ſpretæ pacis reos peraget qui fundetur in poſterum ſanguis. Huic Ordinum nomine ita reſpondit Oldenbarneveldius, ut ſimpliciter egiſſe Ordines oſtenderet, qui colloquium non admiſiſſent, niſi accepta fide relictum ſibi iri libertatem. Quo minus fœdus coeat per ipſos ſtare, qui promiſſa exſequi aut non poſſint, aut non velint. Ab illis repoſcendum ſanguinem, quorum jura armis omnibus cruentiora armorum feciſſent neceſſitatem: quorumque recentia etiam in imbelles nautas ac piſcatores ſævitiæ exempla exiſterent. Adſtabat Spinola eo ſane vultu, in quo deſperatæ pacis dolor deprehenderetur. Abiens Haga Ricardotus, forte an conſilio, arcana Archiducum mandata de ratione inſtituendi colloquii inter chartas quaſdam in hoſpitio reliquit, quæ reperta brevi in vulgus emanarunt. His cuncta, quæ de pace acta narravimus, ita jubebantur, atque inter cætera illud, de libertate aſſerenda nequid contenderent. Sed Fiſci jura, ſi non redderentur, eorum in vicem annuam pecuniam poſcerent. Atque ubi cætera proveniſſent, tum callide inſinuarent Batavis, validum eſſe, ſi cohæreat, Belgicæ corpus; divulſum facile externo alicui in prædam ceſſurum. Recte igitur facturos, ſi Archiduces ſibi defenſores adſciſcerent, aut ſaltem eam inirent ſocietatem, qua hoſtis utrique parti fieret, qui alteram læderet. Si ne id quidem poſſet obtineri, hoc tamen conveniret, ne pars altera alterius hoſti ope aut conſilio adeſſet, aut quenquam ſuorum ei militare pateretur. Sed hæc Hiſpanici celare Gallos Britannosque jubebantur: eorundem tamen opera uti ad res alias, & Ianini præſertim ad impetrandos Romanenſibus ſuos ritus, & bonorum quondam ſacerdotalium partem. Commendabatur & ipſis Transamaſiani comitis negotium, & privata quædam alia. Qui ſcriptum hos a Ricardoto per incuriam relictum credere non poterant, has illi cur relinqueret cauſas fuiſſe ſuſpicabantur, ut de libertate nihil niſi ſerio actum perſuaderet, & de auxiliari fœdere cogitationem injiceret Batavis, quod verbis promere immaturum fuerat. Qui vulgavere, aut ſuſpecta facere voluerunt legatorum, ac Galliæ præſertim, conſilia, aut acriori regum odio objicere Archiduces. Ricardotus per literas & ſuam negligentiam accuſavit, &

1608.

Oldenbarneveldii Ordinum nomine reſponſio.

Relicta a Ricardoto arcana mandata in vulgus emittuntur.

1608. quod ſparſum eſſet in vulgus ſcriptum, violata in eo hoſpitii jura conqueſtus eſt. Nihilominus Galliæ ac Britanniæ legati, Germanis, queis ea actio minus placebat, abitum parantibus, cognito per ſermones nuper & nunc ex literis Ricardoti, obtineri poſſe ab Alberto Philippoque in decem annos inducias, ſed de libertate non alia verba, quam quæ uſurpata eſſent armis primum inhibitis, fœdus eum in modum concipiunt. De India permittitur Philippo, inducias & illic, aut bellum eligere; de finibus atque alia controverſa pacatiori in poſterum colloquio ſervantur. Labor in eo erat, ut hæc paciſcendi ratio probaretur Ordinibus de munienda in perpetuum libertate ſollicitis, quibuſdam & hanc arrepturis occaſionem, quo fœdus everterent. Veniunt igitur in concilium legati, quorum Ianinus, ſenatoriam in gravitatem compoſitus, ita fari orſus eſt.

Regum legati induciarum fœdus concipiunt.

Meretur & dignitas & virtus eorum, quibus noſtra de induciis conſilia diſplicent, ut ipſorum argumenta cum noſtris comparentur, quo vobis ſit, Proceres, promtius diſpicere, utra ſit ſalubrior ſententia. Verba, ut audio, incuſant; qui ſi hoc agunt, ut ſit tuta libertas, & non armorum cupiditati obtentus quæritur, eſt ut liberentur laudando forte, ſed inani metu. Nam libertas illis rebus annumeratur, quæ nec diem nec conditionem recipiunt, & ſemel datæ ſemper valent. Quanquam ſi recte rem inſpicimus, non dari vobis libertatem, ſed agnoſci cupitis: nam & dare ille non poteſt, inconceſſo principibus imperia tranſcribere, & datam accipere pudor ſit vobis, qui eam jam olim decreto publico obtinetis. Agnoſcere autem manifeſtius non poteſt, qui & liberos vos appellat, & nihil ſe in vos ſibi arrogare profitetur. In ipſa pacis actione ſatis id nobis viſum: ſed quia erant qui plus impetrari poſſe confiderent, non intercessimus. Inſignia vero nomenque abdicari, probroſum nobis jam tum videbatur, ideoque ſuſpectum in rege non victo. At ſi ita ſentit hoſtis, quin clarius loquitur, inquiunt. Ille vero æquum negat ad alia ſe verba cogi, quam quæ vobis ante colloquium placuere. Iam vero cui perſuaſam vultis veſtram libertatem? amicis nimirum regibus. At illi iſta verba idonea pronuntiant. Neque vos id credo timetis ut vobis Hiſpanus in jure manum injiciat, vindiciaſque dici adverſum vos ſibi poſtulet. Sed exactis induciis, ſi ita ipſi viſum erit, bello utetur judice. Victos nulla defendet cautio: victoriæ, ut nihil cautum ſit, ratio facile conſtabit. Neque illud magnopere metuendum, ut magnam pecuniæ vim hoſtis accumulet. Mos

Ianini pro induciis in Fœderatorum concilio oratio.

iſte

iſte liberis populis, nec aliena petentibus in futurum proſpi- 1608.
cere, uti præſentibus regium putatur; alia luxus, alia latius imperitandi cupido abſumit. Et juvenis Philippus, & gentem regit quieſcere indocilem. Vobis promtius, expedito ære alieno, fidem refovere, quando præſidiis tantum manentibus caſtrorum impendia, pars altera onerum, ceſſabunt. Poteſtis jam nunc, & ſuaſerim, tributa in annos induciarum prorogare. Munera hoſtium & diffidia his, qui timere ſe dicunt, cavenda facile conceſſerim. Nec puto leges vobis aut judicia deeſſe: ut taceam fruſtra paucos corrumpi, ubi penes multos nec ſemper eoſdem ſit regimen. Socordiam quoque hoſtis ipſe excutiet, ejus quippe ingenii, ut diu non ſuſpectus eſſe nequeat. Alioqui iſta ſi ratio admittitur, æternum bellum ſuſcipiatis neceſſe eſt: nam pace multo etiam magis metuenda ſecuritatis vitia: imo nec bello interna pericula aberunt, ſi qua magna calamitas obſequium rumpet. Nec id temere formidatur, quando publici reditus adeo inferendo impares vix arcendo bello, hoc eſt, exitii ad moram, ſufficiunt. Hoc intereſt, quod induciarum incommoda cavere veſtra in manu eſt, belli triſtes exitus ſæpe nec ſapientiſſimus effugit. Imponitur nobis neceſſitas etiam Lipſii literis reſpondendi, qui hoſti inducias ſuaſit, ſed breves: ſed ſine libertatis mentione: neque tum iis Galliæ viribus, quæ metum hoſti, vobis fiduciam adderent. Exemplis ſi certatur, ſtant a nobis plura, & non alieni ſæculi. Gandavico fœdere Hollandia ac Zelandia revixerunt. Helvetii ſumta paribus de cauſis arma per inducias poſuere: libertatem tanto jam tempore retinent, peditatu ſane & montium jugis defenſi: ſed non minora ſunt vobis munimenta, navales copiæ & circumfuſus Oceanus. Sunt & qui metuunt ne quondam infirmiores in arma redeatis, quia incerta ſit principum faventium vita. Sed non cum regibus & cauſæ ſocietatis intercidunt, quin, ut regna, immortales ſunt. Hoc ipſum quod vivunt florentque ſocii, quod Belgicæ princeps arma exoſus imperat, excitare vos debet, ne effluere ſinatis tam oportuna quieti tempora. Venit a providis, venit ab amicis regibus hoc conſilium, & quorum id unum, ut ſalvi ſitis, intereſt. Plura quæ huc faciunt, ſed prudenter tacentur, ſibi quiſque ſubjiciat, ne contrariæ ſententiæ auctores ſola dicendi quidvis libertate nos vincant. Hac oratione commotos nonnihil animos poſtridie iterum aggreditur: præcipua fœderis capita ſingulatim percurrens, ut iniquum nihil aut infidum latere

1608. convinceret. Addebat, primos eſſe omnium populorum quibus is honos conceſſus, ut libertatem ſuam abdicati principis confeſſione munirent. Non Helvetiis id obtigiſſe, ne captivo quidem Chriſtierno id imperatum a victoribus Danis. Tum graviter eos increpat, mendaciſque & ingratæ mentis accuſat, qui muſſitarent Petri Toletani in Galliam adventu averſum a Batavorum commodis regem. Firmiorem ipſius benevolentiam, nec poſſe hoſtium precibus, ſed ſola talia ſpargentium contumelia mutari. Putavit officii ſui Winwodus ſenatui quoque, cujus ipſe pars eſſet, inducias commendare, regem Britanniæ affirmans haud aliud ſuadere, quam cujus ipſe dediſſet exemplum. Iuſta arma, quæ neceſſaria, his & Deum favere & pios reges: at neceſſaria non eſſe, e quibus honeſtus pateret exitus. Si ſua ope conſiſterent, tamen non repudiandum fœdus incolumi religione, libertate, commerciis. At nunc quod poſt inducias futurum ſit eminus conjectari, belli tanto propiora pericula non videri. Mirum quantis animis per omnes conſeſſus res acta ſit: & quotidie novi libelli aderant, fomenta diſcordiæ. Iam nec regibus parcebatur, tanquam qui ſpes reconditas in Fœderatorum malis haberent. Sed præcipua in Oldenbarneveldium invidia, ut talium repertorem; & immenſa auctoritate etiam ſuperioris fortunæ hominibus gravem, nedum æquales illum ſui tanto eminentem faciles aſpicerent: & apparuerunt literæ, quibus jam tum non obſcure ad cædem deſtinabatur. Ille igitur in Hollandiæ conventu teſtatur non novas ſibi potentium offenſas, nec ulla ſe pericula defugiſſe, quo patriæ inſerviret, adverſum rumores & fortuita fretus conſcientiæ ſolatio: ſed quando cerneret rem per ſe non gratam ſuo inſuper odio gravari, orare ſe, ut expediendis quæ e republica viderentur, minus inviſa aliorum miniſteria deligerent: ſimul cœtu excedebat. Miſſi e primoribus qui rogarent, ne adjutam hucuſque fidelibus conſiliis Rempublicam tam difficili tempore deſereret. Ergo ſolita repetens, dum nunc regum beneficia auctoritatemque extollit, nunc belli onera explicat, nutantes erigit, quamvis acriter obloquentes abſque iracundia refellit, Amſtelodamo longiſſime renitente, tandem omnem Hollandiam unius fecit ſententiæ, quam & quinque aliæ nationes amplectebantur. Sola Zelandia propriis de cauſis, & inſtigante Mauritio, inducias abnuens obſtabat aliorum conſenſui; nec perrogari decretum patiebatur, Trajectini fœderis verba urgens, quod arma poni

Inducias & VVinvvodus ſuadet.

Magnis animis res inter Fœderatos agitur.

Oldenbarneveldius invidia præcipue obnoxius muneri ſuo renunciat.

Primorum rogatu ad illud reverſus omnem Hollandiam aliasque quinque nationes unius facit ſententiæ.

Soli, inſtigante Mauritio, Zelandi inducias abnuunt.

ni niſi communi omnium voluntate non ſineret, & quæ inter nationes controverſa præfectorum deferret arbitrio. Indignari alii, ac dicere non jam de induciis quæri, ſed an una Zelandia cunctis legem poneret. Calentibus animis interveniunt regum legati, violentiſſimis argumentorum tracturi, quos ducere nequiiſſent. Priorque Ianinus, prolatis Henrici ad Ordines literis, queis dicta ipſi factaque rata habebantur, orſus laudare bona concordiæ, aut diverſas citra contumaciam ſententias, ad Trajectinum fœdus ubi venit, Non noſtrum eſt, inquit, externa ſcita interpretari: ſed tamen communis ratio docet, ſuper deditione eo tempore, non æquo de fœdere agitatum. Et ſi mens eſt alia, aut abroganda, aut ſeponenda lex eſt, ſalute publica ita poſtulante, quæ legum omnium ſanctimoniam in ſe continet. Nam quis alius erat exitus, ſi quidem non hi ſociorum regum juſtius, quam illi præfectorum arbitria recuſant, quod utrique in hac conſultatione partes jam fecerint. Reſtat igitur ut pauciores pluribus cedant: hoc uno ſtant populorum imperia, aliter caſura. Sic apud Helvetios majori parti placita etiam qui contra dixerant exſequuntur. At Achæos olim Ætoloſque, validos quanquam, diſſidia obtrivere, dum ſibi quisque, non in medium, conſulunt. Nam nimia libertas ad ſervitutem via eſt. Præterea ne quis ſpe vana ſibi imponat, jam nunc vobis juſſus edico, non adeo veſtri egere regem, ut opem ſit laturus conſilia ſua aſpernantibus. Similia Britanni nomine Spenſerus loquitur, adjicitque rempublicam, in qua jus plurium ſententiarum non valeat, virgini eſſe ſimilem, quam priſci auctores memorent diſcerptam contendentium inter ſe rivalium manibus, narratque facunde, quantum intercedendi tribunitia poteſtas populo Romano nocuerit. Suaſere etiam legati, ut certa in poſterum tributorum iniretur ratio: tum ſi quid in republica morbidum ac bello diſſimulatum emendaretur; quo magis & ipſi inter ſe concordes & hoſtibus formidoloſi forent. Eadem haud ſpernendi civium monebant, queis optimum videbatur regimen, ſumma nationibus earumque legatis, præfectis vero ac ſenatui, qui non partes ſingulas, ſed univerſum corpus reſpicerent, quotidiana ac ſubita permitti. Sed convellere haud promtum morem probatum viginti annorum rebus haud improſperis. Quorumque intererat manere præſentia, facile evicere, ne, dum pendet induciarum deliberatio, negotia negotiis implicarentur. Inter jurgia labens hic annus paulo

1608.

In Zelandos Trajectinum Fœdus cauſantes invehitur Ianinus.

Idem Spenſerus facit.

1608. minus exierat, crebreſcebatque rumor ne Hiſpano quidem placituras, quas legati molirentur, inducias. Scripſeratque lane ad Ianinum Ricardotus, difficiliorem nunc Philippum, ſed culpam regi Britanuo aſſignabat, velut per illum ſpe injecta ſilentii de libertate. Et in Fœderatis quosdam jam otii dulcedo in tantum pellexerat, ut pati id quoque poſſe viderentur.

Rumor Hiſpano diſplicere inducias.

Cordatiores reſtitere: legatique regum ad Archiduces mittunt percunctatum, ecquid fidere deberent his, quæ nuper ipſorum cum miniſtris agi cœpiſſent. Relato & juſſiſſe Archiduces & habere a Rege paciſcendi poteſtatem, Ordinibus hoc ipſum indicant, monentque ut finitura nunc armorum ceſſatio menſe uno proferatur, in ſpem faciendi fœderis: ne tamen alias leges quam nuper a ſe præſcriptas exſpectent, tantum daturos operam ut ſeptem annis longius induciæ maneant; ac per Indiam pacata ſint potius quam armata commercia. Archiduces interea, ſatis gnaro non defuturos in Hiſpania, qui armorum avidi aut pro regni gloria certantes, verba illa de Batavorum libertate arguerent, præſertim cum nec Indiæ commercio decederent Batavi, nec in Romanenſium gratiam quicquam ſtatui paterentur, miſere eo Inicum, Bruxellenſem ſacerdotem, Hiſpana & nobili e domo, Alberto & ſacris confeſſionibus, &, quod ferme connectitur, conſiliis intimum.

Super quo rogati Archiduces Inicum in Hiſpaniam ablegant.

Iuſſus hic oſtendere, quæ commoda per inducias Flandriæ portibus, quibus per arma aditus clauſi: religioni quoque Romanenſi augmenta ſperari quando odia deferveſcerent inter avidos novorum & de ſacris diſcordes. Neque metuenda nimium verba illa in ambiguum implicata, quæ non modo regum legati aſſererent nihil Hiſpano demere, ſed & Batavorum plerique ſubtiliter cavillando inania monſtraſſent. Vt hæc contra nitentibus prævalerent, maximum pondus addidit flagrantiſſima tunc apud Philippum gratia non aulam modo, ſed & vim conſiliorum in ſe trahens Lermæ dux, pacis artibus florens, eoque metuens ne alii per parta bello decora altius attollerentur.

Cui inducias omni ope urgenti pondus addit Lermæ dux.

Hoc primum anno in Batavos venit Philippus Wilhelmus princeps Arauſionenſis, Mauritii frater natu major, belli tempore alibi acto, nunc communi omnium jure uſus. Cauſas obtendebat, ut per induciarum fœdus ſuis quoque commodis proſpici curaret, ſed & quod, Gallica affinitate inclitus, melius ſperaret tranſigi poſſe præſentibus Galliæ legatis, quæ ipſi cum fratribus paterna de hæreditate diſceptabantur: ſequius interpretantibus aliis, velut contra fraterna conſilia pacis adeſſet lau-

Philippus Arauſionenſis princeps in Bataviam venit.

laudator. Hoc conciliante Emanuel Luſitanus, cui ſororis ob matrimonium infenſum Mauritium alibi memoravimus, cum domo Naſſavia in gratiam rediit. Militia actum nihil hac tempeſtate; niſi quod juxta Ardenburgum cæſi, qui oppidanorum pecori inſidiabantur. Viciſſim Germanico agro licentius curſitans eques Batavus pœnas dedit, nam ſeorſim noctem agentes aliquos e Bercano præſidio immiſſi opprimunt: occubuitque inter cæteros Adolphus Naſſavius magni animi adoleſcens, ſed qui militem indulgentius haberet. Verum breve victoribus gaudium: nam coortis undique turmis majori cæde cædes penſata eſt. Habuit hic annus haud ſpernendi quoque mali ſemina, vix ut arma deſierant, exorto publicæ religionis diſſidio, latentibus initiis, ſed ut paulatim in majus erumperet. Lugduni ſacras literas docebant viri eruditione præſtantes Gomarus & Arminius, quorum ille æterna Dei lege fixum memorabat, cui hominum ſalus deſtinaretur, quis in exitium tenderet. Inde alios ad pietatem trahi, & tractos cuſtodiri ne elabantur: relinqui alios communi humanitatis vitio & ſuis criminibus involutos. Hic vero contra integrum judicem, ſed eundem optimum patrem, id reorum feciſſe diſcrimen, ut peccandi pertæſis fiduciamque in Chriſtum reponentibus veniam ac vitam daret, contumacibus pœnam; Deoque gratum, ut omnes reſipiſcant, ac meliora edocti retineant: ſed cogi neminem. Accuſabantque invicem, Arminius Gomarum, quod peccandi cauſas Deo aſſcriberet, ac fati perſuaſione teneret immobiles animos: Gomarus Arminium, quod longius ipſis Romanenſium ſcitis hominem arrogantia impleret, nec pateretur ſoli Deo acceptam ferri, rem maximam, bonam mentem. Conſtat his, queis cura legere veterum libros, antiquos Chriſtianorum tribuiſſe hominum voluntati vim liberam, tam in acceptanda, quam in retinenda diſciplina; unde ſua præmiis ac ſuppliciis æquitas. Neque eidem tamen omiſere cuncta divinam ad bonitatem referre, cujus munere ſalutare ſemen ad nos perveniſſet, ac cujus ſingulari auxilio pericula noſtra indigerent. Primus omnium Auguſtinus, ex quo ipſi cum Pelagio & eum ſecutis certamen (nam ante aliter & ipſe ſenſerat) acer diſputandi, ita libertatis vocem relinquere, ut ei decreta quædam Dei præponeret, quæ vim ipſam deſtruere viderentur. At per Græciam quidem Aſiamque retenta vetus illa ac ſimplicior ſententia. Per occidentem magnum Auguſtini nomen multos traxit in conſenſum,

1608.

Emanueli Luſitano domum Naſſaviam reconciliat.

Adolphus Naſſavius ceditur.

Super aliquot religionis capitibus inter Gomarum & Arminium diſſidia.

Arminii ſententia antiquis Chriſtianorum conſentanea.

Primus Auguſtinus aliter docere cœpit.

Per Occidentem multos traxit in conſenſum.

Inter monachorum familias ſuper hac re controverſia.

Lutheri, Melanchthonis, Eraſmi opiniones.

Calvinus Lutheri ſententiam novis præſidiis fulcit.

Beza aliique ſententiæ Calvini rigorem augent.

Quorum diſcipuli Eccleſiis inter Fœderatos præfecti diſſidentes non tolerant.

Vnde diſſidia & crebri ad Ordines queſtus.

1608. ſenſum, repertis tamen per Galliam & alibi, qui ſe opponerent. Poſterioribus ſæculis, cum ſchola non alio magis quam Auguſtino doctore uteretur, quis ipſi ſenſus, quis dexter pugnare viſa conciliandi modus, diu inter Franciſci & Dominici familiam diſputato, doctiſſimi Ieſuitarum, cum exactiori ſubtilitate nodum ſolvere laboraſſent, Romæ accuſati ægre damnationem effugere. At Proteſtantium princeps Lutherus, egreſſus monaſterio quod Auguſtini ut nomen, ita ſenſus ſequebatur, parte Auguſtini arrepta, id, quod is reliquerat libertatis nomen, cœpit exſcindere: quod tam grave Eraſmo viſum, ut cum cætera ipſius aut probaret, aut ſilentio transmitteret, hic objiciat ſeſe: cujus argumentis motus Philippus Melanchthon Lutheri adjutor, quæ prius ſcripſerat immutavit, auctorque fuit Luthero, quod multi volunt, certe, quod conſtat, Lutheranis, deſerendi decreta rigida & conditionem reſpuentia; ſic tamen ut libertatis vocabulum quam rem magis perhorreſcerent. At in altera Proteſtantium parte dux Calvinus, primis Lutheri dictis in hac controverſia inhæreſcens novis ea fulſit præſidiis, addiditque intactum Auguſtino, veram ac ſalutarem fidem rem eſſe perpetuam & amitti neſciam: cujus proinde qui ſibi eſſent conſcii eos æternæ felicitatis jam nunc certos eſſe, quos interim in crimina, quantumvis gravia, prolabi poſſe non diffitebatur. Auxit ſententiæ rigorem Genevæ Beza, per Germaniam Zanchius, Vrſinus, Piſcator, ſæpe eo usque provecti, ut, quod alii anxie vitaverant, apertius nonnunquam traderent, etiam peccandi neceſſitatem a prima cauſa pendere: quæ ampla Lutheranis criminandi materia, & ſupra illud de Euchariſtia nova certaminis ſeges. Apud Batavos initio motæ religionis ſuper his contendere haud vacuum fuit, facile, quamvis inter diverſa ſentientes, æquo jure agebatur. At ubi multa juventus a Genevenſibus, Palatinis, Naſſaviis doctoribus veniens, inſtituendis præfecta eccleſiis, numerare ſe cœpit, tempus rati, quæ ipſi didicerant in legem vertere, diſſidendi manifeſtos certabant aut non admittere ad ſacra munera, aut admiſſos excludere: unde crebri ad Ordines queſtus, Anaſtaſium Velauſum in Geldria, in Friſia Gellium Snecanum, Trajecti Hubertum, apud Batavos Hiltamum, Clementem Martium, Hermannum Herberti & alios eadem palam & tuto docuiſſe teſtantium; donec duo, quos dixi, Gomarus inde, hinc Arminius, in ipſa Lugdunenſi ſchola ſua quisque firmare, aliena labefactare aggreſſi ſunt. Stillabant

in

in juventutem magiſtrorum diſſidia, jamque & in partes alii 1608. per Hollandiam ſacrorum Miniſtri vocabantur. Occurrere Ordinibus viſum, & ſupremo judicum conſeſſui mandare, ut profeſſores duos audiret. Longum poſt certamen haud aliud conſultius viſum quam colloquii acta ſilentio premi. Sed non eo minus percrebuit utraque, & ferme placuit, illa ſacrorum miniſtris, ut receptior, hæc magiſtratibus, ut popularior ſententia. Atque hinc aliud jurgium; cum hi de religione judicium partem eſſe ſummi imperii, illi ſacra ſacris in cœtibus diſceptanda contenderent. Libelli quoque duo, alter Palatinatus exemplo inſtituendis ad pietatem pueris per Belgicam uſurpatus, alter, quo dominanti quondam Hiſpaniæ regi edita erat Reformatorum cœtuum profeſſio, controverſiis materiam addidere. Namque haud ita pridem fœderati Ordines, poſtulato a ſe ut ſeptem e nationibus ſacrorum miniſtri inter ſe conventum agerent, aſſenſerant hac lege, ut libelli iſti duo iſto cœtu examinarentur, ad ſacri codicis normam. Hoc qui cum Gomaro erant diſſentientium artibus tribuebant, quaſi novandi cupidis ſignum daretur: ipſi laudantes probatum ſæculis omnibus morem, ne conſenſus vincula temere ſolverentur. Namque aliter diſcerpi plebis animos, ubi quisque ſibi placita doceret: quare & ſacris admoveri quenquam, niſi libellos iſtos ſignaſſent, iniquum & anceps judicabant. At ab Arminio ſtantes, hominum de ſcriptis ajebant dubitare haud nefas: nunquam tanta de re legitime deliberatum tumultuariis, ut fit, rerum initiis, & exinde occupatis bello reipublicæ moderatoribus. Atque etiam melius actum iri cum Chriſtianitate, ſi nullis aut brevioribus formulis uteretur. Quin & Goudæ prodiit exiguus liber paucis credenda complectens, nec aliis vocibus, quam quas divina pagina præſcriberet. Exorti ſtatim ex altero agmine, qui publice id deteſtarentur, nec ullum dicerent tam horrendæ opinionis portentum, quod non talibus verbis velaretur. Conveniſſe primis temporibus ſimplicitatem cum ignota adhuc mala remediis non indigerent; mox, ut quæque ætas errorem genuerat, ita reperta loquendi genera, quæ devios latebris ſuis excuterent. Ita quod illi ſervitium, hi pacem; quod illi libertatem, hi rerum perturbationem vocabant. Et ſplendidis utrinque nominibus creſcebant diſſidia, magnis quondam odiis alimentum & nomen datura. Ex Oriente Matelifius rediit, rebus feliciter geſtis, & quas non dubium eſt inter cauſas fuiſſe, cur Indiam Hiſpanus bello permittere noluerit. Exierat

Colloquii Ordinum juſſu inter Gomarum & Arminium inſtituti acta ſilentio premi jubentur.

Nova controverſiarum materia.

Matelifius re bene geſta in patriam ex Oriente redux.

1608. patria annis ante tribus, menſibus totidem, provecto jam tum longius vere, quam ut annui Auſtrorum flatus Æquinoctiali ſub cœlo in Africæ littora impellentes vitarentur. Mandata habebat belli multa magnaque. Sed reluctabatur imperiis nauta, non militari ſe operæ addictum obmurmurans. Dux ipſe parandæ laudis avidus, potiſſimos ſocietate gloriæ, vulgus ſpe prædæ illexit, modo pro concione univerſos, modo, ut ſe occaſio dederat, ſingulos alloquens, & pro ingenio cuique adhibens hortamenta. Vt ad Indos ventum, captæ naves aliquot Luſitanicæ, aut quæ Luſitanos mercatu juverant. Sed barbarorum quæ fuerant ipſis remiſſæ, quo latius ſtudia affectarentur. Gangetici ſinus cornu ſiniſtro Malacca jacet, qua Indiæ continentem Sumatra obumbrat, ingens inſula freto diremta, quod Cincapuram vocant. Iora haud longe abſita, cujus reges olim & Malaccæ ſolum tenuere. Sed poſtquam Luſitani eum in orbem venere, illecti ſitu loci ſtruxerant arcem, muro quadrato collem & domubus, quod ſatis videbatur, ſpatium amplexi. Paulatim & extra habitari cœptum, ac maxime trans flumen, quod ad dextram jacet; hæc quoque ædificia, qua littori imminent, muro tegebantur. Hinc Ioræ regibus perpetua in Hiſpanos odia, ideoque Batavis ea prima ſocietas fuit. Hoc tempore Ioræ regnabant fratres quatuor, quorum imperio maximus Iandepátuan, ſed ingenio atque induſtria Sabrana prævalebat, tuendæ augendæque rei intentus, contra quam pleriſque Indiæ regibus ſolitum, queis Venus potuſque cordi, & alia in præſens grata quam in poſterum profutura. Matelifio ad Malaccæ obſidium plus animi erat, quam virium: namque arcem oppidumque Andreas Furtado tuebatur, bello inclitus, virorumque cum ipſo tria ferme millia; ſed Indi pars major; quia Luſitani aliquammulti miſſis Sinam navibus præſidio ierant. In Batava claſſe, navium undecim, homines erant mille & quadringenti. Quare augendis copiis auxilia petuntur a regibus Ioræ, facto fœdere, ut ager ipſis, oppidum Batavis cederet, prædam inter ſe partirentur. Primum ex navibus, inde ex inſulis, quæ modicæ præjacent, jacta tela. Tum dextro littore caſtra poſita: ac propere admodum deſerto quod defendi poterat trans amnem ſuburbio, reſciſſoque ponte, intra arcem arcique adſita defenſio ſtetit. Ita tutum Batavis alium amni pontem injicere, tergumque oppidi, & inſtructum tumulo monaſterium invadere, ac brevi altero quoque latere ad mare penetratum

eſt. Ergo Matelifius & caſtella locis oportunis diſponit, & propugnaculum, quod Furtado paulo ante arci addiderat, machinarum incuſſu disjicit, & cum ſtagnans humus fodientium opera non admitteret, oppletas terra turriculas ligneas, cæſarumque arborum materiam (ac forte multa in propinquo pomeria erant) propius arcem admovet, translatis rudem in orbem belli Batavici artibus. Mirum dictu, quam nullus eo in obſidio Iorenſium, & quos alii vicinorum regum miſerant, uſus fuerit. Primum, quem promiſerant numerum non præſtitere; tum militi obſequium & conſtantia non minus quam peritia aberant, nec ad eruptiones tantum, ſed ad quemvis telorum jactum ſtationes deſerebantur, claroque tum experimento patuit, Luſitanorum iſtis de gentibus prædam magis fuiſſe, quam victoriam. At Batavi, preſſi toto belli onere, per caſus fortuitos, nec minus ipſa laſſitudine & nocturnis imbribus carpebantur. Spes non erat, vi poſſe obſeſſos, numero validiores, a minoribus capi: ſupererat ut fames exſpectaretur. Sed quarto jam obſidii menſe pertendere ultra vetuit a Goa claſſis veniens, cui imperabat Alphonſus Caſtrenſis regius Indiæ prætor. Galeones erant quatuordecim, longæ quatuor, minores navium ſedecim: vehebantque Luſitanos aut alios ex Europa ter mille ſeptingentos: barbarici miniſterii prope tantundem. Mandatum illis, ut poſtea ex captivis literiſque cognitum, loca, quæ Batavi mercatu adire ſoliti, bello invadere, Achemum, Ioram, Pahamum, Pataniam, Bantamum & Ambonam. Prope Achemum ut venerant, regi ejus urbis impenſas claſſis ut ſolveret, Batavos traderet, arcem ſtrui pateretur imperabant, quaſi jure victoriæ. Sprevit hæc ille armis fretus & munimentis, quibus oram maritimam firmaverat, monſtrante Batavo. Vnum tamen horum irrupere Hiſpani: ſed cum clade repulſi, nec auſi ultra. Simul cognito Malaccæ obſidio, illuc properant, vacuas, ſi poſſent, naves, terraque ſparſum hoſtem oppreſſuri. Prævertit Matelifius per exploratores monitus: & quanquam ipſe militiæ novus, implevit egregii ducis officium. Impedimenta primum & machinæ navibus impoſitæ: inde Iorenſis miles: mox Batavorum ut quiſque longiſſime aberat, ita ante alios ingredi caſtellum jubebatur, quod in littore ſitum. Pars jam naves intraverant, pars terra morabantur, cum e Malacca vi magna prorumpitur; ſed repreſſo hoſte facilis de cætero inſcenſus fuit. Quamprimum ſe invicem claſſes conſpexere, telis eminus certatum, Luſitanis, quod 1608.

1608. quod ventus Sumatram verſus & ab hoſte ferret, pugnam vitantibus. Vt poſtera dies illuxit, ventusque a Sumatra flare cœperat, Matelifius, incubiturum ſibi hoſtem præſentiens, tolli anchoras juſſit. Sed una navium, cui nomen Naſſaviæ, cum anchoram emoliri non poſſet, & funem præcidere cunctaretur, ab Hiſpanicis duabus oppreſſa incenſaque eſt. Manabat in auctores periculum, ni longarum præſidium adfuiſſet: quod auxilii genus Batavis deerat: actæ igitur remulco flammam jam adhæreſcentem vitavere. Tentarant & ſuis conflagrantibus ſuccurrere Batavicæ naves, quæ Middelburgum & Arauſio vocabantur; ſed ventus repente langueſcens curſum deſtituit, ultroque ipſas aggrediuntur tribus navibus Alvares Carvalius, Henricus Norona & Duartes Guerra, Luſitanorum duces. Queis inter ſe implicitis Mauritius, alia Batavorum navis, injecit flammam, quæ Duartem quidem & Carvalium ſuis cum navibus, ſed una & Middelburgum abſumſit. At Noronam cum Arauſione decertantem Matelifius ipſe prætoria ſua invehitur, telisque fatigat, donec lacera navis in deditionis ſignum apluſtre ſubmitteret. Nec tamen auſus ille tranſire jam parantes Luſitanos recipere, metuens ne nauta, difficili adhuc prælio, in prædam animos manusque verteret. Igitur navem jam ſuam exiſtimans, parcique telis imperans, fune devinctam trahebat. Sed rupto ſponte vinculo Norona ad ſocios elapſus, fefellit anxiam nimis atque infelicem prudentiam. Nec tum ultra pugnatum, feſſo Hiſpano, & caventibus Batavis ne æſtu rapido infra hoſtem ſegreges truderentur. Æquarant victoriam perditæ naves binæ utrinque, Luſitanorum quidem majores; ſed in Batavos, ut minores claſſe, acrius damnum. Hominum impar clades: Batavorum octo deſiderati: Luſitanorum complures telis, flammis, mari perierant; nec paucos ſcapha ignem effugere quærentes ira nautarum, contra ducis quoque imperium, trucidarat. Proximi dies per quietem aut globorum jactus tranſiere, cœpitque Batavos nitratum deficere; majusque malum, nautram contumacia prope ſeditionem venit. Nam quia conventionis lege non tota claſſis, ſed ſua cuique navis ſuppoſita pignori fuerat, hi, quorum exuſtæ naves, velut mercede ſimul amiſſa, mœſti iratique alios jacturæ ſimilis metu prælia abnuere impulerant. Igitur ſedandis animis, ſimul ut ægra corpora ac naves reficerentur, Ioram cum claſſe Matelifius ſecedit, atque inibi cum regibus de firmando contra Luſitanorum impetus oppido con-

conſilia ſociat. Hic menſem moranti alterum lætus venit nuntius, diviſam hoſtium claſſem: partemque præſidio iviſſe imbellibus navigiis: nec ad Malaccam amplius reſidere quam Galeones ſeptem, longas tres. Nautas igitur modo minis, modo promiſſis aggrediens, vix tandem permovet, ne tam benignam juvandæ patriæ occaſionem de manibus emitterent. Vt ad Malaccam ventum eſt, conſpectumque hoſtium claſſem ſub arcis tutela anchoris teneri, quo eam apertum in mare deduceret Matelifius, hoc uſus eſt conſilio. Extimam quæ jacebat navium (Nicolaus dicebatur) cum prætoria ſua duabusque aliis ipſe circumvenit, præciſoque anchorali fune ſecum in altum trahit. Parcusque nitrati ob ejus penuriam paucos ſed certos globorum jactus deſtinat, non ima petens, quippe cum tranquillum mare merſare navem abnueret, ſed foros, & qua vis hominum denſiſſima conſtiterat. Statimque irrumpi navem jubet, ac ſi quid obvium obtruncari: nec ſegnis in obſequium nauta, ut prælio incaluerat, domeſtici certaminis oblitus; fit magna ſtrages. Vacuam jam navem, niſi ſi qui forte delituerant, cum incendere Matelifius vellet, elapſi nuper Noronæ memor, centurio quidam cuſtodiam ejus depopoſcit, nec præſtitit: nam rupto quo attinebatur reſte, navis ad ſuos rediit. Interea tota Luſitanorum claſſis, quo periclitanti Nicolao ſubveniret, ſolutis anchoris in mare deſcenderat. Expectabant Batavi ſingulis, interdum & binis, navibus ſingulas. Hiſpanicarum una cremata eſt, alia Sebaſtianum Suarem vehens ſe dedidit. Cæteræ & laceræ & cruentæ fluitabant, cum victoriæ nox interceſſit. Eximia eo die Batavorum & virtus & fortuna fuit, multis hoſtium interemtis, ex ipſis vix quoquam, niſi quos prædæ aviditas contactu navis ardentis una in pernitiem tulerat. Mane poſtero navis una, quæ maxime vulnerata, paucis vectorum reliquis apparuit, hæc quoque dedita eſt. Reliquæ ad ſtationem redierant. Cupiens has quoque corrumpere Matelifius, ut præclari operis ſummam abſolveret, metu tardabatur, ne tam propinquo littore fundo ſemet ipſe illideret. Hac in deliberatione cum dies hæſiſſet aliquos, videt ecce ultro Luſitanorum manibus quod reliquum ipſis erat navium incendi, fruiturque lætus inſani pavoris ſpectaculo. Captivos quos habebat, Alphonſo Caſtrenſi remiſit, primoribus indicto pretio quod nauta divideret, cæteros hac conditione, ut pauci viciſſim Batavi Malaccæ aut alibi detenti redderentur: hoſteſque tam viles, aut ſuos tam caros habuit, 1608.

ut

1608. ut decem prope ducentis permutaret. Naves hoſtium captas exuſſit, ne oneri forent: ſervatis machinis, quæ bello partæ, viginti quatuor. Atque ut hic egregiæ res, ita e Moluccis contraria nuntiabantur. Nam poſtquam Tidorim veteri poſſeſſori Verhagius permiſerat, Luſitani quidam dilapſi in Philippinas, (Caſtellani imperii ea portio eſt, quam indigenæ Luloniam vocant) præfectum Petrum Acunam auxilia orant, exorantque. Sed lex addita, ut Caſtellanis quoque paterent in poſterum Moluccæ, quondam inter ipſos certatæ, ut alibi narravimus: unde haud temere creditum, maluiſſe Caſtellanos recuperari inſulas quam in tempore cuſtodiri. Triginta & ſeptem magnis minoribuſque navigiis ad Tidorim ventum, & quo facilius occuparetur juvit rex ipſe, res Batavas voce, non animo, ſecutus. Inde in Ternatam tranſiere. Capiuntur munimenta & rex fidiſſimus Batavis, qui, præviſo dudum periculo, monuerat ſæpe ne ſine munimento Tidoris relinqueretur, pœnas nunc alienæ culpæ luens, fugæ ſe primum, mox Hiſpano credidit, vitam pactus & cætera ſperare juſſus. Sed regna ipſius Hiſpani arbitrio in reges olim æmulos diſtributa: ipſe cuſtoditus & in Philippinas avectus fuit. Matelifius, captam ubi Ternatam audiit, ſimile malum Ambonæ metuens, navem forte nactus hoſtium haud magnam, armis inſtruit, mittitque una quos in claſſe habebat gnaros muniendi artium. Ipſe Butonem petit, inſulam modicam, quærendo quod claſſis Luſitanicæ reliquum, ac Malacca, ut narravimus, digreſſum ibi tum morabatur. Sed conſpecto hoſte Luſitani pugnam perhorreſcentes, naves ipſas inter ſe, littorique devinxerant, machinis omnibus unum in latus obverſis; lecto inſuper maris ſinu, ubi æſtum ventumque hoſti opponerent. Ad hoc lignorum ſtruem arenamque telis obtenderant. Matelifius nulla accedendi copia, per naviculas incendiarias flammam conatus eſt inſpargere. Sed immiſſa ipſi ſcaphis amoliebantur: partim & venti reflabant. At Batavos, mandatis vetitos bello quam mercatui vacare, longius opperiri anni tempeſtas non ſinebat, ſtatis, qui in Moluccas ferrent, jam ingruentibus ventis. Pars Quedam abeunt, cujus loci rex, parandæ victoris gratiæ, Luſitanos apud ſe degentes vinxerat. Viciſſim ipſi dono dati qui gentis Indorum mixti hoſtibus in poteſtatem venerant. Obitiſque & regnis aliis compertum ex eventu prælii nutaſſe barbarorum fidem: adeo ut agitaverint quidam, traditis inſtitoribus Batavis, pacem

cem Hiſpanicam emere. Mox alia Luſitanorum navigia, ſed 1608.
ad mercaturam ſtructa, in prædam veniunt. Ambonam hinc properatum, ubi amantiſſimus Batavi nominis populus arcem magna diligentia ædificabat. Matelifius duo eſſe præcipua vincula exiſtimans, queis alienæ gentes inter ſe coaleſcerent, matrimonia ac religionem, ſacra ad tradenda magiſtros ſecum habebat nullos, haud ſatis imitante quæ eſt in Batavis ſocietate Hiſpani prudentiam, qui præcipuum regni inſtrumentum habet Ieſuitas. Cæterum jus connubii Batavis illic præſidium obtinentibus cum indigenis mulieribus eſſe voluit, quo facilius propagatis familiis coloniæ initium fieret. In Tidorim exſcendi brevia prohibebant, neque vero ex uſu erat, aut dignitate invadi quæ mox per hominum penuriam nuda hoſti exponerentur. Rectius viſum Ternatæ, cujus Auſtrina regione oppidum juſtis munimentis firmaverat Hiſpanus, & quadringentis militibus inſederat obverſum in Septentrionem angulum, qua vicus eſt Malaia nomine, & juxta pars frugum maxima, caſtello ac propugnaculis occupare: ut qui inde per Hiſpani victoriam in montes aut Gilolum aliaſque inſulas profugerant, duce Modeſari captivi regis filio, patrias repeterent ſedes. Proceſſit res feliciter, atque ubi in ſpem defenſandi moles operis excreverat, digrediens Matelifius, cuſtodiæ loci quadraginta quinque homines delegat, additis quatuor navibus, quæ propinquo mari vectarentur. Fœdus factum cum Ternatæ rectoribus quale cum Bandanis olim. Additum ob imminens periculum præſenti ut auxilio juvarentur, & ne Batavi pacem aut inducias cum Hiſpanis facerent, niſi queis illi comprehenderentur. Maquianis inſulæ populis octo, qui ſub Ternata olim, nunc Tidoris imperio premebantur, ad rebellionem feſtinantibus edicit, premerent laudanda, ſed immatura, conſilia in novæ claſſis adventum. Ipſe cum tribus navibus ac celoce una Sinas petit, expetito diu commercio inhians. Sed a Mandorinis (id præſidum nomen eſt). diu fruſtra habitus, Luſitanos Machaunte conſpicit ſex magnis navibus & minoribns aliis in ſe invehi. Temerarium videbatur in conſpectu gentis ignotæ famam vireſque in diſcrimen adducere, imparibus copiis. Accedebat quod naves, ut ſolitum longis ac perpetuis itineribus, ſquallidæ & per inquinamenta prægraves erant. Igitur, ſpe magna excuſſus, viam relegens intelligit dejectum in Ternata fortiter Hiſpanum, cum in nova munimenta impetum feciſſet. At Ioræ regem,
e Ma-

1608. e Malacca progreſſis hoſtium copiis, incenſo ſponte oppido, in avia & ſaltus profugiſſe. Ternatenſibus miſſa auxilia: nam forte navis recens e Batavis advenerat. Ioræ rex per literas culpæ ſuæ admonitus, quod cum ſæpe interpellaretur munire urbem haud inſtitiſſet, adjectum ſolamen, venturos qui ipſius injurias vindicarent. Ad Iavam Paulus Cardenus occurrit, ſeptem cum navibus, unam vado illiſam in Moſambicæ obſidio amiſerat, coactus abſiſtere morbis ſuorum. Sed captam ſibi Caraccam unam, corruptas illic hoſtium & Bengalæ ſub oram alias memorabat. Cum Matelifio a Siamenſi rege legati venere & dona ad Principem: ab aliis regibus literæ. Reduxit ipſe naves duas, tres aliæ ſequebantur; plenæ aromatum omnes. Hoc ipſo tempore cum Indicana ſocietas non domeſticis modo, ſed externis quoque & hoſtilibus pecuniis juvaretur, accuſato apud Archiduces ejus criminis mercatore haud ignobili & in vincula abducto, multis aliis neceſſitas indicta eſt fugæ. Florebat cum maxime Gallia rege quondam armorum potente, nunc pacis terrarum arbitro, tertioque jam reginæ partu ſexus imperii capacis. Eo ex regno Montius, ut alibi memoratum, Americæ, quæ in Septentrionem vergunt, Canadæ amni proxima, per colonias inſederat: ſed nullo inde fructu præter fibrinas pelles, (& harum quoque in partem Batavi venerant) ſocietas ſumtus gravata diſſiliit. Tamen aſſumtis aliis, miſſæ iterum naves, quæ deſerta jam loca repeterent, Porturegali, ac Quebeco ſedes fixere, cognito Crucis inſulam cœlo inſalubrem. In Britanniam e Virginia renuntiatum, nihil obſtitiſſe exſcenſui, & humano victui ſufficere fruges: ſed quæ telluris venas ſcrutati effoderant, haud operæ pretium reperta. Hiberniam Tironi factio turbaverat, irruptis quæ mari proxima caſtellis, dum Tironus ipſe Romæ apud Pontificem agit, ſed nullis ſubvenientibus auxiliis pulſi facile rebelles, & in ſylvarum avia protruſi. Hiſpania, poſtquam recluſum ipſi mare, jam pacis commoda præſentiens, non tamen omiſit miſſis ad Indos navibus tredecim, præter merces, militem imponere, gnara, quod quiſque præcepiſſet id, ſi fœdus fieret, in lucro fore. Rex ipſe poſitas nuper creditoribus leges emolliens fidem reparabat. Raro præterea exemplo filio infanti & trimo adhuc, media ipſe ætate, ſacramentum dici juſſit, ut regnorum hæredi. Mauritania, ſemper inquies, dum mobiles ſuperſtitione animos fatidici, ut libitum, nunc huc nunc illuc trahunt,

Indicana ſocietas hoſtilibus quoque pecuniis juvatur.

Rerum alibi geſtarum brevis hiſtoria.

hunt, tunc inter Abdalam, patruumque ejus Zidanum, Hametis quondam regis natu minimum, ſed ex juſta, ut ferebat, uxore filium, raptabatur: quorum ille Cheſi patris nomine Feſam tenens, Marocum, nobiliſſimam quamvis urbem, brevi ſpatio perdidit, vocato a civibus in regnum Hametis abnepote Mahumete; recepitque. Incerto Africæ jure, & facili inter bellantes receptu, prædonum haud ſpernenda vis citra fretum mare inſederat. Venerat ejus rei rumor in Batavos quo tempore Hagæ Spinola morabatur. Itaque Ordines, audito Batavam navem unam piratis acceſſiſſe, ne diſſimulando malum publicum alere viderentur, paratos ſe oſtenderant armata claſſe pœnas expoſcere, ſi tutum ab Hiſpanis iter fore Spinola ſpopondiſſet; ſed ille ſe ejus rei negavit habere poteſtatem. Plerique prædantium Britanni: nec indignum memoratu accidit, ut Zelandicam navem Angli aliquot, mercatorum ingreſſi ſpecie, mox nautas incluſerint. Vna forte Turca vehebatur, eorum ex numero, qui Cluſa capta, libertate donati, ſed poſt id tempus vitam in Zelandia egerat; is, rem auſus minime ſervilis ingenii, nocte excubantes Anglos duos, ſed vino ſocordiores, ferro tranſigit, nautasque exſolvit, qui directis in patriam velis, raptores ſuperſtites ſupplicio tradiderunt. In Germania acto Ratisbonæ conventu nihil niſi deliberatum. At Cæſar, cui nuper ad Batavas uſque res curam oſtendere vacaverat, ſuis ipſe regnis exuebatur. Nam Mathias habere malens quam exſpectare potentiam, contemta Rudolfi deſidia, haud paucos in Hungaria Auſtriaque invenit, qui præſentia gravarentur. Ac procurato gentis utriusque fœdere, & vocatis in odium Germanis, qui ſub Cæſaris perſona regnarent, collectum exercitum Pragam ducit, ubi fratris erat regia: ſed Boiohemis a Rudolfo ſtantibus colloquium & mox pax inita, ſic ut Hungariæ regnum qua Chriſtiana eſt, Auſtriæque & Moraviæ principatus Mathiæ in præſens cederent: Boiohemum inpoſterum, ſi Rudolfus ſine virilis ſexus prole moreretur. At ubi vix adepta poſſeſſione Mathias mores mutavit, ex comi ſeverus, & Auſtriacis Proteſtantibus uſum religionis negans, animi ab ipſo, arma in ipſum verſa: nec minus Boiohemi ſimilibus de cauſis imperatorem fatigabant. 1608.

HUGONIS GROTII HISTORIARVM DE REBVS BELGICIS LIBER OCTAVUS DECIMUS.

SVMMARIVM.

Zelandi cæterarum provinciarum conſenſui cedunt. Induciis obſtantia minuuntur. Novum colloquium Antverpiæ indicitur. Monſtratam ſibi formulam Hiſpanici ſignare differunt. De multis ejus capitibus acriter diſceptato tandem induciarum fœdus pangitur: Ejus leges & publica recitatio.

1609. *Zelandi cæterarum provinciarum conſenſui cedunt.* ANno novo, Zelandis per minas ægre adductis ut conſenſui cederent, quo incenſi altercationibus animi melius coaleſcerent, ac de re protrahenda metus omnis demeretur, promittunt inter ſe nationes, non pacturas cum hoſte, ni libertas verbis, quæ legatis placuerant, conceſſa re quoque præſtaretur: nec quicquam ei adverſum admiſſuras ſacra ſeu profana res foret. Et ſi hoſtis contra pertenderet, exſpectatis diebus octo haud amplius, abruptum iri colloquium, reditumque in arma quantis maxime poſſet viribus. Literis hactenus hinc regum legati, inde qui ab Hiſpano Albertoque miſſi nuper domum redierant, minuere controverſa laboraverant. Verum id cum tardius procederet, nec facile inter abſentes negotia explicarentur, judicata res colloquii egere; cui lectus locus Antverpia, quia & Batavorum multis inviſa hoſtium apud ſe manſio, & illi qui priores pacem petitum venerant, nunc velut rogari viciſſim pro magnifico ducebant. Feſtinando colloquio hæc inventa eſt via, ut ſimul veniſſet Antverpiam Spinola, & qui cum ipſo Hagæ fuerant, irent eo regum legati, formulam ſecum ferentes præcipua fœderis capita continentem, in quam Ordines rogatu legatorum, paucis duntaxat mutatis, aſſenſerant. His ubi ſubſcripſiſſent Hiſpanici, tum demum mitterentur Antverpiam Ordinum legati, tranſigendis cæteris, ipſi

Antverpia novo colloquio legitur locus.

ipſi Ordines Bergis ad Zomam conſiſterent, ut ſi quid arduum incidiſſet e propinquo conſulerentur. Monſtrata ſibi formula Hiſpanici, ut ſignarent rogati, quippe non hoſtium poſtulata, ſed amicorum habentem arbitria, cum imperioſum id nimis dicerent, ac breve ſaltem deliberandi ſpatium poſcerent, effecere, ut regum legatis id in ſe ſuſcipientibus armorum vacatio ad Februarii uſque exitum produceretur; polliciti ſunt reſponſum ſe interea daturos. Vt legi capita & excuti cœpere in verbis libertatem aſſerentibus nihil novatum, ſed potentium ſublimiumque vocabulo a legatis appellatos Ordines non ferentes Hiſpanici, illuſtres ſcribi pervicere. Voluerant Ordines ea tributa, quæ redimendis militum populationibus ſitus in medio ager hactenus bello reperta pependerat, per inducias manere. Id rejectum ut hoſtile & iniquum, nam Batavorum pleraque ſepta nec hoſti vectigalia: ipſi in Brabantiam Flandriamque latius penetraverant. Nitebantur Hiſpanici & navium onera Scaldi aliisque amnibus belli occaſione impoſita reſcindere: has quoque armorum reliquias dictando, nec ſibi modo, ſed Gallis quoque & Britannis graves. Sed non obtinuere, ut quippiam mutaretur: cognito legatis haud aliud magis perhorruiſſe Zelandiam. Spes tamen facta, poſt fœdus, amicis inter ſe mercatorum colloquiis rem melius tranſigendam, quippe jactantibus Hiſpanicis ſua eſſe in manu, ut illa ipſa onera exigentibus damno cederent. De India longiſſime & acriter diſputatum, quam diſerte nominari debere Ordines contenderant. Ricardotus ne id fieret regis Philippi intereſſe dicebat, multis de cauſis, quæ ad Ordines non pertinerent: alioqui hoc exemplo alias quoque gentes poſtulaturas navigandi libertatem, quam ne Galli quidem, aut Britanni, ut conceſſam, ſed ſuo periculo uſurparent; itaque ut induciæ ſine exceptione fierent, patiebatur: ſed commercia coerceri volebat intra ea, quæ Philippo per Italiam Hiſpaniamque poſſeſſa; extra indulgeri poſſe negans. Sicubi tamen non ipſe imperaret, haud obſtiturum quo minus illic Batavi negotiarentur; neque id tamen evulgandum publico fœdere: ſatis fore ſi arcanis pactionibus ſanciatur. Reſponderunt legati, multa hic eſſe quæ Ordinibus perſuaderi non poſſent: nam ſui quoque imperii ex ſolo relegare quenquam, hoſticum id plane: & ſi carendum ſit pacis fructibus, malle Batavos armis de illius orbis poſſeſſione certari. Præterea haud ſatis tuta,

1609.

Acriter utrimque diſceptatur.

1609. quæ conventa privatim non omnium ad notitiam pervenirent. De Hiſpania autem Italiaque quod diceretur, procul dubio anguſtum nimis, cum fretum intra Gaditanum jacentes inſulas, Fortunatas denique ipſas, & omnem Mauritaniæ oram, nemini hactenus clauſerit Hiſpanus. Illi viciſſim, ad longinqua & Philippo poſſeſſa ne bello quidem navigatum, quin & pacis colloquio id remiſiſſe Batavos. Non debere plus per inducias peti, quam aut arma dediſſent, aut pace ſperaretur. Bello Indicana permitti non placere Philippo: & diſſimilem Galliæ ac Britanniæ cauſam; inde paucas naves & furtim ire, Batavos juſtis claſſibus proficiſci. De cætero videbantur id daturi, ut pro Hiſpania atque Italia Europa omnis nominaretur, & ſi privata pacta diſplicerent, ita cupiebant inſtitui publicum fœdus, ne Indiæ vocabulum compareret. Poſtquam hujus capitis formula ſæpius innovata, nec his reperta illis probabantur, conſultique per Verreikium prius, inde per Ricardotum Archiduces, tandem in hæc verba conventum eſt. Subditi regis Philippi, Archiducum atque Ordinum, manentibus induciis amicitiam colunto, malorum, quæ per bellum data acceptaque, immemores. Commeare ac mercari inter ſe jus eſto, terra, mari, amnibus: quod tamen Hiſpaniæ rex coercendum judicat Europam intra, & quæ alia loca permiſſu ſuo pacatis ſibi amicisque gentibus antehac patuere: at extra eos fines poſſeſſis ſibi regionibus, oppidis, portubusque negotiari non licere, niſi accepta privatim venia. Verum quominus illic quoque aliis cum regibus populisve volentibus mercatum exerceant, Philippus miniſtrique ac ſubditi ejus ne obſtanto, nec moleſti eo nomine aut Batavis, aut qui Batavos ad commercia admiſerint, ſunto. His verbis adjici & iſta regum legatis placuit: quando tempore opus eſt, ut qui prædictos extra fines cum navibus ac copiis verſantur, fœdus factum intelligant, induciæ illic ex anno demum incipiunto: ſi nuntius ante pervenerit, armis utrique abſtinento. Poſt annum, ſi quid hoſtiliter factum erit, damnum reſarcitor. Huic additamento Hiſpanici valde reluctabantur, tum quod Indiam, non minus quam ſi nominaretur, claris indiciis exprimeret, tum quod res quidem illo in orbe raptas ſi exſtarent, reddi cuperent, at cædes & incendia non vindicari: ipſi ad atrocia proniores, cum Batavis præda ſit quam ſanguis potior. Tandem ceſſere, ſed vultu verbisque velut injuriam acce-

acceperant. Legati, his rebus confectis, poſtquam celeribus nuntiis regum quoque ſuorum voluntatem cognoverant, rogatis Ordinibus ut Bergis adeſſent, quæ ſibi laborata exponunt: orantes ut rebus contenti ſupra ſpem omnem egregiis, verba non anxie nimis expenderent; idem regibus placere; &, ne quid ad ſecuritatem deſit, ultro polliceri, ſi Indicana commercia per vim turbaret Hiſpanus, ſumturos ſe ut de violatis induciis ultionem. Ordines aliquantum diſceptato legatos Antverpiam mittunt, eoſdem qui pacis negotio præfuerant, niſi quod Trajectini Nicolai Berkii in locum Cornelium Reneſſium ſuffecere. His mandatum ut reſtantia conficerent, & qua poſſent, obſcuriora clarius evolverent. Vt annos duodecim induciis darent, Hiſpanici rogari voluere. Fines, ne ſingula perſequentibus longum certamen oriretur, hactenus diſcernere ſatis viſum, ut poſſeſſas quisque regiones ac oppida retineret, ager oppida ſequeretur. De commerciis ſuper ea, quæ ante memoravimus, convenit, ne alii apud alios graviora onera paterentur, quam aut cives, aut amicorum, qui minima ſentirent. Ac ne religionis crimen peregrinantes premeret, conceſſa Batavis eadem, quæ Velaſcus Britannis arcana pactione promiſerat. Naves alienas in publicos uſus retinere, aut pignorandi jus, niſi ex legum præſcripto, decernere vetitum. Privatis de rebus multa & paci quam induciis propiora. Captivi gratis ſolverentur. Duorum & quadraginta retro annorum tempus res diverſas ſecutis ad præſcriptionem ne noceret: neu dictæ adverſum indefenſos ſententiæ. Rerum mobilium, perceptorum fructuum, acceptoque latorum nominum, reſtitutio ne eſſet. Res ſoli ad veteres dominos, atque etiam eos ad cœtus, qui ſub Archiducum imperio ſacris deſtinati, ſtatim redirent, demta tamen alienandi poteſtate. Sed quæ a fiſco vendita, horum in locum reditus per annos induciarum ſolverentur, & pro his, quæ publicis operibus inſumta, pretium. Diſtracta ob æs alienum prædia intra annum redimere liceret: ſic tamen ut impenſarum utilium æqua haberetur ratio. In domibus, quæ intra oppida, jus idem ne eſſet; ſed penes emtorem manerent. Pro alluvionibus quoque & lacubus, quos privati ſuo ſumtu ſiccaſſent, nihil præſtaretur, niſi ſi quod vectigal inductum agris. Impoſitos quondam prædiis pecuniæ reditus, in annos queis prædia tenuiſſet, fiſcus, non vetus poſſeſſor, agnoſceret. Ex reipublicæ dignitate fuit, Naſſaviis, ut

1609.

Reſtantia quoque conficiuntur.

1609. ut optime de libertate meritæ domui, nominatim proſpici, non modo ut ſua reciperent, ſed ne obnoxii eſſent æri alieno, quod ab Albanicis uſque temporibus pater contraxerat. Teſtamenti factio eſſe juſſa inter utriuſque imperii cives, neu valerent tabulæ, quæ partium odio propinquos exhæredes facerent. Vrbibus, quarum ex fœdere juriſdictio privatis redderetur, nihilo ſequius hinc Ordines, inde Archiduces magiſtratus daret: & illud non minus prudenter, ut his quoque prodeſſent induciæ, qui egreſſi Belgarum finibus armorum metu externas quæſierant ſedes. Pleraque hæc Oldenbarneveldius perſcripſerat, ut quidque aut inde inſidioſum metuerat, aut patriæ profuturum eminus ſpectabat, ita mira ſollicitudine verba temperans. Securitati hæc præſidia circumdata: ne bellicæ naves oras portuſque alienos accederent, ni id permiſſum, aut tempeſtas cogeret. Nova caſtella ſtruere interdictum. Promiſſa communis opera, quo terra marique prædones fugarentur. Privata commiſſa adverſus auctores ipſos, aut ubi degerent, vindicarentur. Sed eo obtentu inducias frangere ne liceret. Fœdus hoc Ordines ratum facerent, item Philippus & Archiduces & ſuo poſterorum nomine; Ordines atque Archiduces ante diem quintum, Philippus tertium intra menſem: promitterent ſinguli nihil ſe contra facturos, aut paſſuros fieri, recta ſeu per obliquum tentaretur: ſi quis ſuorum auderet, jus & pœnam præſto. Et hæc quidem palam. In arcano illud Hiſpanici acriter cupitum Gallis annitentibus obtinuere, ut quod agri Brabantici ceſſurum Ordinibus, rituſque Latinos hactenus habuiſſet, illic ne quid in religione mutaretur. At Ordinum legati a regum legatis ſcriptum accepere teſtimonium, profeſſos ſæpe in colloquio adverſarios commerciorum capite Indiam comprehendi; at quo minus nominaretur, Ordines legatorum precibus dediſſe, tantundem fore ſpondentium: præterea eam fuiſſe Ordinum mentem, ut cuncta per Indiam Hiſpanis in ſe uſurpata ipſi in Hiſpanos ſtatuerent, & ſi qui illic ſunt Batavorum fœderati oppugnarentur, eos defendere ne contra inducias foret: ut finibus Ordinum continerentur Bredana Bergenſiſque ditio, & quicquid Graviæ cohæret. Viciſſim poſtulantibus Galliæ legatis, Ordinum legati teſtati ſunt, inter eos, qui bona recuperarent, numerandos principis Spinoii, res quondam Fœderatorum ſecuti, hæredes: futurumque, ſi Ligniaci reddere cunctarentur, ut Ordines Waſſe-

narias

narias per Hollandiam Ligniacorum poſſeſſiones Spinoiis addicerent: datum hoc Roniaci gratiæ, præpotentis id tempus in Gallia, ut qui ærarium regeret: namque ejus filia Spinoiæ domui innupſerat. Nono Aprilis die factum eſt fœdus, quo illa per Europam notiſſima & perve&ta jam alterum in orbem arma in ſpem pacis per inducias ponebantur. Statimque Archiducum & Ordinum literis probatum, ac publice recitatum eſt Antverpiæ illisque in partibus magno plebis gaudio: apud Batavos haud æque, dum ſponte pacis amans populus, ſed quadraginta annorum malis proſperisque confuſus tarde ad ingenium redit. At externi, ubi ad eos fama manavit, extorqueri potuiſſe regi potentiſſimo libertatis confeſſionem & Indiæ partem, utrumque ſine exemplo, nec credita hactenus, tanto impenſius mirabantur. Hinc vires, hinc conſilia æſtimabant. Certe eo ex tempore multi reges, principes, nationes, Batavam ad ſocietatem reſpicere cœperunt. 1609.

Archiducum & Ordinum juſſu fœdus publice recitatur.

FINIS HISTORIARVM.

INDEX
IN ANNALIVM LIBROS.

LIBER I.

Anno 1566.

Belgicæ veteris ſitus & limites. 2
Belgarum origo, lingua: Comites, Duces. 2
Hæreditaria illis conceſſa ditio. 3
Succeſſores privilegia jurejurando confirmabant. 3
Reipublicæ antiquitus adminiſtrandæ ratio. 3
In Burgundionum ditionem tandem concedunt. 3
Ius tamen populi tuebantur Ordines. 4
Belgicæ dominium in Auſtriacam familiam tranſlatum. 4
E moribus Hiſpanorum mutatio reipublicæ prævidetur. 4
Belgarum Hiſpanorumque in moribus convenientia & diverſitas. 4
Hiſpani Belgas ſub leges trahere volunt. 5
Quid Carolum V. idem ſerio meditantem de eo deterruerit. 6
Triplex conſiliantium claſſis. 6
Philippi ingenium & mores. 6
Leges Belgicæ ſubruere ſtudet. 6
Iter illi in Hiſpaniam perſuadent Hiſpani. 7
Arauſionenſis proſapia, munia, poſſeſſiones, indoles, mores, præfecturæ. 7
Egmondæ comes Flandriæ & Atrebatum rector. 7
Maris præfectus Hornæ comes. 8
Hos amoliri ſtudent Hiſpani. 8
Belgarum procerum inter ſe ſimultates. 8
Inquiſitionis origo, adminiſtratio, infelix apud Belgas eventus. 8
David Delphicus & Iohannes Bucoldus. 9
Philippus inquiſitionem inſtantius urget. 12
Arauſionenſi & Egmondo ſumma negatur præfectura. 12
Albæ ducis, & Granvellæ genus, mores, munia: ex horum ſententia Margarita Parmenſis Belgicæ præficitur. 13
Philippus contra leges Hiſpanorum militum præſidium apud Belgas relinquere ſtatuit: odii ejus in Belgas implacabilis cauſæ: amiſſa claſſe in Hiſpaniam venit. 13
Miles aliquanto poſt abductus. 13
Vis regiminis penes Granvellam: Hornani cum illo veteres inimicitiæ. 14
Arauſionenſis Egmondum, pluresque aurei velleris ſodales, in Granvellam exſtimulat. 14
Adverſus illos ſibi adjungit Granvella Barlæmontium, Viglium, aliosque. 14
Ad publica factionis erumpitur inſignia. 14
Philippi juſſu, novi antiſtites per Belgicam renunciantur: 14. quod omnibus pæne inviſum: abbates ſe opponunt: Brabanti ſe ſocios dant, & veterum antiſtitum nonnulli. 15
Belgarum contra Granvellam querelæ. 16
Arauſionenſis, Egmondus atque Hornanus repetitis literis Regi ſuadent, ut Granvellam odioſa potentia dimoveat. 16
Granvella diſcedendi mandata accipit. 16
Quo amoto, proceres ſummam diligentiam rebus advertunt; rationes publicas & ad leges pertinentia in ſe trahunt: religionem facilius doceri, quam cogi poſſe, profitentur; a Romanis cæremoniis interim non decedunt. 17
Egmondus in Hiſpaniam miſſus ſimulata mente excipitur. 17
Philippus ſpem illi facit, poſſe edicta circa religionem temperari: 17. eodem tempore per uxorem Bajonam miſſam cum Carolo Galliæ rege exſtirpandis ſacrorum novatoribus mutuam opem firmat. 18
Egmondus ad ſuos redux ſpem vanam adfert. 18
Brabanti inquirendi morem patriis adverſari legibus contendunt. 18
Vulgus ab eo præcipue abhorret. 18
Ad Regem ſumma religionis, qua hæreſeos accuſabatur, tranſmiſſa. 18
Georgius Caſſander & Franciſcus Balduinus, qui moderata ſuaderent ab Arauſionenſe acciti. 18. Irrito eventu. 19
Proceres pacem religionum procurare inſtituunt: a ſenatu digreſſi alios aggregant; contra inquiſitionem fœdus pangunt. 19

Inter

Inter duces ſocietatis præcipuus Ludovicus Naſſavius. 19
Fœderatorum ad Margaritam preces. 20
Gueuſiorum nominis origo. 20
Montiniacus & Marchio Bergarum ad Zomam ad Regem mittuntur. 20
Transmiſſa a ſenatu Belgico moderandarum legum forma Regi diſplicet: 20. ordinum haberi conventum vetat. 21
Pontificis Romani imperia abnuentium tria per Belgicam genera: Anabaptiſtæ, Lutherani, Calviniſtæ. 21. Iſti atque alii jus novum nimis acerbum judicant. 22
Sedandis motibus intenta præfecta vulgus ſacra novo ritu peragit. 22
Monaſteriorum deſertores aggregantur. 22
His muniebantur fœderati nobiles. 22
Per totam Belgicam eodem tempore templa violantur. 22
Atrebates, Hænovii, Lucemburgenſes fidem in Romanam eccleſiam Regemque conſervarunt. 22
Margarita tempori, & procerum conſiliis obſequitur: 22. Nobilibus promittit geſta fraudi non fore; plebi conciones permittit. 23
Arauſionenſis offenſam ejus incurrit. 23
Interceptis ex Hiſpania literis omnes exitio deſtinantur: Tenerimundæ in medium conſulunt. 23
Arauſionenſis regem honorum depoſitionem rogat. 23

Anno 1567.

Scripto Regi ſuadet permittere religiones, quas vicina imperia admiſiſſent. 23
Hornanus ſuos ſe in penates abdit. 24
Illis ſemotis, omnia, quæ pepigerat præfecta, reſcindit. 24
Fœderati nobiles rem communem produnt. 24
Iurare præfecta duces cogit, hoſtes futuros, quoſcunque rex deſignaſſet. 24
Egmondus aliique hoc ſacramentum dicunt. 24
Soli Arauſionenſis & Hooghſtratanus detrectant. 24
Præſentia Regis turbarum optimum habetur remedium. 25
Rex moras nectit. 25
Cæſaris ſuper re Belgica conſulti reſponſum Philippo diſplicet. 25
Literæ Regem cum exercitu venturum ſignificant. 25
Aptiſſimum perdomandæ Belgicæ tum Philippo tempus. 25
Albanus ſumma cum poteſtate a Rege mittitur. 26
Arauſionenſis ad fratrem abit. 26
Brederodius armis pellitur. 26
Plurimi in vicina regna fugiunt. 26
Quibus egreſſis pax erat. 26

L I B E R II.

Anno 1568.

Albanus Belgicam intrat. 28
Galli eodem tempore in bellum erumpunt. 28
Albano nemo obſiſtit: Margaritæ abitus illi ad ſummam præfecturam gradum facit: Egmondum atque Hornanum vinctos extra Brabantiam cuſtodiendos ablegat; Belgicæ urbibus præſidia Hiſpanorum imponit. Arembergium cum equitatu in Galliam mittit: exarmatis urbibus arces imponit. 28
Puniendis turbarum autoribus duodecim conſtituit judices. 29
Plurimi necantur. 29
Egmondus & Hornanus capite plectuntur. quod atrox Belgis ſpectaculum. 29
Arauſionenſis bona in fiſcum vertuntur: Filiusque in Hiſpaniam captivus abducitur. 29
Magna ubique fit vaſtitas. 29
Mitiora a Rege ſperari non ſinunt nuntii ex Hiſpania. 30
Arauſionenſem ad arma impellunt exules. 30
Ludovicus Naſſavius cæſo prius Arembergio ab Albano fugatur. 30
Arauſionenſis juſtitiam cauſæ ſuæ libris evulgat. 30
Brabantorum cum principe pacta: idem jus aliis Belgarum nationibus quoque uſurpatum. 31
Maximiliano Cæſari per Carolum fratrem apud Philippum pro Belgis intercedenti acerbe a Philippo reſpondetur. 31
Ad expeditionem Arauſionenſis ſuam propinquorumque fidem pignoribus obſtringit. 31
Pauci Arauſionenſem miliſe & pecunia juvant. 31
Sex equitum millia, peditum quatuordecim

 cim

cum ſcripta : quæ Albanus non pugnando debellat. 32
Arauſionenſis in Galliam diſcedit. 32

Anno 1569.

Albanus ſacrato enſe a Pontifice donatur: ſibi ſtatuam ponit: multa utilia conſtituit. 32
Pleraq; relinquuntur Regis arbitrio: tum ultima Hiſpanorum commenta patuere. 33
Inaudita tributa Belgas pendere Albanus jubet : in obloquentes ſevere animadvertit. 33
Belgarum contumaciores privilegiis exuuntur. 33
Oceanus magnam ſtragem adfert. 33

Anno 1570.

Oppreſſi Belgæ vindictam & defenſionem cogitant; Bruxella in urbe decimam ſolvere detrectant. 34

Anno 1571.

Bellum iterum experturus Arauſionenſis auxilium principes proteſtantes rogat: Danus & Sueo negant : nec auſa Anglia regina ; Naſſavianos Angliæ fines excedere jubet. 34
Rex Galliæ Arauſionenſi ſuppetias ferre velle ſimulat. 35
Miſſæ ad Arauſionenſem pecuniæ , & communicata conſilia. 35
In Belgas Oceano & per maritimam oram prædabundos ſpeciem imperii retinet Arauſionenſis. 35

Anno 1572.

Viginti quatuor navigia Brilam capiunt: 35. Boſſuvius Roterodamum magna cum oppidanorum cæde diripit. 36
Quo Hollandi impulſi ad exules juvandos. 36
Hos ſequuntur Fliſſingani & alii : quo non multum lætatur Arauſionenſis. 36
Prima reipublicæ forma Dordrechti concepta. 36
Hiſpani interim terra , mari Belgæ ſuperiores. 36
Medinicælius capta claſſe vix ipſe elabitur. 37
Albanus Montem Hanoviæ obſidens Hollandis ac Zelandis coaleſcendi dedit ſpatium. 37
Naſſavio ex Gallia auxilium mittitur : Pariter ex Germania Arauſionenſis procedit exercitus. 37
Gallos incautiores intercipiunt Hiſpani. 37
Arauſionenſis dimiſſo exercitu in Hollandiam abit. 37
Mons deditur. 37
In Machliniam aliasque urbes jure victoriæ utitur Albanus. 37
A Naſſavianis Friſiæ & circa Iſalam occupata loca deſeruntur. 38
In captas Nardam & Zutfaniam Fridericus filius Albani turpiter ſævit. 38
Fœderatarum provinciarum deſcriptio. 38
Communibus Hollandiæ , Zelandiæque cœptis Amſtelodamum & Middelburgum valde obſiſtunt. 40
Bommelienſis inſula Hollandiæ munimentum. 40
Arauſionenſis adventu turbata omnia compoſita : cum Ordinibus omnia gubernat ; ſex majoribus urbibus de rebus antea conſulentibus duodecim minores adjicit. 40
Rebus omnibus contra Regis mandata Regis prætenditur nomen. 41
Romanæ cæremoniæ templis exiguntur: iis addicti non facile ad magna munera promoventur. 41
Genevenſis diſciplina publice recipitur: ita tamen ut omnes de religione leges inquiſitionis nomine infamarent. 41
Agri , & vectigalia principis , aliaque in publicos vertuntur uſus. 41

Anno 1573.

Tunc inventa tot tributorum nomina. 42
Summa tamen nummaria difficultas. 42
Expugnandarum urbium Fœderatis cum Hiſpanis communis imperitia. 42
Albani error. 42
Harlemum ſe Hiſpanorum ſævitiæ permittit. 42
Succeſſuum continuationi Hiſpanorum diſcordia obſiſtit. 42
Quorum impetum prima fregit Alcmaria. 42
Naſſaviani Gertrudisbergam capiunt, & ipſum cum claſſe Boſſuvium. 42
Albanus cum filio revocatur. 42

Anno 1574.

Ejus crudelis jactantia. 43
Succedit Requeſenius. 43

Albani ſtatim tollit ſtatuam. 43
Middelburgum Zelandis accedit. 43
Ludovicus Naſſavius cum Henrico fratre & Chriſtophoro Palatino cæditur. 43
Tumultuantes contra duces ſuos Hiſpani Antverpienſibus 400000 florenorum extorquent. 43
Connivente Requeſenio. 43

Anno 1575.

Hac injuria nationum ſtudia Arauſionenſi vehementer conciliantur. 44
Aldegondius magnæ apud Arauſionenſem authoritatis. 44
Legati de concordia aucturi utrimque Bredam conveniunt: re infecta diſcedunt. 44
Requeſenius belli interim ſecuros vi opprimere conatur. 44
Copiæ regiæ ab agreſtibus in Weſtfriſia cæduntur. 44
Lugduni obſidio. 44
Summi in Hiſpanos odii mirum exemplum. 45
Mari terris immiſſo Lugdunenſis ſolvitur obſidio. 45
Baldeſius Trajecti oppugnatione depellitur. 45
Hiſpanus ſiniſterioribus quoque Hollandiæ tentatis locis tandem reprimitur. 45
Petri Melendis infelix in Fœderatos maritima expeditio. 45
Terrorem maritimum in longum differre coguntur Hiſpani. 45
Requeſeniani expugnato Bommenedæ portu Zyrixæam expugnant. 45

Anno 1576.

Batavis laborantibus fruſtra principum ambiuntur amicitiæ. 46
Henricus Galliæ Rex clam res Batavorum fovet. 46
Requeſenio extincto, ad Senatum regiarum partium adminiſtratio translata rem deſperatam reſtituit. 46
Hopperi Friſii magna apud Hiſpanos authoritas. 46
Brabantorum animos clam ſibi conciliat Arauſionenſis. 46
In Requeſenium inſurgere incipiunt. 46
Flandri Requeſenio tributa negant. 46
Arauſionenſem ſibi Senatum conciliantem Hiſpani militis adjuvit ſeditio. 47
Bruxella rapinæ deſtinatur. 47
Miles hoſtis patriæ & principis a Senatu palam judicatur. 47
Aloſtum irrumpit ac late circumſita populatur. 47
Quo aliquot primores Brabanti impelluntur ad Senatum in ſedibus ſuis comprehendendum. 47
Fœdus in Hiſpanos cum aliis pangunt. 47
Hiſpanis Hollandia exeuntibus ſe ducem dat Roda: 47. Trajectum ad Moſam diripit: mox & Antverpiam. 48
Belgæ ad ſui defenſionem opera Arauſionenſis uti ſtatuunt. 48
Pacis Gandavi reſumuntur colloquia: ejus leges. 48
Lucemburgii fœderi non accedunt; accedunt Friſii præfecto ſuo in vincula conjecto. 48
Dejectis arcibus exuitur ſervitus. 48
Fœdus contra Hiſpanos omnium Ordinum confirmatur juramento. 48 & 49

Anno 1577.

Philippus tempori cedens pacta confirmat: Iohannem Auſtriacum Belgicæ rectorem mittit. 49
Hunc ſervandæ pacis mandata palam præferentem ad contraria omnia veniſſe interceptæ docent literæ. 49
Illum ut bello opprimant, fruſtra Belgis ſuadet Arauſionenſis. 49
Invitis Hollandis, illorumque ſociis Auſtriaco ſumma conceditur præfectura. 49
Hiſpani militis Belgica excedentis jactantia. 50
Iohannes Namurcum occupat: Germanicas cohortes ad urbium deditionem ſollicitat. 50
Ab Ordinibus prævenitur. 50
Ordines Iohannem violatæ pacis apud Regem accuſant: ille Arauſionenſem; qui apud omnes libertatis audiebat author; ad præfecti dignitatem a Brabantis evocatur. 50
Id Arſcotius aliique ægre ferentes Mathiam Auſtriacum ad regimen invitant. 50
Arſcotius in cuſtodiam datur. 51
Arauſionenſis quoque ſuaſu Mathiæ ſummum Belgicæ permittitur regimen, ipſi vicarium. 51

LIBER III.

Iohanni bellum indicitur. 53

Regina Angliæ Belgis favere incipit: pecunias & auxilia promittit: nihil patitur ſine ſua voluntate apud eos decerni: ne temere Romanæ religionis poſſeſſio moveatur, monet: Regi per literas pacem ſuadet. 53
Ordines Philippum ſibi mitigare ſtudent: valeſcunt interea inter illos ſimultates. 53

Anno 1578.

Belgarum exercitum cædit Iohannes. 54
Victoriæ præmia. 54
Victi ſpe pacis tentantur. 54
Oblatæ conditiones recuſantur. 54
Franciſcus Valeſius & Caſimirus Belgis operam offerunt. 54
Margarita Valeſia fratrem commendat. 54
Reſpublica undique confuſa. 54
Naſſavianis deditur Amſtelodamum. 55
Pulſis Romanæ ſectæ magiſtratibus publico potiuntur: idem alibi accidit; quo ſociorum animi offenduntur. 55
Iohannes Naſſavius Geldriæ rector, Friſiæ Rennebergius. 55
Huic regendæ & perdomandæ Transiſalanæ electo duci Campi & Daventria deduntur. 55
Valeſius Ordinum decreto Belgicæ libertatis vindex. 56
Reformatorum poſtulata ab Ordinibus admittuntur. 56
Inter Romanenſes & Reformatos interna diſſidia. 57
Gandavenſes concitore Imbiſio palam imperium detrectant: Romanas cæremonias cum ſacerdotibus urbe exigunt: urbem operibus muniunt. 57
Ordinum & Mathiæ mandata deſpicatui habita; neque ulla apud illos Arauſionenſis gratia. 57
Atrebates & Hænovii novam legem recuſantes, contendunt Gandavenſes bello coërcendos: obſiſtunt Arauſionenſis & alii. 58
Exercitus Belgarum dux Boſſuvius. 58
Gandavi vicecomes magiſter equitum. 58
Præfectus caſtrorum Lanovius. 58
Caſtra irrito conatu adortus Iohannes. 58
De pace interim inſtituta colloquia: ejus conditiones. 58
Iohannes novis auctus copiis colloquium de pace abrumpit. 59
Caſimiri cum exercitu in Belgicam adventus. 59
Belgarum inter ſe diffidia propinquam libertatem avertunt. 59
Montiniacus Atrebatum factionem ſequitur. 59
Gandavenſes militem adverſus eos conſcribunt. 59
Armorum prætextus. 59
Flandri a Caſimiro militem accipiunt. 59
Franciſcus Binckium oppidum expugnat: ad Belgarum exercitum ſe venturum negat: militem ſuum ad Montiniacum dilabi patitur. Belgas ingratitudinis accuſans in Galliam digreditur. 60
Morbi vi ſubita rapitur Auſtriacus: nimiæ ambitionis Philippo ſuſpectus; veneno extinctus quibuſdam creditur. 60
Parmenſis Iohanni ſuccedit: ejus indoles & artes. 61
Illius ſuſcitarionibus diſſidia magis exardeſcunt. 61

Anno 1579.

Arauſionenſis omnia remedia experitur: At fruſtra. 61
Parmenſis Caſimiri equitatui decedendi poteſtatem facit: Trajectum ad Moſam obſidet. 61
Interim legati ad faciendam pacem conveniunt: cui occulte obſiſtit Arauſionenſis. 61
Parmenſis Belgas ad occupandam Regis gratiam hortatur. 62
Ei primus reconciliatur Lamota. 62
Quem ſequuntur cum copiis ſuis Montiniacus, aliique. 62
Pacis conditiones. 62
Reconciliati Walones maximum regiarum partium robur. 62
Plures diſſidentium Belgarum nationes ſub imperium Philippus redigit. 63
Cæteras Trajecti Batavorum arctiori fœdere illigat Arauſionenſis. 63
Fœderis Trajectini ſumma. 63
Omnium cum oppidanorum, tum agreſtium ætatis armis idoneæ initur numerus. 63
Per alias Belgicæ nationes maximæ turbæ. 63
Secta Romanenſis Silvanducis tenet. 64
Reformati Antverpiam: quod Arauſionenſi imputatum. 64
Multi hinc ad Hiſpanos deſciſcendi occaſio-

caſionem rapiunt: inter quos Carolus Egmondi filius: qui Bruxellæ obſeſſus oppidanorum miſericordia incolumis dimittitur. 64
Brugis aliisque in locis magni tumultus. 64
Ipra & Gandavum fœderi accedunt. 64
Arauſionenſis Gandavi captivos dimittit: Flandriæ præfectura illi confertur. 64
Dum Coloniæ Agrippinæ de pace agitur, Parmenſis Trajectum ad Moſam expugnat: externum militem dimittens Machliniam aliasque urbes ſibi conciliat; a quibus præfectura illi confirmatur. 65
Fœderatis oblatæ a Rege pacis leges diſplicent. 65
Cum Arauſionenſi ſeorſum agitur, ſed fruſtra. 66
Arſcotius aliique Regi reconciliati Hiſpanis ludibrio habentur. 66
Ingens fœderatæ Reipublicæ vitium. 67
Pecuniæ publicæ cum apud Fœderatos, tum apud hoſtes, penuria. 67
Philippus per Albanum Luſitaniam ſubigit, quod magna incommoda Batavis adfert. 67

Anno 1580.

Parmenſis interim aliquot oppida recipit. 68

Anno 1581.

Nienova Lanovius hoſtem exigit. 68
Egmondus & Silleſius captivi: ipſe quoque Lanovius capitur. 68
Machlinia ab Anglis diripitur. 68
Margarita Parmenſis ad regendos iterum Belgas adveniens remittitur. 68
Rennebergii inconſtantia Bellum in Friſia exardet. 68
Friſii arces ſolo æquant. 69
Transiſalani nutantes reſtituuntur. 69
Groninga ad Regem deſciſcit. 69
Enteſius eam obſidere jubetur. 69
Scenkii opera ſolvitur obſidio. 69
Rennebergius a Stenovici obſidione depulſus moritur; ejus ſucceſſor Verdugo. 69
Romanenſibus in Brabantia & Transiſalana privata quoque ſacra interdicuntur. 69
Arauſionenſis Ordinibus novi ſenatus autor: ut Philippum repudient, ſuadet, ac Franciſco Valeſio principatum deferant. 70
Philippo imperium abrogatur, hoſtis vocatur. 71
Mathias honorifice dimittitur. 71
Hiſpanus in proſcriptum Arauſionenſem percuſſorem invitat. 71
Hic libello ſe defendit. 71
Vtriuſque ſcripti ſumma. 71
Arauſionenſis innocentiam publice teſtantur Ordines. 72
Franciſcus ad imperium vocatur: frater ejus Galliarum rex aſtipulatur, ac ſe ſubſidio futurum promittit. 72
Cameraeum obſidio liberat Franciſcus: liberatæ urbis princeps ſalutatur. 72
Tornacum Parmenſi deditur. 72

L I B E R I V.

Franciſcus in Anglia fruſtra de matrimonia agit. 73

Anno 1582.

In Belgicam reverſus imperium ſuſcipit. 74
Leges illi præſcriptæ. 74
Belgarum nobilium indignatio; ejus cauſæ. 74
Summa plebis in Arauſionenſem ſtudia. 75
Ejus vita latrociniis Hiſpanicis infeſta. 75
Parmenſis interim Aldenardam capit, Aloſtum Valeſius, Liram Parmenſis miles. 75
Verdugo, fruſtra tentato Lochemo, Stenovicum occupat. 75
Externum militem Philippus Parmenſi remittit, 75. ejus ſumma. 76
Ordinum validæ quoque copiæ. 76
Valeſius fraterna exſpectat ſubſidia: cauſæ quod non mittantur; unde atrox Valeſio conſilium. 76

Anno 1583.

Ejus authores. 77
Varias occupat urbes: ejus miles Brugis ejicitur: omnium infeliciſſime tentat Antverpiam. 77
Franciſcus cum ſuis aufugit. 78
Plurimi Belgarum ejus incœpto offenduntur. 78
Omnibus a Parmenſi Regis offertur clementia. 78
Arauſionenſis a Valeſio tamen neutiquam deſciſcendum cenſet. 78

Quod

Quod ne fiat Galliarum quoque regi cordi. 79
Dunkercæ cum Valeſio agitur. 79
Biron ad reprimendum Parmenſem mittitur. 79
Multa cauſatus Valeſius, Dunkerca in Galliam concedit; Belgarum ad regem ejus fratrem preces. 79
Valeſii mors. 79
Dunkerca præſidio nudata in Parmenſis venit poteſtatem; cujus jactura nondum diſſenſiones ſanantur. 80
Arauſionenſis in Zelandiam abit. 80
Parmenſis interim multas urbes in deditionem accipit. 80
Hogius audaci mendacio Hollandiam turbans ſupplicio afficitur. 81
Truxii conjugium belli in Agrippinenſi ditione cauſa: ab hoſtibus pulſus ad Arauſionenſem profugit. 81
A Taxi Zutfania capitur. 81
Belgarum vires diſcordiis pereunt. 81
Herenbergenſis Geldriæ rector ad Hiſpanos cum filiis transfugit. 81
Illi ſuccedit Nienarius. 82
A Gandavenſibus Imbiſius revocatur. 82
Cimacenſis Brugarum præfectus. 82
Hi duo Flandriam hoſti tradere ſuſcipiunt. 82
Parmenſis occaſione utitur. 83
Terra Waſia aliaque oppida illi deduntur. 83
Brabanti disjectis aggeribus Scaldim diffundunt. 83

Anno 1584.

Parmenſiani intra Gandavum & Brugas caſtra locant. 83
Brugas Regis obſequio reddit Cimacenſis, quas aliæ urbes ſequuntur. 84
In Imbiſium proditionis reum capitali ſupplicio animadvertunt Gandavenſes. 84
Parmenſis Scaldim obſidet. 84
Antverpienſes ad tutandam navigationem duo excitant caſtella. 85
Arauſionenſis Delphis occiditur; morientis pia vox. 85
Rem privatam relinquit perturbatiſſimam: quadruplex ejus matrimonium. 85
Funus maximo luctu celebratum. 86
Mauritius filius illi ſuccedit. 86
Ejus a patre relicta hæreditas. 86
Hohenlojus apud Hollandos & Zelandos vicariam accipit poteſtatem. 86
Wilhelmo Naſſavio Friſia regenda conceditur. 86
Friſiorum diſcordiæ, a Naſſavio componuntur. 86
Conſtans Batavorum fortitudo. 87
Scaldis cœptum obſidium urget Parmenſis; Tenerimundam capit, & Vilvordam. 87
Gandavenſes ſe ei dedunt. 87
Ricardoti ſolertia. 88
Arx Gandavi reponitur. 88
Antverpienſes ſociorum opem implorant. incertum apud illos imperium: vicini auxiliandi tempora prætermittunt. 88
Calamitoſus Fœderatorum ſtatus. 88
Ex Gallia & Anglia miſſi qui illos conſolarentur. 89
Dubitatum utri regno vellent accreſcere. 89
Gallia præfertur; a qua tamen propter inteſtinos tumultus non recipiuntur. 89

LIBER V.

Fœderati a Gallia non recepti ad Eliſabetham recurrunt. 91
Validæ interim civitates deſciſcunt. 91
Antverpienſium intempeſtiva frugalitas. 92
Parmenſis ad expugnandam fame Antverpiam diligentia; ejus opera. 92
Belgarum in iſtis evertendis negligentia. 92
Placentina arx Parmenſi redditur. 92

Anno 1585.

Omnibus incaſſum ad liberandam Antverpiam tentatis poſt Bruxellam & Machliniam in Parmenſis venit poteſtatem. 92
Parmenſis a Rege aureo donatur vellere: arcem reſtituit. 93
Batavi Antverpienſibus proditæ ſocialis fidei ſuſpecti. 93
Hohenlojus Silvæducis feliciter ingreſſus, eam continuo deſerere cogitur. 93
Noviomagum & Doſiburgum Hiſpanis deduntur. 93
Exules Brabanti & Flandri Hollandiam ſibi ſedem eligunt. 93
Delatum interea Belgarum imperium Eliſabetha recuſat. 93
Auxilia promittit: quinque millia peditum & mille equites. 94
Fœderis leges. 94
Bri'a, Fliſſinga cum Zeburgo Anglorum præ-

præſidiis in pignus dantur. 94

Liceſtrius auxilii Anglicani imperator; illius mores & fortuna; obviis populi ſtudiis & procerum aſſentatione in Batavia excipitur. 94

Anno 1586.

Maxima ejus in Senatu authoritas; immodici illi conceſſi honores Reginæ non probantur: imperium in Belgas affectat. 95

Ingenia Anglorum plurimum a Belgis differunt. 95

Liceſtrii in Ordines criminationes, 95. aſſentatores cum ad ſpem dictaturæ hortantur. Concitandæ plebi ærarii patrocinium uſurpat: negotiationis libertatem circumſcribendo plurimos offendit, ac ingens reipublicæ detrimentum affert. 96

Inventum ab Ordinibus remedium. 97

Liceſtrius imprudenter quoque hoſtiles agros excidio damnat: eum permiſcere militum ordines non patitur Hohenlojus. 97

Parmenſis Graviam obſidet; miſſus Hohenlojus munimenta obſidionis perrumpit: urbs tamen ab Hemerta præfecto deditur, qui capite propterea plectitur. 97

Venloa ſequitur. 97

Axelam Mauritius capit. 97

Scenkius Truxio militans Gravewartam munit. 98

Nienarius Noveſium capit, quod iterum cum aliis oppidis mox in poteſtatem Parmenſis recipit. 98

Berca detractus infelici eventu cum Liceſtrio pugnat Parmenſis. 98

Sidneius nobilis Anglus illo in prælio occiſus. 98

Velaviæ ac Daventriæ, Ordinibus nequicquam renitentibus, perfidi præficiuntur a Liceſtrio Angli. 98

Magnis querelis premitur. 99

Ordines crebris conventibus pleraque ad ſuam curam trahunt; quod cos deſpicatui habens ægre fert Liceſtrius, a republica plebem removere ſtudet. 99

Interpretes ſacrorum ſibi adjungit; per quos populi quoque ſtudia ſibi conciliat; cum Romana Eccleſia ſentientes honoribus demovet: apud Friſios & Vltrajecti ſummo in honore eſſe cœpit: in Anglicano milite & Sonoio Weſtfriſiæ præfecto multum quoque ponit præſidii. 100

Mauritius interim ſuam diſſimulat indolem. 101

Eliſabethæ gratia fretus liberæ in Fœderatos poteſtatis ſibi ſpem facit Liceſtrius: ob quam cauſam domum abit. 101

Profectionis diſcordantes prætextus. 101

Novi Trajecti magiſtratus, & privati Friſii Eliſabethæ iterum imperium fruſtra offerunt. 101

Belgæ de mutilo ſibi relicto regimine in Angliam conqueſtum miſſi diu detinentur. 101

Anno 1587.

Scotiæ regina morti traditur. 101

Daventria atque oppoſitum Zutfaniæ munimentum a perfidis Anglis Hiſpano traduntur: proditorum infelix exitus. 102

Mauritio ſummum armorum mandatur imperium. 102

Milites Ordinum nomini ſacramentum dicunt. 102

Edictum de evectionibus temperatur. 102

Brabanti & Flandri extrema conflictantur penuria: incrementa contra ſumunt Batavi. 102

Cæſo apud Silvamducis Altipenna Hohenlojus Crepicordium occupat. 103

Liceſtrio nequicquam ſuppetias ferente, Parmenſis Cluſam expugnat: quod Ordinibus imputatur. 103

Eliſabetha in pacem propenſa. 103

Ærarii adminiſtratio Ordinibus cordi: 103. Ordines Liceſtrii criminationibus reſpondent; hic urbes vi oprimere parat: Lugduni detecti ejus conjurati capite plectuntur: ipſe in Angliam abit, ubi imperium in Belgas ejurare coactus intra annum moritur. 104

Scenkius interim Bonnam capit. 104

Ad ſubjugandam Angliam claſſis in Hiſpania ſtruitur, 104. quod oſtentata pace Hiſpanus diſſimulat. 105

Propter interceptum a Batavis Dani legatum 700 illorum naves detinentur. 105

Cum Anglis quoque de pace agit Philippus: cujus oblatio callide ab Eliſabetha accipitur; Batavos pacis rationes invenire ſimulate jubet; eam iſti detrectant. 105

Pacis deſiderium præ ſeſe ferens in Flandriam mittit Eliſabetha. 106

Anno 1588.

Hiſpanica adventans claſſis fraudes dirimit. 106

Propter

Propter inſoluta ſtipendia militum apud Fœderatos turbæ. 106
Brevis inſpectio quo pacto tot cladibus perculſi Batavi ſe rurſus contra magnitudinem Hiſpanicam erexere. 107
Belgicæ Hiſpanienſis & Fœderatæ limites. 107
Fœderatarum provinciarum regimen. 108
Idem fere Belgicæ Hiſpanienſis ſtatus. 111
Fœderatorum reditus. 111
Belgicæ Hiſpanienſis opes longe anteeunt. 111
Miles Batavus 18000 pedites cum modico equite. 111

IN HISTORIARVM LIBROS.

LIBER I.

Anno 1588.

Claſſis ab Hiſpanis in Anglos feſtinatur: fallaci ſpe elati nimia ſibi promittunt. 116
Sixtus V. Angliam exponit occupanti. Anglos ad necandam Eliſabetham hortatur. 117
Claſſis Hiſpanicæ deſcriptio. 117
Sanctæcrucii & Parmenſis ſalubre Hiſpanis conſilium non auditur. 118
Claſſis præfectus dux Mediniſidonius. 118
Vlyſſippone adultovere claſſis convenit. 118
Parmenſis expeditionis dux 30000 hominum Flandriæ incubat. 118
Anglorum & Batavorum nimia ſecuritas. 118
Flandriæ portus Batavi claſſe obſident. 119
Eliſabetha Tameſis ripas milite complet: Seimorus minorum navium præfectus, majorum Howardus & Draco. Regina rumoribus decipitur. 119
Hiſpanorum peccatum: ejus excuſatio. 119
Parmenſis Dunkercæ incluſus tenetur. 119
Infelicis Hiſpanicæ expeditionis eventus cauſæ. 120
Anglorum claſſis Hiſpanos eminus laceſſit. 120
Hiſpani pugnam detrectant. 120
Baldeſiorum navis a Dracone capitur. 120
Cantabricarum navium prima flagrat. 120
Anglica claſſis Hiſpanicam continuis ictibus lacerat: pulveris tormentarii inopia Angli laborant: illorum claſſes coeunt. 121
Hiſpani prope Caletum Parmenſem expectant: ex claſſe mittuntur qui cum illo conſilium capiant. 121
Navibus ignem fundentibus Hiſpanorum proturbatur claſſis. 121
Moncadii navis ab Anglis expugnatur. 121
Magna Regiæ pecuniæ diripitur ſumma. 121
Claſſis contra Gravelingam relocatur: naves aliquot Hiſpanorum fluctibus abſorbentur. 122
Luſitanicæ duæ a Batavis capiuntur: raptum inſigne Lugdunenſi templo ſuſpenditur. 122
Multis acceptis cladibus diſceſſus conſilium Hiſpani capiunt: ingens illorum formido. 122
Anglorum encomium: vix centum illorum deſiderati; Hiſpanorum fere quinque millia. 123
Fugientis Hiſpanicæ claſſis miſerabilis exitus. 123
Summi in Hiſpania luctus. 123
Apud Anglos & Batavos gratiarum actiones Deo decretæ. 124
Bergas ad Zomam Parmenſis obſidet. 124
Bergarum ſitus. 124
Ad occupandam Tolam præmiſſi a comite Solmenſi fugantur. 124
Hac ſpe dejectus Parmenſis portum intercludere aggreditur. 125
Eximia obſeſſorum virtus. Ortas in præſidio turbas Mauritius coram componit. 125
Parmenſis in ſpem proditionis adductus decipitur. 125
Obſidio ſolvitur. 126
Bergæ Mauritio ab Ordinibus donantur. 126
Cimacenſis Bonnam obſidet: in quem a Germaniæ principibus auxilia petenti Scenkio inexpectatum redditur reſponſum. 126
Bonna deditur. 127
Wachtendonca capitur. 127
Scoti Batavorum naves pignerantur: quod

quod injuſte fieri illorum docet ad principes legatio. 127

Anno 1589.

Gertrudisbergenſis præſidii ſeditio: ad proditionem ſollicitatum ab ea non abhorret. 127
Ordinibus impunitatem offerentibus non creditur; de vi in rebelles paranda deliberatur. 129
Mauritius copias admovet. 129
Rebelles ſe defendunt. 129
Villerſius occiditur. 129
Wincfeldius proditionem ſuadet. 129
Mauritii diſcedentis ad rebelles literæ cum ludibrio exceptæ. 129
Parmenſis propter traditam urbem ingens gaudium. 130
Gertrudisbergæ Heusdam, Septembergas, aliaque oppida Parmenſis annectere parat. 130
In Heusdam Mansfeldius mittitur: a quo & Bommelia fruſtra tentatur: Mauritius perruptis hoſtium caſtris Heusdæ ſubvenit. 131
Sideuborgus Helium Mansfeldio præpropere dedit. 131
Mansfeldius inſulam Vorenam adortus Hohenloji adventu ab incœpto deſiſtit. 131
Hiſpanicæ cohortis ſeditio. 131
Hiſpanorum in Parmenſem odium, invidia atque criminationes. 131
Hic morbum ſibi conſciſcit. 132
Ab Hiſpanis venenum illi datum aſſerunt Itali. 132
Obtrectatorem ſui nominis punit. 132
In Hiſpaniam miſſo Ricardoto ſe apud Regem purgat. 132
Mansfeldius ad obſidendam Bercam mittitur. 132
Varembonius ad Bercam quoque miſſus Blidobecam capit. 133
Scenkius copias Bercæ infert: hoſtes ſtipendium in Friſiam ferendum cæde dimittere cogit; ad capiendum Noviomagum animum appellit. 133
Cum ſuis ab oppidanis depulſus amni mergitur. 134
Ejus ingenium, ac elogia. 134
Nienarius caſu interit. 134
Truxius bellum dimittit. 134
Ad Bercam liberandam mittitur Falcoſtenius, conſequitur Varembonius: a Verio cæditur. 134
Victores Bercæ auxilia inferunt. 135
Berca Parmenſi deditur. 135
Qui Cliviæ quoque urbibus inſidiatur. 135
Inter præſidia interim utrimque alibi pugnatum. 135
At mari crudeliores occurſus. 135
Angli Hiſpanis bellum repoſituri Antonium in Luſitaniam reducunt, irrito eventu. 136
Gallia interfecto Henrico tertio in partes venit. 136
Ejus ſucceſſor Benearni princeps: ne regno potiatur Meduanium Philippus auxiliis firmat. 136
Lamota a Parmenſi cum milite Galliam mittitur. 137
Angli Batavique Borbonio auxilia mittunt. 137
Qui cuncta tandem ſub imperium accipit. 137
Gallicorum motuum cum Belgicis comparatio. 137

HISTOR. LIBER II.

Anno 1590.

Vrbis Bredæ deſcriptio. 139
Navis ceſpites vehentis fraude Mauritius Bredam capit. 140
Rei geſtæ hiſtoria. 140
Parmenſis Mansfeldium ad Bredam recuperandam mittit: Mercam ponte & caſtello claudit: Septembergas diripit: Nordamum fruſtra oppugnat. 143
A Mauritio, Noviomago imminere viſo, Breda abducitur. 144
Vorenam Mauritius munit: caſtellum exadverſum Noviomago molitur. 144
Parmenſis belli Gallici mandata a Rege accipit. 144
Exercitum in Galliam ducit. 145
Mansfeldio interim ſumma rei per Belgicam commiſſa. 145
Mauritius abſente Parmenſi varia oppida expugnat. 145
Rumor Germanos in bellum parari propter temeratos fines: Concilium indicunt. 145
Apud Parmenſem anxie differentibus ferocitet reſpondetur; quo audacioribus poſtulatis Fœderatos aggrediuntur. 146
Ordinum reſponſio. 146
Agrippinenſium, & Leodiorum ad Ordines

 nes

nes legatio. 147
Patrum reſponſio. 148
Fœderatorum expoſtulatio. 148
Parmenſem ex Gallia reducem multa angunt. 148
Militis Parmenſis ſeditio. 148
Parmenſis Aſcolitanum cum cohortibus aliquot in Galliam mittit. 149

Anno 1591.

Fœderati occaſioni intenti animos attollunt. 149
Verius aſtu Zutfaniæ objacens capit caſtellum. 149
Mauritius cum exercitu accedit. 149
Zutfaniam obſidet. 150
Falcoſteinius occiditur. 150
Zutfania Mauritio deditur. 150
Ejus ſitus. 150
Mauritius ad expugnandam Daventriam cum exercitu deſcendit. 151
Ejus præfectus Hermannus Herenbergenſis. 151
Vrbis oppugnatio. 151
Friſiorum rogatu Princeps in Friſiam ducit exercitum. 152
Itineris magna incommoda. 153
Militis licentia. 153
Caſtra ad Groningam ponuntur. 153
Princeps relicta Groninga circumjectas munitiones invadit. 153
Fœderati receptum Delphizylium ædificiis & munitionibus ornant. 153
Verdugo Groningæ aditum e Weſtfalia facit. 154
Parmenſem ei ſubvenire itinerum non patitur vaſtitas. Cnodſenburgum obſidet. 154
Octavius Mansfeldius occiditur. 154
Iunius caſtellum ſtrenue defendit. 154
Mauritius obſeſſis ſuppetias fert. 154
Decem hoſtiles turmas cædit: 155
Qua clade accepta Parmenſis oppugnationem omittit: Noviomagenſium in illum indignatio; recrudeſcente morbo aquas Spadanas petit: ſeditioſos Dieſtæ Hiſpanos malo exemplo pacat. 155
Noviomagenſium multi libertatem reſpiciunt. 155
Mauritius interim Hulſtum capit: Terræ Waſiæ tributa extorquet. Mondragonius vicinas Hulſto munitiones recuperat. 156
Noviomagi obſidium. 156
Vrbis deſcriptio. 157
Mauritius captæ urbi Magiſtratus legit: ſummis populi gaudiis in Hollandiam redux excipitur. 158
Nullo ſucceſſu utrimque urbes captatæ. 159
Miſſa ab imperatore legatio Ordinibus ſuſpecta ob vetera & Tarraconenſium exemplum. 159
Hujus narratio. 159
Parmenſis Meduanio ſubventurus iterum in Galliam ducit. 160
Fœderati contra Borbonio ſuppetias ferunt. 160
Borbonius & Parmenſis vulnerati. 160
Hiſpani militis ſeditioſa licentia. 161
Groningenſium apud Parmenſem querelæ. 161
Mauritius Trajecti & in Zelandia factiones componit. 161
Stenovicum obſidet. 162
Oppidi ſitus & munimenta. 162
Obſeſſorum numerus & obſtinatio. 162
Ludovicus Herenbergenſis occumbit. 163
Verdugo ſubſidium obſeſſis mittit. 164
Pulveris pyrii deſcriptio. 164
Mauritius glande vulneratur. 164
Stenovicum illi deditur. 165
Victoris in victos moderatio. 165
Eliſabetha militem ſuum revocat. 165
Covordium obſidere Fœderatis placet. 165
Ejus munitiones atque ſitus. 165
Othmarſo Hiſpani a Principe depelluntur. 167
Famarſius occumbit. 166
Obſidii Hiſtoria. 166
Verdugo a Parmenſi obſeſſis auxilia impetrat. 166
Exteriora obſidentium caſtra impetit: depellitur. 167
Covordii deditio. 168
Parmenſis novum in Galliam iter ingreſſus moritur: 168. de morte illius ſuſpiciones. 169
Parmenſis mores & elogia. 169

Anno 1593.

Gallorum aliquot caſtella & Noviodunum Hiſpani capiunt. 171
Belgarum proceres Philippus honoribus evehit. 171
Nomen præfecturæ Mansfeldio defertur: vis conſilii penes Fontanum & Ibarram: qui in Hiſpania ſuſpecti. 172

Fontani Senatum ingreſſi atrox ſententia. 172
Aliis fruſtra obnitentibus obtinet. 173
Fœderati pari edicto eam vanam reddunt. 173
Philippus Naſſavius, Belgarum extremis tributis ſubactis, gravis præda redit. 174
Mauritius Gertrudisbergam obſidet. 174
Ejus ſitus. 175
Obſidii hiſtoria. 175
Gertrudisberga, fruſtra obnitente Mansfeldio, Mauritio deditur. 178
Proditores ſupplicio afficit. 178
Mansfeldii anxietas. 178
Crep.cordium obſeſſurus a Mauritio fugatur. 179
Wilhelmus Naſſavius hoſtem ex Friſia interim pellere annititur. 179
Bortaniam munit. 180
Herenbergenſis Othmarſum aliaque irrumpit. 180
Bortania fruſtra tentata Covordium Verdugo obſidet. 180
Multæ in caſtris Hiſpanorum calamitates. 180
Princeps infelici eventu Brugas inſidiis adortus morbum contrahit. 181
Regii militis ſeditio. 181
Seditioſorum regimen. 181
Ab Herenbergenſi pacantur. 182
Claſſis Batava apud Flævum vehementia tempeſtatis deſtruitur. 182

Anno 1594.

Erneſtus Auſtriacus Belgicæ præficitur, magno cum Belgarum gaudio. 182
Philippus illi filiam in matrimonium deſtinat. 183
Borbonius Romana accepta inſtitutione omnia feliciter in regno ſuo componit. 183
Fœdus cum Fœderatis ſervat. 184
Ab Ordinibus cavetur ne ſubditi ſui pravis imbuantur opinionibus. 184
Ordinum novi delectus; Erneſti impediuntur. 184
Erneſtus Belgis contemtui. 184
Silvaducis & Trajectum ad Moſam irritis inſidiis tentantur. 185
Delphizilium fruſtra irrumpere conantur Hiſpani. 185
Adventu Principis Covordii obſidium ſolvit Verdugo. 186
Princeps Groningam obſidet. 186
Occurrentium populorum, & ſitus regionis deſcriptio. 186
Groningenſis obſidii relatio. 189
Groningæ deditio. 191
Erneſtus per legatos apud Ordines de pace agit. 191
Quam illi repudiant. 192
Renichonius & Furius a Rege aliisque magnatibus in Principem & aliquot Belgarum proceres empti percuſſores. 193
Lopes, ad Eliſabetham veneno tollendam a Philippo in Angliam miſſus, capitis ſupplicio afficitur. 193
Caſtellus Ieſuitarum impulſu regem Galliæ occidere conatur. 194
Ipſo ſupplicio affecto, Ieſuitæ in exilium mittuntur. 194
Sectæ Ieſuiticæ deſcriptio. 194
Fœderatos armis ad pacem ſe cogere velle præfert Cæſar. 195
Ordines a rege Scotiæ ad principis baptiſmum invitantur. 195
Illorum in regium infantem liberalitas. 195
Eliſabethæ inviſa: quæ debiti ab Ordinibus portionem exigit. 196
Cimacenſis Cameracum obſidet. 196
Galliarum rex Hænovios & Atrebates hortatur proturbare Hiſpanum militem. 197
Illum undique armis contra perſequendum edicit Philippus. 197
Bellum in Luxenburgum Gallo conferre placet. 197
Philippus Naſſavius Gallo in auxilium mittitur. 197
Nova iterum regii militis ſeditio. 198
Ingens & longum per Bataviam gelu. 199
Cum ſeditioſis Fœderati inducias faciunt. 199. Princeps illos machinis & equite inſtruit. Erneſto omnia pollicenti fidem non habent. 200
Angli Farnambucum diripiunt. 201
Magna ex eluvione Batavis damna. 201

L I B E R IV.

Anno 1595.

Erneſtus concilium Bruxellam advocat. 203
Arſchotii generoſa in conſilio oratio: multo procerum aſſenſu audita. 204
Arſchotius Regi ſemper fidus, Hiſpanis tamen infeſtus. 205

Aucti Belgarum in Hiſpanos odii cauſæ. 205
Taxis calliditas. 205
Erneſtus Regem conſulendum cenſet. 205
Bulionius interim omnia vaſtat. 205. Heraugerius aſtu Hojam capit. 206. Bojoarus, ea ab Ordinibus fruſtra repetita, in obſidium tendit, oppidum capit, arcem oppugnat; quæ deditur. 207
Henricus Bulionium cum exercitu Burgundiam ingredi jubet. 208
Velaſcus Burgundiæ ſuccurrit. 208
Erneſtus inter hæc moritur. 208
Penes Senatum regimen, cujus præſes Fontanus:208.hunc Belgæ invite ferunt.209
Mansfeldius in Pannonias contra Turcam miſſus morbo abſumitur. 209
Arſcotius Venetias exulatum abit. 209
Belgæ amore pacis flagrant. 209
Haureii ſuper ea ad Maleræum literæ: Maleræi reſponſio. 209
Procerum Belgarum nomine ad Principem legati veniunt: illorum ad Principem verba. 210
Ejus reſponſum. 210
Legati re infecta dimittuntur: principis reſponſum varie excipitur. 211
Hoſtium miiores pacem deſiderant: quidam inducias volunt. 212. quas & Lipſius ſuadet. 213
Hohenloji, & Solmenſis nuptiæ. 213
Turbæ propter Cliviæ & Iuliaci principatum. 213. Brandeburgicus & Neoburgicus competitores: qui liberatò duce uxorem cuſtodiæ mancipant. 214
Swartſenburgicus contra illos militem conſcribit. 214
Brandeburgicus Fœderatorum amicitiam ambit. 214
Petita auxilia Ordines differunt. 214
Emdæ quoque turbatur; ejus ſitus. 214
Friſiorum orientalium mores & regimen. 215
Grethana domus jurisdictionem uſu ſuam facit: Vldricus Friſiæ ab Imperatore creatur comes; Groningæ principatum tenet: ab Auſtriacis trans Amaſium rejicitur. 215
Emda magna ſumit incrementa. 215
Turbarum Emdanarum relatio. 216
Comitis & diffidentium Emdanorum ad Ordines legatio. 216
Vtriſque pax commendatur. 217
Ordines Emdanis auxilia mittunt: diſſidia inter illos & Comitem componunt. 217
Pacis leges. 217
Ordinum ad Comitem & Emdanos monita. 218
Fœderatorum inter ſe diſcordiæ. 218
Philippus Naſſavius cum milite ad Fœderatos redit. 219
Fontani circa militem cura. 219
Seditioſos obſequio reddit. 219
Ingentes eo tempore Philippi copiæ. 219
Verdugo moritur: ejus elogia. 220
Fontanus Caſtelletum expugnat; Hanum obſidet. 220
Vendito Hiſpanis oppido præfectus Gomero à Fontano in vincula conjicitur. 220
Orvillerius arcem tenens a Gallis auxilia impetrat: Galli arce potiuntur. 220
Fontani juſſu Gomero jugulatur. 221
Cameraci munimenta circumſpectans Lamota occiditur: Ejus elogia. 221
Bulionius urbi auxilia adducit. 221
Villarſius cum multis nobilium occiditur. 221
Hiſpani Durlanii arcem oppugnant: irrupta arce una oppidum vi capiunt. 222
Mauritius Mondragonii adventu a Grollæ obſidio avertitur. 222
Philippus Naſſavius hoſtium inſidiis circumventus cæditur. 222
Mauritii miles fruſtra dolo nocturno aggreditur Murſam. 223
Mondragonii mors: Elogia. 223
Antonius Luſitaniæ regno pulſus moritur. 223
Fontanus Cameracum obſidet. 224
Vrbis arciſque deditio. 224
Fontanus Cameracenſes Philippo ut principi jurare cogit: fruſtra antiquum jus repetente urbis antiſtite. 225
Heraugerius captam jam Liram militis ſui licentia iterum relinquere cogitur. 226
Burgundicum bellum Hiſpanum & Gallum exercet. 226
Henricus Fœderatis amiſſum Cameracum imputat. 227
Horum excuſatio: Henrico auxilia mittunt: quo Eliſabetham offendunt. 227
Eliſabethæ in Gallos invidia: 227. per legatum miſſa auxilia Fœderatis objectat: ſibi debitorum ſolutionem intempeſtive urget: hoſtium conatibus Fœderatis æquior fit. 228
Hibernicæ rebellionis ex occaſione narratio.

ratio. 228
Regina acrius in bellum fertur. 230
Draco cum claſſe in Hiſpanum miſſus, moritur. 230
Navigationum, quibus Fœderatorum res maxima incrementa ſumſere, relatio. 230

LIBER V.

Anno 1596.

Albertus Auſtriacus Erneſto ſucceſſor mittitur. 240
Multa imitatu digna ſtatuit: magna argenti infecti pondera in Belgicam advehit: Philippum Arauſionenſem ſecum adducit. 241
Ejus adventu Ibarras & Fontanus in Hiſpaniam revocantur. 241
Ordines principi Arauſionenſi ſcribunt: ejus reſponſio. 242
Mauritius & ſoror illi dona & pecuniam offerunt. 242
Ordinum contra Ieſuitarum inſidias vigilantia. 242
Albertus Caletum obſidet. 243
Expugnata urbe in arcem ſe milites recipiunt. 243
Henricus de ferenda ope fruſtra conſilium init. 244
Arcis expugnatio. 244
Ardea quoque in Alberti venit poteſtatem. 244
Fara ſe contra Henrico dedit. 244
Mauritiani hoſtile ſolum vaſtant. 245
Albertus Hulſtum oppugnare ſtatuit. 245
Ejus ſitus & munimenta, Alberto obſidium diſſuadent. 245. perſuadet Barlota. 246
Exiguæ tum Fœderatorum copiæ. 246
Barlota in Hulſtum ducit; Batavorum indiligentia tranſitum habet. 246 Noctu cum illis vario Marte pugnat: loca edita aggeresque ſubito occupat. 247
Albertus & Mauritius accurrunt. 247
Hic fruſtra laborat recuperare inſeſſa. 247
Zelandorum apud ſocios obteſtatio. 247
Novi Fœderatorum per Angliam delectus. 247
Obſidii Hulſtenſis Hiſtoria. 248
Ronæus occiditur. 249
Hulſtum Alberto deditur. 253
Cujus jacturam Fœderati graviter ferant. 253
Atrox in Solmenſem rumor: a Zelandia præfectura demovetur: novam ab Ordinibus cohortem accipit. 253
Albertus magno plauſu excipitur. 254
Mendoſæ ad imperatorem miſſi poſtulata. 254
Hiſpani in Clivios & Iuliacum ſpes jaciunt. 254
Imperatoris legatos de pace acturos Ordines non admittunt. 255
Eliſabetha interim claſſem in Hiſpanum mittit, Eſſexii & Howardi ductu. 255
Batavi imperante Warmondo vigintiquatuor naves Anglis adjungunt. 256
Ad Gades claſſis convenire jubetur. 256
Vrbis ſitus. 256
Claſſis Hiſpanica ingens apud Gades. 256
Hanc ſine mora impellendam cenſenti Eſſexio reſiſtit Howardus: quo favens occaſio amiſſa. 257
Claſſis Hiſpanicæ expugnatio. 257
Qua territus Philippus undique ſubſidia petit. 257
Angli & Batavi Gades irrumpunt. 258
Navium oppidique pactam redemptionem improbat Medinaſidonius. 258
Oppidum diripitur. 258
Americana claſſis ab ipſis Hiſpanis exuritur. 258
Eſſexio retinendam victoriam monenti iterum reſiſtit Houwardus; cui neque Warmondus additur. 259
Incenſis Gadibus victores vela faciunt. 259
Warmondo Regina gratias agit. 259
Opes Hiſpanicæ magnopere afflictæ. 259
Vectigalia fœneratoribus oppignerata contra fidem Philippus vinculo eripit: fidem reficere neceſſe habens reddit. 260
Novum apud Batavos inſtitutum vectigal a civibus non admittitur. 260
Friſii propter tributa inter ſe diſcordes. 261
Eliſabetha cum Gallo de fœdere agit. 261
Promiſſa Fœderatis ab Henrico auxilia non mittuntur. 261
Multum quoque illis negotii cum Eliſabetha æs ſuum intempeſtivius repetente. 262
Fœderis inter Henricum & Eliſabetham leges: 263. in quas utrinque juratur: quod & Ordines faciunt. 264
Propria inter Henricum & Ordines pacta. 264
Fœderati cohortium loco Henrico pecu-

niam mittunt. 265
Gallorum in Anglos ſuſpicio. 265
Gallos offendit Anglorum poſtulatio. 265
Academiæ Lugduno-Batavæ deſcriptio: Donellus: Lipſius: Scaliger: Raphelengius: Vulcanius: Franciſcus Iunius: 266. Adrianus Iunius: Aldegondius: Cluſius: Ianus Douſa Academiæ Curator. 267
Fœderatorum ad Danum legatio. 267
Auxilia contra Hiſpanum non impetrantur. 267
Taxis legatus Hiſpanicus minus comiter a Dano excipitur. 267
Bironius in Atrebates miſſus cæſis quatuordecim turmis Varembonium aliosque capit: Atrebatibus & Flandris magnam infert vaſtitatem: Cimaçenſem quoque in fugam agit. 268
Germanorum militum ſub Archiduce ſeditio. 268
Womis Veram proditurus capite plectitur. 268
Fœderati frumentum in Hiſpaniam ferri vetant. 269
Ingens a Philippo claſſis mari contra Angliam infelici iterum eventu immittitur. 269
Batavi apud Neoportum duas naves exurunt: negotiationis ergo ad loca diſſita navigant. 269
Navigationis tertium a Batavis verſus Septentrionem inſtitutæ mirabilis Hiſtoria. 269

LIBER VI.

Anno 1597.

Mauritius quatuor millia Hiſpanorum peditum, & quinque turmas ad Turnholtum cædit. 274
Magna Alberti propterea anxietas. 278
Portocarrera aſtu militari Ambianum capit. 279
Albertus miſſo rei bene geſtæ ad Philippum nuntio, urbem retinendam monet. 279
Ambianum Henricus obſidet: Atrebatum urbem aliaque fruſtra tentat. 280
Hiſpanis quoque ſpes irrita in Gravewartam & Stenovicum. 280
Haud feliciori eventu Venloam Mauritius adoritur. 280
Hellius occumbit. 280
Mauritianus eques funditur. 281
Diſcordiæ inter Groninganam civitatem & agrorum habitatores. 281
Datis ab Ordinibus judicibus ſopiuntur. 281
Hollandorum cum Zelandis de vectigali contentio. 282
Componitur. 282
Regis Poloniæ ad Ordines legati ferox & ingratus ſermo. 283
Ordinum modeſta pariter ac generoſa reſponſio. 283
Mittenda ab imperatore aliisque Germaniæ principibus ad Ordines legatio excuſatur. 283
Miſſi a Dano legati quoque de pace apud Ordines agunt. 283
Dano repudiatæ pacis rationes accurate reddunt. 284
Anna Hovia diſſenſionis circa Romanam religionem ſuſpecta viva Bruxellæ ſub terram defoditur. 285
Fœderati incurſus in Germanorum agros excuſant. 286
Regum Poloniæ & Daniæ Legatis commercia cum Hiſpanis negat Eliſabetha. 286
Concedunt Batavi. 286
Expeditionis Eſſexii maritimæ infelix exitus. 287
Gravior infelicis iterum Padiliæ caſus. 288
Præfectura demovetur. 288
Primæ Hollandorum naves ab India redeunt: Harum de India ejusque populis relationes. 288
Batavi piper aliaque a Venetis & Luſitanis antea haberi ſolita ex India petunt. 289
Portocarrera Ambianum defendens occiditur. 289
Fruſtra Ambianos obſidio liberatum proficiſcitur Archidux. Henrico ſe dedunt. 289
Albertus Oſtendæ exitus obſepit. 289
Transiſalanis præſidiis Hiſpanos excutere aggrediuntur Fœderati. 290
Henricus Fridericus Mauritium comitatur. 290
Capta Alpa Bercam obſident. 290
Ludovicus Naſſavius globo vulneratus. 291
Berca deditur. 292
Agrippinenſis pontifex oppidum repoſcit: Ordinum reſponſio. 292
Mutilianam Fœderati ſolo æquant. 292
Ad Neoburgicum & Brandenburgicum ſcribunt. 293
Murſam Mauritius capit. 293

Heren-

Herenbergenſis partem Friſiæ populatur. 293
Batavorum exercitus Rhenum tranſit: 293. Grollam obſidet. 294
Grollæ deditio. 295
Breſurti obſidium & expugnatio. 295
Othmarſo, Oldenſalia, aliiſque oppidis potitur Mauritius. 298
Lingam obſidet. 298
Linga deditur. 299
Magnis Patrum plebiſque ſtudiis redux Mauritius excipitur. 399
Clandeſtinas ſororis Æmiliæ nuptias ægre fert. 300
Magna Hiſpani militis ſeditio. 300
Philippus in pacem proclivis: a Gallo incipit. 301
Inter Henricum & Philippum de pace agitur. 302
Henricus Eliſabethæ demonſtrat pacem ſibi eſſe neceſſariam. 302
Idem miſſo Buzanvalio apud Ordines facit. 302
Qui & ipſi a Philippo tentantur. 303
Alberto filiam Philippus deſpondet. Dos illi Burgundia cum Belgica. 303
Fœderatis omnia ſuſpecta. 303
Belgarum Hiſpanienſium ad Philippi literas reſponſum. 303

LIBER VII.

Anno 1598.

Ordines commercia cum Hiſpanis vetant 305. Mauritium & Wilhelmum præmiis honeſtant. 306
Balæna 70 pedum apud Berkheidam vadis adhærens capitur. 306
Wouda fruſtra tentatur. 307
Diſcordiæ inter Germanos & Anglos origo. 307
Angli Germania, Germani Anglia exire jubentur. 309
Germani Middelburgi confident. 309
Batavi alienis malis fruuntur: navigatus latius ſpargunt. 309
Muceronis infelix audacia. 310
Batavorum ſuo in Oceano damna. 311
Trajecti propter nova tributa ortæ turbæ ſopiuntur. 312
Philippus claſſem Caletum ablegat. 312
Naves Hiſpanicæ duæ in Batavorum poteſtatem veniunt. 313
Archidux militum ſeditionem Graviæ diſcutit. 313
Ordines legatos in Galliam & Angliam mittunt. 313
Batavorum ad Eliſabetham pro belli continuatione oratio. 314
Eſſexius cum Batavis bellum probat: improbat Burgleius. 317
Eliſabetha cum temperamento reſpondet. 317
Primores Angli in Batavos iniquiores. 318
Cæcilius & Wilkeſius in Galliam mittuntur. 318
Gabrielis Eſtræa Henrici pellex pacis illi autor creditur. 318
Legati Batavorum ad Henricum veniunt. 319
Oldenbarneveldius illi pacem diſſuadet; at fruſtra. 319
Henrici erga Fœderatos liberalitas. 319
Batavorum apud Eliſabetham ſimulatio. 320
Verbini inter Gallum & Hiſpanum pax coit: ejus leges. 320
Legati utriuſque juramentum exigunt. 320
Eliſabetha Fœderatos iterum ad pacem hortatur. 321
Scotiæ rex Anglicanam hæreditatem ſibi palam addici poſtulat. 321
Burgleius moribundus Eliſabetham ad pacem hortatur. 322
Novum inter Anglos & Batavos fœdus. 322
Cauſæ legeſque pactorum quibus Philippus Iſabellæ imperium Belgicæ tranſcripſit. 323
Varii diſcordeſque ſuper Belgicæ tranſcriptione ſermones. 324
Albertum Iſabella ſuo nomine poſſeſſionem capere jubet. 325
Albertus per literas Fœderatos ad pacem hortatur. 326
Idem facit Philippus Arauſionenſis, aliique. 327
Fœderati magis indureſcunt. 327
Petri Dannii miſſi in Mauritium percuſſoris ſupplicium. 327
Militis Hiſpani ſeditio. 328
Albertus ad Moſam convenire exercitum imperante Mendoſa jubet: Eccleſiaſticis dignitatibus ſe abdicat. 329
Fanum Hallenſe. 329
Albertus in Hiſpaniam proficiſcens Andream

 dream

dream Auſtriacum in Belgica Præfectum relinquit. 330
Albertus de morte Philippi fit certior: ejus relatio. 330
Philippi ingenium, & de eo hominum judicia. 331
Margareta Philippo tertio per Italiam comitante Alberto uxor ducitur. 332
Nuptiali fœdere Clemens Ferrariæ Philippum Margaretæ, Albertum Iſabellæ ſolemniter connectit. 333
Comitis Edſardi novæ in Friſia Orientali turbæ. 333. ſucceſſu carent. 334
Friſiorum præfectus F. iſiis Orientalibus contra Comitem ſubſidium mittit. 334
Comitis querelæ. 335
Diſſidia Aquarumgrani longius provecta in damnum Reformatorum exeunt. 335
Mendoſa in Clivios & Iuliacenſes exercitum ducit. 337
Maximæ tunc Regis copiæ. 337
Fridericus Herenbergenſis, ſecundus a Mendoſa exercitus dux. 337
Barlota Batavorum naves Bercam fugat. 337
Nationum, Rhenum proxime Batavos obſidentium, deſcriptio. 337
Mendoſa Orſæum & Mulſemum muniri jubet: Magnum terrorem Fœderatis infert. 341
Princeps obviam it. 341
In gratiam amitæ, Herenbergam aliaque loca demptis munimentis paci tradit. 342
Cum exercitu Geldricam inſulam occupat. 342
Copiæ Principis multo hoſtilibus minores. 342
Novo copiarum adventu Hiſpani acceſcunt; agros diripiunt; in ſe invicem & in duces arma vertunt: ipſi quoque duces diſſident. 343
Sibyllæ Cliviæ hortatu undique in Hiſpanum auxilia conciuntur. 344
Germaniæ in decem pagos diviſio. 344
Mauritio gratiæ aguntur, quod minimo finitimorum damno bellum gereret. 345
Fœderati Germanos in Hiſpanos incitant. 345
Magna Hiſpani militis fames, & crebra diffugia. 346
Bercam Mendoſa obſidet. 346
Bercæ peſtilentia exoritur. 347
Tres centurias tuendæ inſulæ Princeps mittit: unde ab hoſtibus depulſæ Bercam ingrediuntur. 347
Mendoſa aliquot Cliviæ oppida præſidiis occupat. 348
Hiſpani impetum in propugnaculum facientes a defenſoribus fortiter repelluntur. 348
Bercæ deditio. 349
Comes Falcoſteinius contra fidem datam trucidatur. 349
Veſalienſes præbito Mendoſæ frumento ſtipendioque Romanos ritus admittere coguntur. 350
Mendoſa trans Rhenum ducit: Reſæ & Emmerico præſidia imponit: Iſaliburgum civium cæde irrumpit. 351
Mauritiani Rheni aggerem incidere aggreſſi ab Hiſpanis fugantur. 352
Sevenariam aliaque Mauritius occupat. 352
Mauritius hoſti aditum in Weſtfaliam obſtructurus apud Doſiburgum caſtra metatur. 353
Mendoſa Doticomum expugnat. 353
Hiſpani fame ac morbis magnopere imminuti in Germania hyemandi conſilium capiunt. 353
Sculenburgum abeuntes capiunt. 354
Mauritius Arnhemum belli paratus in annum ſequentem contrahit. 354
Emmericum hoſtili præſidio liberatum cum Sevenaria ſibi permittitur. 354
Clara per Belgicam funera: Comitis Culemburgici, 354. Philippi Aldegondii, Elberti Leonini. 355
Hiſpani magnis flagitiis Germaniam exercent. 355

LIBER VIII.

Anno 1599.

Mendoſa Calcarem & Gogam irrumpit 358
Veſalienſes fruſtra dehortantibus Fœderatis juſſu Mendoſæ Romana ſacra reſtituunt. 359
Digreſſo Hiſpanorum exercitu mores & libertatem recipiunt. 359
Mendoſa coeuntes in ſe Rheni accolas diſtrahere ſtudet. 359
Hiſpanorum apud illos defenſio. 360
Fœderati ſparſis defenſionibus ſe Germanis purgant. 361
Belli in Hiſpanos conſilia tarde apud Germanos procedunt. 362

Pala-

Palatinus, Heſſus, Brunoviæ maturandæ expeditionis authores: Heſſus & Brunoviæ de ſummo belli imperio contendunt. 362
Weſtfalici pagi præſes dux belli renuntiatur. 362
Mauritianus miles necatos ſocios cæde & rapinis penſat. 363
Emmericum iterum Hiſpanis deditur. 363
Ludovicus Naſſavius Buquoium capit; aliaque haud magni momenti Fœderatis proſpere cedunt. 363
Exercitus regius utraque Rheni ripa deſcendit. 363
Gravewartæ expugnationi inſulæ Bommeliæ Andreæ præfertur irruptio. 364
Mauritii inquietudo: ejus cauſæ. 364
Cœptis hoſtilibus obviam iturus iterum cum exercitu Geldrica inſula ſedet: Gravewartam munit. 364
Machinarum ictibus hoſtium plurimi diſcerpuntur. 364
Mauritius monitus ut Bommelæ caveret, tutius judicat manere ubi erat. 364
Moſivahaliæ ſitus. 365
Vrbis inſulæque Bommeliæ deſcriptio. 365
Vahalis Moſæque varii excurſus. 365
Barlota & Stanleius in Bommelienſem inſulam penetrant. 366
Princeps Bommelam ingreſſus civibus animos reſtituit. 366
Egregia eo tempore tuendi urbes contra obſeſſores inventa ratio. 366
Crepicordium Hiſpani in poteſtatem accipiunt. 366
Batavi contra validos hoſtium conatus opes viresque intendunt. 367
Ducenteſimam ex cenſu colligendi difficultas. 367
Lanovius fruſtra intercedente Philippo Fœderatis in Gallia militem conſcribit. 367
Mauritii prudentia. 367
Erneſtus in Tilanum agrum Mendoſæ tranſitum prohibet. 368
Mauritius Vorenam incaſſum obnitente Sapena caſtello munit. 368
Caſtellum Andreanum molitur Hiſpanus. 369
Worchemum Barlota fruſtra tentat. 369
Comite Lippio duce Germani in Hiſpanum exercitum ducunt: Caſtellum ad Bercam irrumpunt: 369. Reſam tendunt irrito eventu. 370
Wilhelmus Naſſavius Doticomum in poteſtatem redigit. 370
Reſæ obſidium turpiter Germani deſerunt. 371
Mauritius Andreano caſtello munimenta opponit. 371
Commercia Hiſpaniæ Flandriæque Fœderatis interdicuntur. 372
Fœderati contra vetant ne quis ullas merces ad hoſtes ferat. 372
Paratam animoſe claſſem duce Petro Douſa mari immittunt. 373
Claſſis Hiſpanica ad Corunnam prælium detrectat. 373
Fœderatorum claſſis inſulas Fortunatas aggreditur: illarum deſcriptio. 373
Canariæ arcem Batava claſſis ſubit. 374
Exſcenſum Batavorum fruſtra impedire conantur inſulani. 374
Douſa vulneratur. 374
Arx deditur. 374
Pars Batavorum inſidiis Barbarorum opprimitur: incenſo oppido arcibusque diſcedunt. 375
Parte navium domum remiſſa Douſa cum cæteris Braſiliam petit. 375
Inſulæ Thomæ, reficiendis Douſæ copiis delectæ, deſcriptio. 375
Pavoaſa oppidum ejusque arx Douſæ deduntur. 376
Inſulani oppidum incendunt. 376
Peſtilenti morbo Batavi corripiuntur 376
Douſa moritur. 376
Abeuntes Batavos loci virus perſequitur: hi reditum properant: plurimis extinctis domum veniunt. 377
Philippi claſſis vi ventorum cum damno Tercera depellitur. 377
Fridericus Spinola ſex naves longas Philippo in Belgicam adducit: 378
Quæ Cluſam ſe recipiunt; longe terrorem ſpargunt; Fœderatorum naves bellicas adortæ perfodiuntur. 378
Albertus ſacrato enſe a Pontifice auctus cum Iſabella in Belgicam redit: 378. omnia confuſa invenit. 379
Belgæ Archiducum moribus & habitu offenduntur. 379
In nomen ducum & comitum ſolenniter accipiuntur. 379
Fœderatorum res arctæ. 379

Eſſexius, re in Hibernia infeliciter adminiſtrata, injuſſus in Angliam rediens cuſtodiæ traditur. 380
Anglis pace opus eſſe Eliſabetha Fœderatis ſignificat. 380
Pacis ab imperatore miſſos ſuaſores non admittunt. 380
Hollandos capitationem ex cenſu duplicantes ſocii tarde ſequuntur. 380
Germani principes auxilia offerunt. 381
Sueciæ regi, ſocietatem Ordinum ambienti, offertur amicitia. 381

LIBER IX.

Anno 1600.

Vtriuſque Belgicæ ſtatus. 382
Ludovicus Naſſavius Wachtendoncam irrumpit. 383
Pugna inter Breantæum & Grobbendonkianos: Breautæus a ſuis derelictus fœde trucidatur. 383
Mauritius Crepicordium expugnat, equites hoſtium quingentos cædit. 384
Andreanum obſidet. 384
Obſeſſi acceptis c x x v florenorum millibus arcem dedunt, & in Fœderatorum partes transgrediuntur. 385
Groningæ civitatis rebellis pertinacia juſſu Fœderatorum a Wilhelmo in ordinem redigitur. 385
Turbas ſuper tributo inter Friſios ortas idem componit. 386
Bononiæ inter Angliam & Archiducem de pace acturi utriuſque legati re infecta diſcedunt. 386
Legati a Cæſare loca & damna Germanici ſoli ab Ordinibus reddi petunt: horum reſponſio. 387
Fœderatorum ad Ordines Alberto parentes litteræ. 387
Expeditionis Flandricæ relatio. 387
Albertus intellecto Principis in Flandriam adventu copias undique contrahit. 390
Iſabella ſeditioſos milites ne ſe deſerant precibus ac promiſſis obteſtatur. 390
Adventus Archiducis Mauritianos terrore percellit. 390
Suaskerkæ præſidium ab Hiſpanis trucidatur. 390
Magnum exercitus Batavorum diſcrimen. 390
Erneſtus, ad hoſti iter præcludendum miſſus, octingentis amiſſis fugere cogitur. 391
Mauritiani exercitus ordinatio. 391. ſolvere naves Princeps jubet. 392
Hoſtilis exercitus inſtructio. 392
Duces Hiſpani militem ad pugnam hortantur. 393. idem faciunt Fœderati. 394
Principis ad Henricum fratrem & cæteros horramenta. 394
Prœlii initium. 395
Albertus acie excedit. 398
Mauritius victoria potitur. 398
Cæſorum numerus. 399
Mendoſa captivus: Sapena ex vulnere occidit. 399
Legatorum Ordinum durante prælio ſollicitudo. 399
Aulici inter Proceres, Principem, ac plebem odia ſerunt. 399
Princeps ad Neoporti obſidium reverſus abducit exercitum: fruſtra quoque *Iſabellæ* caſtellum tentat. 400
Barlota occiditur. 400
Mauritius Oſtenda vela facit. 400
Albertus parentium ſibi Belgarum conventum agit: ejus ad impetrandas pecunias verba. Ordinum reſponſio. 401
Legati Archiducis Bergis ad Zomam cum Fœderatis de pace agunt. 401
Fœderati pacem, niſi Hiſpano omni abrogata authoritate, ejectiſque externis militibus, fieri poſſe negant. 402
Ordines Belgici, deſperata cum Fœderatis pace, nova vectigalia reperiunt: Regis literis offenduntur. 402
Dunkerkani in Fœderatorum piſcatores ſæviunt: capti pœnas dant. 402
Navis longa Dordrechti ſtruitur. 403
Batavi ſub ipſis Antverpiæ mœnibus hoſtium naves rapiunt. 403
Bellum inter Gallum & Sabaudum: cito in pacem deſinit. 403
Henricus, repudiata Margarita Valeſia, Mariam Medicæam ducit conjugem. 404

LIBER X.

Anno 1601.

Cloetius arcem Cracoviam expugnat. 405
Hiſpani pariter ac Batavi vicinis pecuniam extorquent. 406
In Dunkerkanos Fœderati animadvertunt. 406
Fliſſingæ fruſtra inſidiæ ſtruuntur. 406

Militis Alberti ſeditio. 406
Fœderati Flandricam expeditionem iterum agitant. 406
Mauritius Bercam obſidet. 407
Berca deditur: & Murſa. 408
Oſtendæ deſcriptio. 408
Albertus Oſtendam obſidet. 410
Verius oppido præficitur. 410
Obſidii hiſtoria. 410
Fœderati interim Silvamducis fruſtra obſident. 412
Eſſexii miſerabilis in Anglia exitus. 414
Hiſpanus Aquila incaſſum Hibernis rebellantibus auxilium fert. 415
Oliverii Nortii navigatio. 415

L I B E R XI.

Anno 1602.

Obſidii Oſtendani continuatio. 417
Verio Dorpius ſuccedit. 419
Mendoſæ libertate redimuntur omnes e Fœderatis captivi. 420
Magnus Fœderatis ſcribitur exercitus. 420
Mauritius in hoſtem ducit. 421
Mendoſa & Spinola ei obviam eunt. 421
Oblatum prælium Hiſpani detrectant. 421
Mauritius Graviam obſidet. 422
Mendoſa infra Graviam & Mauritium caſtra metatur. 422
Gravia deditur. 423
Hiſpani militis ſeditio. 423
Alberti in ſeditioſos edictum ſpernitur. 424
Mendoſa in Hiſpaniam abit. 424
Batavi octo turmas hoſtiles circumveniunt. 424
Spinolæ naves ab Anglis Batavisque comburuntur. 425
Commercia Batavorum per Indiam creſcunt. 426
Ad illa impedienda cum claſſe mittitur Hurtado. 426
Quam Batavi captis duabus navibus fugant. 426
Luſitani Achemi regem in Batavorum necem impellunt. 427
Rex Achemi legatos ad Batavos mittit: legatorum princeps in Zelandia moritur. 427
Rex Ternatæ aliique Indi in Fœderatorum partes tranſeunt. 427
Batavi Luſitanorum Caraccam capiunt. 428
Societatis Indiæ Orientalis apud Fœderatos initium. 429
Bironii perduellionis rei ſupplicium. 429
Novi in Friſia Orientali motus. 429

L I B E R XII.

Anno 1603.

Eliſabetha moritur. 431
Diverſi de Eliſabetha hominum ſermones. 431
Iacobus Scotiæ rex Angliæ poſſeſſionem init. 433
Fœderatorum legati illi gratulantur. 433
Iacobus in pacem proclivis. 434. Tironoveniam dat. Puritanorum, ac Romanenſium preces rejicit. 435
Romanenſes irrito conatu regii ſanguinis virginem in regnum evehere ſtudent. 436
Fœderati Transamaſianorum lites componunt. 436
Legati imperatoris apud Ordines querelæ. 437
Horum modeſta reſponſio. 437
Hiſpanus Wachtendoncam capit amittitque. 437
Quinque cohortes Mauritianorum Grobbendoncus fugat. 438
Fridericus Spinola navali prælio a Fœderatis cæditur. 438
Fridericus Herenbergenſis Hochſtratam in ſeditioſos mittitur: Mauritius ipſis ſuccurrit. 439
Herenbergenſis prælium detrectans Herentaliam recedit. 440
Mauritius Sylvamducis iterum tentat. 440
Herenbergenſis urbi ſuccurrit. 440
Mauritius bis mille hoſtes cædit. 441
Archiducis in captivos ſævitiam pari modo vindicat. 441
A Mauritio ſtructum munimentum fruſtra aggreditur Albertus. 442
Seditioſis Gravia hoſpitium tribuitur. 442
Obſidium circa Oſtendam interim fervet. 443
Dorpio præfecto Notius ſuccedit. 443
Ambroſio Spinolæ ſummum jus in caſtra ad Oſtendam traditur: ejus in promovendo obſidio diligentia. 443
Obſeſſorum virtus. 443

Aper-

Apertum in Hiſpania Fœderatis iterum commercium vectigalia corrumpunt. 445
Simulata clementia Archiduci haud feliciter cedit. 445
Fœderati in Orientem & Occidentem claſſes mittunt. 445

LIBER XIII.

Anno 1604.

Baſſiniacus, juſſu Alberti cum Ordinibus de pace acturus, non admittitur. 446
Imperatoris de pace ad Ordines literæ: Ordinum reſponſio. 446
Seditioſorum in Germanos inſolentia. 447
Princeps in Flandriam exercitum transvehit: ejus error. 447
Mauritius aliquot caſtella occupat: Ardenburgum munit. 448
Fœderati Cluſam obſident. 448
Velaſcus in Mauritium egreſſus funditur. 449
Albertus ſeditioſos ſibi reconciliat. 450
Spinola Cluſæ fruſtra ſubvenit. 450
Mauritius Cluſa potitur. 451
Marketta interim Oſtendam defendit. 451
Oſtenda Spinolæ deditur. 452
Philippus & Albertus legatos in Angliam mittunt. 452
Pax inter Philippum & Angliæ regem: ejus leges. 453
Iacobo Britannos Scalde Antverpiam ſubvehi non permittunt Fœderati. 454
Ieſuitæ in Galliam reducuntur. 454
Interaquii filiæ res novas in Gallia molitæ ab Henrico ignoſcitur. 454
Mansfeldius moritur. 455
Ludovicus Naſſavius occumbit. 455

LIBER XIV.

Anno 1605.

Varii de pace inter Archiduces & Fœderatos ſermones. 456
Imperatoris legato pacem urgenti generoſe reſpondent Fœderati. 457
Bellum interim utrinque properatur. 458
Spinola aureo vellere donatur. 459
Fœderati irrito eventu Antverpiæ obſidium aggrediuntur. 459
Mauritius Woudam capit. 460
Mauritium in Flandria locantem caſtra aſſequitur Spinola. 460
Fœderatorum caſtra deſolantur. 461
Militum ex Hiſpania mari adventantium partem alteram Fœderati capiunt merguntque. 461
Dobernieuſes in Batavos iniquiores. 461
Spinolæ ad finem celerius bello imponendum conſilium. 462
Buquoius ad Gæſariswartam caſtella ponit. 463
Henricus Arauſionenſis in Buquoium cum Erneſto miſſus Bercam munit. 463
Spinola Buquoii copias petit. 463. in Lingam ducit: 464. Oldenſalium in poteſtatem accipit: Lingam obſidet. 465. quæ deditur. 466
Mauritius ſero in ſolvendum obſidium accingitur. 466
Cobbius præfectus feſtinæ deditionis reus in carcerem compingitur. 466
Spinola novis operibus Lingam munit. 466
Mauritius laborantia loca præſidiis munit. 467
Archidux Torricurtio & Terralia rectoribus, irrito eventu bis Bergas ad Zomam tentat. 467
Fruſtra quoque Grobbendoncus Graviam aggreditur. 468
Spinola utraque Rheni ripa caſtellum locat. 468
Auxiliis auctus Buquoium in Wachtendoncæ obſidium mittit. 468
Spinolæ caſtra adorti Mauritiani pavore proprio impediuntur, quominus ingenti potiantur victoria. 469
Omarvilla occiditur: cadit & Trivultius. 470
Buquoio Wachtendonca deditur. 471
Geldram irrito eventu Princeps tentat. 471
Cracoviam Buquoius capit. 471
Herenbergenſis Cluſæ imminens ſtruit caſtellum. 471
Grobbendouci turma cæditur. 471
Navium Dunkercanarum præcipua a Fœderatis expugnatur. 471
Wartius dolo regis Candiæ in India trucidatur. 472
Philippus vetat nequis externus ad Indos naviget. 472
Matelifius cum duodecim navibus Indiam petit. 472
Reformatorum in urbe Aquarumgrani per-

perſecutio. 472
Hiſpanus per legatum Henrico in Gallia dolos ſtruit: Henrici in legatum indignatio. 473
Anglicanæ conjurationis relatio. 474

LIBER XV.

Anno 1606.

Spinola a Philippo ægre militibus ſuis ſtipendia obtinet. 476
Fœderati contenti fines tueri 477
Ortum inter Henricum & Bulionium bellum ſopitur. 477
Turbæ inter Brunovicenſes & illorum ducem componuntur. 478
Iacobus novum a ſuis ſacramentum exigit. 472
Magnæ inter Pontificem & Venetos turbæ. 479
Veneti Ieſuitas ejiciunt. 479
Batavi claſſem in Hiſpanum mittunt, imperante Hautænio: 480
Qui domum prædarum haud egenus redit. 480
Captum a Terralia Breſurtum Henricus princeps iterum ad deditionem cogit. 480
Succeſſu haud feliciori Cluſa Terraliæ tentatur. 482
Buquoius cum exercitu in agrum Batavum tranſire jubetur. 483
Ipſe Spinola Friſiæ Velaviæque intentus. 483
Mauritius præcipua urbium contra Spinolam munit. 483
Huic ſe dedit Lochemum. 484
Iuſtinianus militem Vahali traducere a Duboſio prohibetur. 484
Mauritius contra imminentem hoſtem ingentia ſpatia munimentis obducit. 484
Spinola tentato fruſtra Swollæ obſidio ſibi Grollam, Buquoio Noviomagum expugnandam injungit: capta Grolla Bercam obſidet. 485
Princeps Henricus auxilia oppido infert. 486
Sobiſius aliique Gallorum nobiles juvenes ſe ſua ſponte oppido claudunt. 486
Mauritius Bercæ damno annum extrahere ſtatuit. 487
Berca deditur. 487
Venloa fruſtra Henrico Principi tentata. 488
Spinolani militis ſeditio: dantur illi a Iuſtino Naſſavio alimenta; fitque ſuppetiarum ſpes. 488
Lochemum Erneſtus Naſſavius ſubigit. 489
Adventu Spinolæ Princeps Grollæ obſidium omittit. 489
Hautænii infelix maritima expeditio. 490
Reineri Nicolai acre facinus. 490
Paupertas Hiſpanica Americanis navibus ſublevatur. 491
Res Fœderatorum per Indiam Orientalem feliciores. 491
Rerum in India a Batavis geſtarum altius repetita deſcriptio. 492
Hohenlojus & Iohannes Naſſavius obeunt. 496
Lipſius moritur. 496
Borbonia nubit Philippo Arauſionenſi. 496
Rerum interim per Europam geſtarum relatio. 496
Luſitanorum ad Philippum pro pace cum Batavis facienda preces. 500. eam quoque Spinola ſuadet. 501
Multi Fœderatorum pacem ſuſpectam habent. 501
Wittenhorſtius juſſu Archiducum de pace acturus Hagam advenit: illi comes accedit Gevardus. 501
Fœderati nullis ab Archiducibus acceptis literis rem differunt. 502

LIBER XVI.

Anno 1607.

Arcem Groningæ impoſitam Ordines diruunt. 504
Hiſpanus Bommelienſis inſulæ munimentum irrumpit; comitem Brukium inſidiis circumventum occidit. 504
Henricus Naſſavius Erkeleno impetu rapto Henricum Herenbergenſem capit. 504
Frederici Herenbergenſis in Ardenburgum irrita ſpes. 504
Angli Batavique naves in Indiam mittunt. 504
Angli de occupanda Virginia conſilia agitant. 505
Societatis Indiæ Occidentalis apud Fœderatos initium, & leges. 506
Libellis pro inſtituta ſocietate apud Fœderatos diſſeritur. 506
Alii illam oppugnant. 507
Societati mora injicitur. 508

Initium

Initium colloquiorum de pace apud Fœderatos invenire arduum. 509
Princeps perſuaſu Oldenbarneveldii illa admittit. 509
Legatis Archiducum in conventu Fœderatorum pacem urgentibus reſpondetur. 509
Franciſcus Naia Wittenhorſtio ad promovendam pacem ſufficitur. Edoctus a Principe paci obſtantes difficultates literas ab Archiducibus Ordinibus affert. 510
Earum ſententia. 510
Fœderatorum reſponſa & poſtulata: illis plene ſatisfactum iri promittit Naia. 511
Ordinum ſuper hac re ad ſingulas nationes literæ: ſuppliciorum indicunt diem. 511
Verduſius ſignatas ab illis tabulas Antverpiam ferens aureo donatur torque. 511
Albertus omnia in Fœderatos hoſtilia vetat, captos libertate donat. 511
Verduſius cum Naia Hagam redit. 511
Fœderatorum nonnulli a pace ſunt alieni. 512
Glorioſæ Hemskerkii in Hiſpanos maritimæ expeditionis relatio. 512
Naia interim Hagæ pacem urgens claſſem ex Hiſpania revocari petit: de quo inter Fœderatos dubitatum. 517
Henrici ad illos Legati: quorum princeps Ianinus. 517
Prolatis Regis ſui nomine querelis, ejus tamen operam Fœderatis offerunt. 518
Qui alios quoque reges ac principes in conſilium adhibent. 518
Naia Arſenium donis ſibi conciliare conatur. 518
Hic rem Ordinibus pandit. 519
Berkius & Maleræus Ordinum ad Iacobum Legati. 519
Ejus nomine Spenſerus & Winwodus ad Ordines veniunt. 520
Adveniente Verreikio artes Hiſpanicæ apparent. 520
Multi Fœderatorum ſe ab Hiſpano illudi indignantur. 520
Allatæ ex Hiſpania chartæ Ordinibus diſplicent. 521
Oldenbarneveldii in Verreikium exprobratio. 521
Naia & Verreikius aliud ſcriptum proferunt. 521
Quod ut Ordines accipiant, omni ope nituntur. 522
Diverſa inter Fœderatos ſtudia exarдeſcunt. 522
Allatum ſcriptum illorum exſpectationi nondum reſpondet. 523
Se rem totam ad nationum concilium delaturos Legatis ſignificant. 523
Fœderatorum nonnullis periculoſum videtur hoſtis legatos Hagæ ad colloquium admittere. 523
Nihil cum hoſte fieri volunt, niſi claris verbis ſtabilita libertate. 523
Mauritius Zelandique omni colloquio abſiſtendum ſuadent, niſi libertatem ſancientia verba prius obtineantur. 524
Fœderati longiorem armorum vacationem Archiducibus offerunt. 524
Soloſque Belgas legatos volunt. 524
A quo Archiduces plane ſunt averſi. 524
Aliquem extra indigenas legationi adhiberi Batavi permittunt. 524
Dani aliorumque principum ad Fœderatos legati. 525
Imperatoris ad illos literæ. 525
Ordinum reſponſio. 525
Solam Geldriam ac Trajectum imperii eſſe feudum probatur. 526
Alberti equites ſtipendio onuſtos deprehendunt Batavi. 527
Albertus Fœderatique partem externi militis dimittunt. 528
Ivarræ conſilio Dieſtani ſeditioſi contra fidem fines Archiducum excedere jubentur. 528
Bameſtram lacum privati aliquot Batavi ſiccant. 528
Warvix duabus navibus ex India redux. 529
Verhoeven tredecim alias reducit. 529
Ortas inter Emdam ejusque principem turbas Ordines componunt. 529
Sueonum regis ad illos legatio. 529
Brevis rerum alibi per Europam iterum geſtarum relatio. 529

LIBER XVII.

Anno 1608.

Legatorum ab hoſtibus adventum aſperum frigus retardat. 531
Fœderati cum favente ſibi Gallo novum fœdus faciunt. 532
Quominus ſimile cum Anglis fiat, pannaria obſtat negotiatio. 532
Germanorum ab Ordinibus poſtulata. 532

Lega-

Legatorum hoſtium adventus. 532
Mauritius illis obviam procedit. 532
In ſenatu quorſum ſint miſſi aperiunt. 533
Delecti qui ſeorſim cum illis agant. 533
Batavis à difficillimis incipere volentibus Hiſpanici moras nectunt. 533
Inducias hi, illi pacem volunt. 534
In Fœderatarum Provinciarum libertatem conſentiunt Hiſpanici. 534
Hiſpanicorum facilitas ſuſpecta. 534
Poſtulant ut Indiæ aliiſque navigatibus abſtineant Batavi. 534
Libellis contra diſſeritur. 535
Fœderati India decedere nolunt. 536
Delata Hiſpanicis optio rejicitur. 536
Ordines colloqui exitum feſtinant. 537
Hiſpanici obſcure ſumma rerum capita proponunt, Ordines ſua aperte. 537
De Europæ commerciis difficultas. 537
Ricardoti obteſtatio. 537
Ordinum de India oblatas conditiones repudiant Hiſpanici. 538
Super interno commeatu diſſidia. 538
De hiſce cum Rege acturus in Hiſpaniam proficiſcitur Naia. 538
Ordines interim cum Anglis fœdus faciunt. 538
Fœderati ab hoſtium legatis ſua expediri petunt. 538
Iniqua Hiſpanicorum poſtulata. 538
Ius dicendæ in conſilio ſententiæ Brabanti Fœderati fruſtra repetunt. 538
Super bonorum reſtitutione nova diſſidia. 539. de aliis quoque minoribus capitibus non conveniunt. 539
Batavorum petitio Hiſpanicos offendit. 540
Ianinus in inducias proclivis. 540
Artes pacem volentium fruſtra vitare ſtudet Princeps. 540
Philippi ad Gallum & Britannum legati. 540
Legatio Batavis ſuſpecta. 540
Sparſi rumores Ordinum curas onerant. 540
Hiſpanici India abſtineri, ac Romanenſibus a Fœderatis publica ſacra reſtitui poſtulant. 541
Fœderati colloquium finiendum eſſe decernunt. 541
Galliæ & Britanniæ legati illos ad inducias hortantur. 541
Libelli ſine autore contra inducias in vulgus ſparguntur. 542
Cauſæ quibus Fœderati ad inducias propendebant. 542
Illibatam libertatem petentibus Hiſpanici aliam conditionem ferunt. 542
Ordines in decreto perſiſtunt. 543
Magnæ inter illos contentiones. 543
Mauritii de non faciendis induciis ad urbes Hollandiæ literæ. 543
Diſſentiens literarum interpretatio. 544
Lipſii de induciis prodeunt literæ. 544
Hiſpanicorum Ordinibus valedicentium in Ordines exprobratio. 544
Oldenbarneveldii Ordinum nomine reſponſio. 545
Relicta a Ricardoto arcana mandata in vulgus emittuntur. 545
Regum legati induciarum fœdus concipiunt. 546
Ianini pro induciis in Fœderatorum concilio oratio. 546
Inducias & Winwodus ſuadet. 548
Magnis animis res inter Fœderatos agitur. 548
Oldenbarneveldius, invidiæ præcipue obnoxius, muneri ſuo renunciat. 548
Primorum rogatu ad illud reverſus omnem Hollandiam aliaſque quinque nationes unius facit ſententiæ. 548
Soli, inſtigante Mauritio, Zelandi inducias abnuunt. 548
In Zelandos Trajectinum Fœdus cauſantes invehitur Ianinus. 549
Idem Spenſerus facit. 549
Rumor Hiſpano diſplicere inducias. 550
Super quo rogati Archiduces Iniclum in Hiſpaniam ablegant. 550
Cui inducias omni ope urgenti pondus addit Lermæ dux. 550
Philippus Arauſionenſis princeps in Bataviam venit. 550
Emanueli Luſitano domum Naſſaviam reconciliat. 551
Adolphus Naſſavius cæditur. 551
Super aliquot religionis capitibus inter Gomarum & Arminium diſſidia. 551
Arminii ſententia antiquis Chriſtianorum conſentanea. 551
Primus Auguſtinus aliter docere cœpit. 551
Per Occidentem multos traxit in conſenſum. 552
Inter monachorum familias ſuper hac re controverſiæ. 552

Lutheri,

Lutheri, Melanchthonis, Eraſmi opiniones. 552
Calvinus Lutheri ſententiam novis præſidiis fulcit. 552
Beza aliique ſententiæ Calvini rigorem augent. 552
Quorum diſcipuli Eccleſiis inter Fœderatos præfecti diſſidentes non tolerant. 552
Vnde diſſidia & crebri ad Ordines queſtus. 552
Colloquii Ordinum juſſu inter Gomarum & Arminium inſtituti acta ſilentio premi jubentur. 553
Nova controverſiarum materia. 553
Matelifius re bene geſta in patriam ex Oriente redux. 553
Indicana ſocietas hoſtilibus quoque pecuniis juvatur. 560
Rerum alibi geſtarum brevis hiſtoria. 560

LIBER XVIII.

Anno 1609.

Zelandi cæterarum provinciarum conſenſui cedunt. 562
Antverpia novo colloquio legitur locus. 562
Acriter utrimque diſceptatur. 563
Reſtantia quoque conficiuntur. 565
Archiducum & Ordinum juſſu fœdus publice recitatur. 567

FINIS.

m